# LECTIONES



in omnes

# PSALMOS DAVIDIS:

*In quibus*

Per Analysim, &, ubi opus est, per Quæstiones sensus dilucide ac succinctè enodatur, nec non Documenta ubivis eliciuntur, & ad Usus suos dextrè applicantur.

*Opus omnibus qui pietatem colunt, ac imprimis Verbi Ministris, perutile.*

AUTHORE
R. & Cl. Dn. GUILIELMO AMESIO,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ac nuper ejusdem Facultatis in Ill. Frisior. Acad. Professore.



LONDINI,
Excudebat *J. D.* impensis *Andreæ Kembe*, & *Johannis Hardesty.* 1647.

*Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimisque Dominis*

# DD. CONSULIBUS, SCHOLIARCHIS, ET TOTI SENATUI *ROTERODAMENSI.*

AMPLISSIMI DOMINI, En liber Psalmorum, qui tum pro excellentia variegatæ materiæ in se; tum ratione novæ hujus, & κατ' ἀκρίβειαν formæ verè Logicæ persuccinctam Analysin, & Documenta pulchrè concatenata, consectariaque ritè elicita; dignissimus, ut ab omnibus propter se accipiatur, nec tutelæ per se indigens.

Mos tamen obtinuit inter omnis generis Scriptores, dedicandi & præsentandi libros, qualescunque ferè, Fautoribus suis, in patrocinium eorum: quem morem & nos sequuti sumus, & ad vestras Dn. accedimus, idque varias ob rationes ducti, respectu tum authoris, tum nostri.

1. Authoris respectu, quem vivum adamastis, desiderastis, cuique stipendium ad PROFESSORATUS munus vestra in urbe capessendum (satis pro honore vestro, & ipsius commodo, si superstes mansisset) adjudicarâtis. Quiq; etiam invitis omnino Frisianis, & ægrè illum dimittentibus, abdicarat conditionem Academicam Franequeræ, ubi Professorem, per curriculum duodecim (plus minus) annorum, egerat; ut vobis Roterodami inserviret, si Deo ita visum fuisset. Ratio (inquam) Authoris œstro me percellit, propter insignem vestrum erga eum favorem, dum in vivis maneret, fœtum hunc ipsius posthumum vobis offerre.

Nec non ratio tristissimæ Viduæ ejus & Orphanorum, in quibus juvandis ulterius signum vestri animi optimè erga maritum & patrem p.m. affecti, nuper demonstrastis. Quorum nomine de vobis verè me puto posse prædicare, quod Nahomi nurui suæ, idemque vobis precari, quod ipsa illi: Ruth. 2.20. *Benedicti sitis à* JEHOVAH, *ut qui non destitistis exercere benignitatem vestram erga vivos, & erga mortuos.*

2. Deinde respectu nostri, quibus nihil magis est in votis quam grati aliquod animi testimonium erga vos præbere, neque hoc de nihilo: quanto enim favore prosequuti estis, tum me, tum popu-

lares meos, qui vestra hic vescuntur aura; si nos silemus, loquuntur lapides, & ligna beneficiorum vestrorum.

Et si Seniores Judæorum Centurionem dignum fuisse judicabant, ut veniret Christus, & servaret servum ejus, Luc. 7. idque propter hanc rationem, quam v. 5. reddunt (quæque Dominum JESUM valdè premebat) indeque arguebant ipsius dilectionem, cum ajunt: *diligit gentem nostram, & Synagogam nobis ædificavit, statim ergo ibat Jesus, &c.* Certè multo magis nos hoc dicamus: nationem & gentem nostram vos dilexisse. Quod eodem argumento, multisque aliis τεκμηρίοις à vobis indicatur.

Et si qui sint de nostra (aliis in urbibus) gente (prout revera ubiq; per hasce regiones sparguntur) licet multum debeant, multumque sit quod acceptum ferant particularibus istis civitatibus, benevolis & benefacientibus; vestra tamen urbs, liberalitate ergà nos maximè conspciuâ, & justissimè aliis suspiciendâ,

*—— tantum inter alias caput extulit urbes,*
*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

His nixi rationibus W. DD. obnixè rogamus, ut æqui bonique consulatis, quod aliis omnibus amicis (tum nostris, tum Amesii τȣ̃ μακαρίτȣ) præteritis, hoc qualicunque opere vos interpellemus. Quod ornatius longe & perfectius proculdubio ipse author vobis obtulisset, si modo ipsi per præmaturam nobis & Ecclesiæ Dei mortem pertexere, & extremam manum adhibere licuisset.

Interim non dubitantes quin gratum utcunque vobis sit futurum, multisque præterea non inutile, (quamvis omnibus numeris haud ita per omnia elaboratum) hoc nos vobis offerimus, vosq; (Amplissimi, Prudentissimi, Consultissimique Viri) ut diu valeatis, vestramque urbem & gubernationem benedictioni clementissimi Dei Patris, ut semper floreat, unice commendamus. Quod faxit idem D. O. M. per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Amen.

*Amplitudinibus vestris Prudentissimis*
*Consultissimisque addictissimus,*

HUGO PETRUS.

# GUILIELMI AMESII LECTIONES IN PSALMOS DAVIDIS.

## Psalmus Primus.

BEatus est *vir ille, qui non ambulat in consilio improborum, & viæ peccatorum non insistit; ac in cathedra derisorum non sedet:*

2 *Sed cujus oblectatio* est *in lege Jehovæ, &* qui *de lege illius meditatur interdiu ac noctu*, &c.

## ANALYSIS.



ROPOSITUM Spiritus Sancti in Psalmo istoc primo, est persuadere omnibus studium pietatis, religionis, vel sanctimoniæ vitæ. Argumentum ad hoc suadendum adhibetur unicum; petitur illud ab adjuncta beatitudine, piorum propria.

Unico istiusmodi syllogismo explicari potest mens & propositum totius Psalmi. Si soli pii sint beati, tum qui beati esse volunt studere debent pietati. Sed verum prius. Ergo & secundum.

Propositio pro confesso accipitur, quia nititur principio per se noto & apud omnes recepto, *qui vult finem, debet uti mediis ad illum finem necessariis*; vel hoc, *qui ex duobus inter se individuo nexu conjunctis vult unum, debet etiam & alterum velle.*

Assumptio est argumentum hujus Psalmi primi.

Conclusio est omnium Psalmorum consequentium argumentum; iis enim omnibus describitur, illustratur, & urgetur pietas illa vitæ, cui soli beatitudinem veram convenire ostenditur istoc primo Psalmo. Hinc non inepte loquuntur, qui Psalmum hunc primum præfationem appellant totius libri Psalmorum: continet enim sylogismum illum cujus assumptio tractatur per reliquos omnes Psalmos.

In eo tamen turpiter errant, quod nolunt hanc præfationem in sese haberi in numero Psalmorum, sed unum & eundem Psalmum constituunt ex hoc & sequenti: cum Apostolus ipse Paulus expresse distinguit in duos Psalmos, Act. 13. 37. & varietas argumentorum idem etiam confirmat.

Ut redeamus igitur ad Psalmi argumentum; quæstio in istoc Psalmo disceptata, est, *an solus pius sit beatus?*

Hæc quæstio primo proponitur cum gravissima affirmatione, quasi thesis indubitata, v. 1 & 2. deinde probatur ac illustratur versibus reliquis.

In propositione quæstionis, præter ipsam affirmationem, qua veritas e-

jus asseritur, continetur etiam explicatio partis ejus antecedentis, id est, descriptio adhibetur hominis pii, ne forsan quisquam hic sibimetipsi imponat, & putet se pium satis esse, & beatitudinis eo nomine participem fore, cum interim à vera pietate sit prorsus alienus. Describitur homo pius partim à dissentaneis & partim à consentaneis. Dissentanea sunt actiones illicitæ, quæ explicantur à causis efficientibus vel authoribus suis, hominibus nempe impiis. Sed tam actiones ipsæ quam earum authores gradibus quibusdam distinguuntur, non simpliciter notantur.

Actionum illicitarum gradus sunt tres, qui duplici serie verborum notantur, *consilio, via, cathedra: ambulare, insistere, sedere*. 1. Statutuere quid ac concludere de actione illicita; hoc enim est ambulare in consilio improborum. 2. Consilium illud prosequi vel perficere, ita ut eidem quasi adhærescat: hoc est enim stare in via peccatorum. 3. Sic assuescere istiusmodi vitæ, ut contraria monita, & officia ipsa pietatis ludibrio habeat; hoc enim est sedere in cathedra derisorum. Gradus impietatis quibus distinguuntur authores harum actionum, sunt improbi, peccatores, derisores. Per imbrobos intelligere possumus hoc in loco impios homines, prout considerantur in ipsa mali patratione. Per peccatores, eosdem homines, prout status eorum spectatur; & habitus nequitiæ quem contraxerunt. Per derisores etiam eosdem ratione obstinationis & contumaciæ ad quam tandem perveniunt. Hactenus pars illa fuit descriptionis, quæ petitur ab iis quibuscum dissentit homo pius: sequuntur illa cum quibus maxime consentit.

Hæc autem sunt, actiones piæ, vel officia illa, quæ verbo Dei commendantur & præscribuntur. Ista vero officia per synechdochen membri, & metonymiam causæ duobus officiis præstitis erga verbum Dei, *oblectatione* nempe & *meditatione*, quorum adjunctum commune est assidua diligentia. Hactenus analysis: cui majoris explicationis causa, quæstiones nonnullæ sunt adjungendæ.

## QVÆSTIONES.

I. Quid opus est persuasione vel exhortatione ad pietatem, cum Deus ipse sit, qui efficaciter ex certo suo decreto reddit homines pios?

*Resp*. 1. Exhortatio vel persuasio non magis pugnat cum efficacitate certa Dei, quam operatio secundæ alicujus causæ, cum operatione causæ primæ & principalis. 2. Deus omnia in omnibus operatur suaviter secundum illum modum qui maxime convenit naturæ earum rerum, in quibus operatur; hominis autem illa est natura, ut persuasionibus vel argumentis propositis commoveatur ad hoc vel illud sequendum aut declinandum. 3. Duplex est operatio Dei circa hominem; una quæ communis est homini cum aliis creaturis inferioribus; alia vero quæ propria est hominum & Angelorum; harum una non tollit alteram, sed promovet. Exhortationes autem & persuasiones, sunt generis posterioris. 4. Exhortationes & persuasiones non pugnare cum certissimo Dei decreto & efficientia reali, apparet ex eo, quod Christus ipse corroboratus

ratus hoc eodem modo fuit ab Angelo Dei. Luc. 22. 43.

II. Quare beatitudo hic adhibetur, ut argumentum perſuadendi?

*Reſp.* Quia nullum aliud eſt efficacius: nititur enim illo principio omnibus inſito, quod nemo ſit quin velit & cupiat eſſe beatus. Beatitudo enim eſt ſummum bonum, & ultimus finis. Nihil eſt quod volentes & ex conſilio agimus, quin ſpeciem aliquam beatitudinis in eo propoſitam habemus. Recepta eſt inter Scholaſticos illa ſententia; Voluntas noſtra in ordine ad beatitudinem in communi, neceſſitatur quoad ſpecificationem.

Duplex eſt appetitus, commodi, & honeſti: appetitus ille prior valet ac viget in omnibus, ſed alter extinguitur in malis; hinc Chriſtus Matth. 5. inchoavit ſuas conciones ab hoc eodem argumento.

III. Qua in re proprie conſiſtit beatitudo hominis?

*Reſp.* Conſiſtit proprie in fruitione Dei.

IV. Quare igitur tribuitur pietati?

*Reſp.* 1. Quia pietas unica illa via eſt quæ ad iſtam Dei fruitionem ducit. 2. Signum & indicium eſt hominis Deo fruituri. 3. In pietatis exercitiis imperfecta quædam habetur fruitio Dei, etiam in iſta vita.

V. Quamobrem pluralis numerus adhibetur in beatitudinis voce?

*Reſp.* Reſpondent quidam hoc ex eo fieri, quia duplex eſt beatitudo, temporaria & cœleſtis, hujus & alterius mundi; ſed ſimplex & genuina reſponſio eſt, quod nomen ipſum quo Hebræi beatitudinem notant eſt plurale tantum, ut Latinis *opes, divitiæ*, &c. cujus rei hæc etiam ratio reddi poteſt, quod vera beatitudo affluentiam & aggregationem in ſeſe habet omnium bonorum.

VI. Qua ratione fit quod deſcriptio hominis pii petitur imprimis à ſeparatione quam habet ab impiis?

*Reſp.* Quia primus ingreſſus ad bene vivendum eſt in relictione mali, Pſal. 34. 15. relictio autem mali pendet ex relictione malorum.

VII. Quare malorum explicatio fit per gradationem à minore ad majus?

*Reſp.* Quia iſtis gradibus itur ad extremam impietatem. Primum utcunque conſulta arrident improborum: poſtea ſiſtit ſe in illis animus, & juxta ea vitam inſtituit: inde totum ſe ſceleribus addicit, jamque ſedem ſuam inter flagitioſos firmat, & ex profeſſo perverſa eorum ſtudia ſectatur.

VIII. Quare pietas hominum non æque deſcribitur per proſecutionem viæ bonorum, ac per fugam ac derelictionem viæ malorum?

*Reſp.* 1. Quia boni non ſemper adſunt ut poſſint eſſe exemplo. 2. Boni in hac vita ſunt imperfecte boni: non ſunt igitur in omnibus imitandi vel ſequendi. 3. Omnis perfectio illa, quæ eſt vel eſſe debet in bonis, continetur in verbo Dei, tanquam in exemplari.

DOCUMENTA.

I. Beatitudo ab omnibus aliquo modo expetitur. Argumentum alias quod affertur à Pſalmiſta hoc in loco & ſæpius in Scripturis inculcatur, apud quoſdam ſaltem nihil omnino valuiſſet; pertinet hæc doctrina ad locum de ſtatu hominis corrupti. Pſal. 4. 7. *Multi dicunt ſi*

*quis efficiat, ut fruamur bono.*

*Ratio est* I. A naturæ inclinatione qua omnia feruntur in ultimum finem & summum bonum. II. A providentia illa Dei qua voluit non tantum societates humanas conservari post lapsum, sed etiam principium illud religionis in hominum animis relinqui quo excitari possint ad *Deum quærendum, si forte palpando eum invenirent.* Act. 17.27.

*Usus est exhortationis;* ut excitemus in nobismetipsis desiderium istud, & humano saltem modo non belluino dirigamus. Sunt enim non pauci, qui ita suam vitam instituunt, quasi non beatitudinem, sed miseriam quærerent. Prov. 8.36. *Qui peccat in me, vim facit animæ suæ: omnes osores mei amant mortem.*

II. Beatitudo quamvis ab omnibus expectatur, non tamen ab omnibus obtinetur. Tunc enim non opus esset, ut describeretur nobis vir beatus: neque ulla vis aut ratio inesset huic argumento; pertinet hæc doctrina ad locum de lege, & de judicio postremo. Matth. 7. 14. *Angusta est porta & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.*

*Ratio est* 1. Quia plerique non expetunt, nisi confuse & incerte, ita ut veram & propriam ignorent. 2. Quia non applicant sese ad illa media quibus assequi possint quod volunt.

*Usus est admonitionis,* ut nemo acquiescat in eo, quod bene sibi cupiat: sed omne studium & curam adhibeant, ut certam & firmam habeant beatitudinem.

III Unica ratio beatitudinem veram obtinendi est in studio pietatis; pertinet ad definitionem Theologiæ. Psal. 112.1. *Beatus quisquis reveretur Jehovam.* Psal, 144.15. *Beatus populus cujus Jehovah est Deus.* Isa. 3.11. *Dicite justo bene esse.* Deut. 33.29. *Beatus es Israel, quis est sicut tu, populus servatus per Jehovam?*

*Ratio est* 1. Quia hoc solum est illud medium quo unionem & communionem habemus cum Deo, qui est summum nostrum bonum. 2. Quia cætera omnia sunt vanitas vanitatum: & sæpe accersunt potius quam amovent miseriam.

*Usus* 1 *est refutationis & damnationis,* adversus multos impios, qui sibimetipsis videntur beati. Luc. 6, 24. *Væ vobis divitibus, væ vobis qui impleti estis, væ vobis qui ridetis,* &c. 2 *Est exhortationis,* ut eodem affectu pietatem prosequamur quo ferimur ad nostram beatitudinem; finis & medium eodem actu expetuntur. Nemo ad pietatem rite potest animari, donec statuerit apud se tanquam firmum & fixum, omnes impios esse miseros, & omnes pios beatos.

IV. Qui vere studet pietati, alienus est ab impiis; pertinet ad locum conversationis aut vocationis, &c. Prov. 29. 27. *Abominationi est justis vir iniquus.*

*Ratio* 1 Quia omnes impii alieni sunt à Deo, cui pius toto corde adhæret. 2. Quia sibimetipsi cavet pius & quærit conservationem suæ pietatis.

*Usus est admonitionis,* ut qui velunt esse pii, discedant à consortio omni profano.

V. Minimus impietatis gradus solicite debet caveri; pertinet ad observantiam in genere. 1. Thes. 5.22. *Ab omni specie mali abstinete.*

*Ratio* 1. Quia hoc est viam dare Satanæ. 2. Quia hoc est Deum tentare

tentare, atque adeo judicium ejus accerſere.

*Uſus eſt* ad reprehendendam audaciam & fatuitatem eorum, qui nihil periculi metuunt, niſi graviſſimis criminibus.

VI. Non ſatis eſt ad pietatem, ut quis diſcedat à malo, niſi etiam dedat ſeſe Deo; pertinet ad primum præceptum. Pſ. 34.15. *Recede à malo, & fac bonum.*

*Ratio,* quia religio & pietas vera non conſiſtit proprie in negatione aut privatione, ſed in poſitione vitæ ſpiritualis.

*Uſus eſt* ad arguendam Phariſaicam eorum juſtitiam, qui in eo gloriantur quod non ſunt ut reliqui, non ut Publicani. Luc. 18. 11.

VII. Deo deditus eſt, qui delectatur verbo Dei; pertinet ad primum præceptum.

*Ratio* 1. In verbo Deus exhibetur. 2. Quia verbum eſt brachium Dei, vel potens illud organon quo trahimur ad Deum. 3. Quia Deo deditus voluntatem ſuam adunatam habet voluntati Dei.

*Uſus eſt* ad arguendam tepiditatem hominum circa verbum.

VIII. Qui delectatur Dei verbo, aſſidue de eo meditabitur; pertinet etiam ad primum præceptum. Pſal. 119. 16. *In ſtatutis tuis meipſum oblecto, non obliviſcor verbi tui.* & v. 24.

*Ratio eſt* 1. Quia ubi amor, ibi animus. 2. Quia oblectatio hæc eſt in verbo Dei qua eſt lex & regula totius vitæ. Multa igitur & aſſidua opus eſt meditatione ad conſcientiam in omni parte vitæ recte dirigendam.

*Uſus eſt* ad arguendum neglectum hujus officii.

Verſ. 3. *Eſt enim ſicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum ſuum edit in tempore ſuo, & cujus folium non decidit: ſic quicquid faciet, proſperabitur.*

## ANALYSIS.

Expoſita hominis pii deſcriptione, cum quæſtionis de ipſo inſtitutæ graviſſima affirmatione, aggreditur jam Pſalmiſta propoſitæ quæſtionis confirmationem & illuſtrationem evidentem. Totius autem tractatus hujus ratio hujuſmodi ſyllogiſmo continetur.

Cui omnia fœliciter ſuccedunt in hac & in futura vita, is eſt beatus; at ſoli pio omnia fœliciter ſuccedunt in hac & futura vita. Ergo.

Propoſitio omittitur, ut per ſe nota, & omnium oculos incurrens.

Aſſumptio exprimitur verſu hoc tertio in fine: *quicquid faciet, proſperabitur.* Concluſio præcedebat, v. 1. & 2.

In aſſumptione tractanda Pſalmi pars reliqua tota occupatur.

1. A comparatis ad verſ. ultim.
2. Ab efficiente v. ult.

Comparatio duplex adhibetur, quarum prior eſt à ſimilibus v. hoc 3. poſterior à diſſimilibus v. 4, & 5.

Similitudo adhibita eſt hujuſmodi: Quemadmodum arbor ſata ad rivos aquarum, profert fructus ſuo tempore, & retentis foliis ſemper in ſuo genere viret vigetque; ſic homini pio uſu venit, ut gratia Dei ſingulari ſemper floreat ac vigeat, id eſt, ſuccedant ipſi omnia in alterutra vita fœliciſſime.

Protaſis, propoſitio vel prima pars com-

comparationis, continens argumentum arguens, est initio hujus 3 versus, ubi arboris nomine per Synechdochen generis intelligitur palma, vel oliva, vel similis aliqua species arboris perpetuo virentis. Describitur autem hæc arbor. 1. A subjecto loco ubi conseritur, *ad rivos aquarum*, quibus verbis etiam continetur causa, vis nempe scaturientium aquarum. 2. Ab effecto, per temporis adjunctum amplificato, *fructum suum edit in tempore suo.* 3. Ab adjuncto perpetuæ viriditatis ac vigoris, *cujus folium non decidit.*

Apodosis redditio, vel posterior pars comparationis, continens illud quod arguitur, est in fine versus, *sic quicquid faciet prosperabitur.*

QUÆSTIONES.

I. Quorsum adferuntur similitudines in Scripturis?

*Resp.* Non tantum ut illustrent, sed etiam ut probent. Nihil quidem probant extra scopum illum ad quem collimant, sed illius respectu vim habent firmæ probationis.

II. Unde fit quod illustrant?

*Resp.* 1. Quia res eadem cum jucunda varietate repetitur, ac bis dicitur. 2. Quia manu quasi ducunt animum discentis ab eo quod intelligit, ad illud quod cupit intelligere. 3. Quia picturam vel claram imaginem exhibent rei percipiendæ: per imagines enim intelligunt homines omnia ferè quæ norunt.

III. Quid requiritur in similitudine, ut commode possit illustrari?

*Resp.* Debent 1. à rebus illis peti, quæ sunt iis notæ quibus proponuntur. 2. Debent si fieri possit, convenientiam habere non in una aliqua particula, sed in pluribus membris.

IV. Qualis est differentia eorum similium quæ in Scripturis adhibentur?

*Resp.* Similium quæ adferuntur in Scripturis alia sunt à Deo ipso constituta ad significationem rerum aliarum, ut typi omnes: alia cum in natura existunt & quandam convenientiam habent cum aliis rebus, ex occasione cum illis comparantur sine ulla institutione: Alia vero sunt similia quæ neque à Deo sunt instituta, neque in natura existunt, sed finguntur tantum ad alias res illustrandas. Jud. 9. 8. comparata enim etiam ficta arguunt.

V. Qua in re consistit proprie similitudinis hujus accommodatio?

*Resp.* Interpretes quidam observant hic referri. 1. Regenerationem vel institutionem nostram in Christum, plantatione arboris propter rivos aquarum. 2. Sanctificationem ac bonorum operum productionem, productione fructuum. 3. Perseverantiam in gratia, perpetua foliorum viriditate. Alii sunt qui specialia ista plane rejiciunt, & eorum authores argute philosophari dicunt extra sensum Scripturæ. Media ratio videtur aptissima. Illud enim imprimis tenendum est, comparationem proprie eo spectare, ut explicet fœlicem statum hominis pii, in genere: sicut liquido apparet ex redditione, *quicquid faciet prosperabitur.* Num. 24. 5, 6. in Prophetia Balaami exprimitur etiam hæc redditio iis verbis, *quam sunt bona tentoria tua ô Jaakob? tabernacula tua ô Israel?* Neque potest admitti ut per arborem fœliciter satam ad aquas intelligatur

ſemper in Scripturis gratia Dei ſpiritualis: eadem enim comparatio ad Aſſyrii fœlicitatem explicandam, Ezech. 31. 10, 11. Cum tamen ſub iſta generali qualitate fœlicitatis quælibet ſpecies poteſt deſignari, & particulares quæ ſunt in hac ſimilitudine circumſtantiæ, quæ ſemper deſiderantur, quum ad impiorum fœlicitatem accommodatur, ( illa nempe de fructibus optatis, & illa de perpetuitate ) cum etiam Spiritus ſanctus in aliis locis hac eadem ſimilitudine particularia quædam explicat ad piorum beatitudinem ſpectantia, ut Pſal. 92. 13, 14, 15. Eze. 47. 12. nihil certe impedit, quo minus hoc etiam in loco præter illam fœlicitatem hominis pii ſimpliciter & in genere conſideratam, particulares etiam ejus gradus ſimul indicentur.

### Documentum Unicum.

Omnia proſpere ſuccedunt piis; quicquid facit, dicitur in textu; ſed ſynecdochice intelligendum eſt etiam de iis quæ patitur, & quæ ipſi accidere poſſunt, Rom. 8. 28. *Iis, qui diligunt Deum, omnia ſimul adjumento ſunt ad bonum.*

*Ratio* 1. Quia ſic Deus promiſit. 1 Tim. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ.* 2. Quia omnia diriguntur à Deo, qui bonus eſt piis. Pſal. 73. 1. Gen. 39. 2, 3. *Adfuit Iehova Ioſepho, ut rebus ſecundis uteretur; omnia quæ faciebat, Iehova proſpera fecit in manu ejus.* 3. Quoniam illa eſt natura pietatis, ut lucrum faciat ex omnibus. Phil. 1. 21. *In morte lucrum.* 1 Cor. 3. 22. *Pietas omnia ſanctiſicat.* 1 Tim. 4. 5.

*Object.* Pii ſæpe adverſiſſimis rebus utuntur quoad externa.

*Sol.* 1. Adverſantur hæc externa non ſpirituali parti aut fœlicitati hominis pii, ſed corporali; pii autem hominis fœlicitas æſtimatur præcipue ex ſpirituali ejus conditione. Joh. epiſt. 3. 2. *Opto ut proſpere agas & valeas, ſicut proſpere agit anima tua.* 2. Majorem illam fœlicitatem animæ procurant ſæpe ac promovent. 2 Cor. 4. 16, 17. *Externus homo corrumpitur, internus renovatur. Præteriens levitas afflictionis excellenter excellentis gloriæ pondus conficit nobis.* Proſperitas autem præcipue pendet ex fine. 3. Compenſantur afflictionis mala centuplo majoribus bonis in iſtoc ſeculo, & in ſeculo futuro vita æterna. Marc. 10. 29, 30.

*Object.* 2. Si omnia bene ſuccedant piis, tum etiam & infirmitates illæ quibus laborant, & peccata in quæ labuntur.

*Sol.* 1. Quæ hunc in modum dicuntur de homine, intelligenda ſunt, ut loquuntur, *formaliter*, non *materialiter*, id eſt, pius qua talis eſt, & dum pie ſeſe gerit, benedictionem accipiet à Deo. Hujuſmodi vero mala contingunt homini pio propter defectum pietatis, quem aliqua ex parte communem habet cum impiis. Apoc. 18. 4. 2. Hæc tamen ipſa graviſſima mala, per accidens convertuntur ſæpe à Deo in commodum piorum; occaſione enim eorum ſuperbia minuitur. 2 Cor 12. 8. ingratitudo vel oblivio beneficiorum Dei cavetur. Pſal. 59, 11. & excutitur ſegnities ac ſomnus ille ſpiritualis quo occupantur aliquando vere pii.

*Uſus* hujus documenti eſt idem

ille

ille, qui præcipuè spectatur in hoc toto Psalmo, scil. ut efficax apud nos sit hoc argumentum, quo excitentur animi nostri ad serium studium pietatis.

Verse 4. *Non sic improbi* sunt ; *sed sicut gluma quam dispellit ventus.*
5. *Idcirco non consistent improbi in illo judicio, aut peccatores in cœtu justorum.*

## ANALYSIS.

Sequitur ad illustrandam assumptionem illam (qua asseritur soli pio omnia fœliciter succedere) comparatio á dissimilibus.

Dissimilitudo ista primo generaliter & implicita vel contracta forma proponitur illis verbis, *non sic improbi* : tum magis distinctè & explicate, reliquis verbis duorum horum versuum.

Dissimilitudinis hujus redditio est eadem, quæ fuit similitudinis antecedentis : homini pio omnia succedunt fœliciter; protasis vel propositio est, impiis hominibus omnia succedunt infœlicissime.

Propositionem hanc demonstrat Propheta ab adjuncto impiorum, hunc in modum : Qui ex vi iræ divinæ obnoxii sunt æternæ rejectioni, iis omnia infœliciter succedere necesse est ; at impii ex vi iræ divinæ obnoxii semper sunt æternæ rejectioni ; ergo impiis omnia infœliciter succedere necesse est.

Propositio, ut res comperta satis, reticetur. Assumptio ponitur & similium comparatione illustratur v. 4. conclusio exponitur v. 5. ubi etiam solemnis nota concludendi apponitur, *idcirco*.

Similitudo qua assumptio illustratur v. 4. talis est ; sicut palea flatu quovis facillime dispergitur : sic impii vi iræ divinæ, æternæ rejectioni sunt obnoxii.

Conclusio exponitur v. 5. ubi infœlicitas improborum explicatur per distributionem totius in partes ; duæ enim infœlicitatis hujus partes indicantur & asseruntur, quarum utraque ornatur oppositione illa quam habet ad statum piorum ; prima pars maxime proprie pertinet ad statum vitæ præsentis, *non consistent in judicio* : secunda vero præcipue ad statum vitæ futuræ, *non consistent in cætu justorum*; summa est, quod impii nihil commune habituri sint cum piis in præsentis aut futuræ vitæ fœlicitate ; voces enim illæ duæ, *consistent* & *justorum*, referri debent ad utramque patrem versiculi.

### QUÆSTIONES.

I. Quare adfertur hæc dissimilitudo ?

*Resp.* 1. Quia dissimilia magnam vim habent illustrandi ; illustrant enim ut comparata : & singularem etiam affinitatem habent cum dissentaneis argumentis : unde fit, quod duplici quasi virtute pollent illustrandi. 2. Propositum Prophetæ fuit in istoc Psalmo, sic excitare homines ad studium pietatis, ut simul avocaret & absterreret à consortio impiorum, sicut liquido apparet ex versiculo primo.

II. Quare non conferuntur hic impii potius arbori citò exarescenti, ut Jerem. 17. 6. erit similis nudatissimæ arbori in loco campestri ? sic enim proportio magis observata fuisset ad arborem plantatam secundum aquas, cujus antea facta est mentio.

*Resp.* Quia hic non respicitur læta illa fortuna, in qua ad breve tempus exultant aliquando impii : sed vanitas & infœlicitas eorum simpliciter declaratur ; hic autem status nulla re potest aptius exprimi, quam palea, vel gluma, id est, palea minutissime contrita, & quasi in pulverem redacta ; ex hac enim nihil ad alios emolumenti redundat : hac nihil est contemptius : hæc facillime abigitur quolibet flatu ; hinc est, quod sæpius in Scripturis hæc eadem comparatio adhibetur, Job 21, 18. Psal. 55. 5. Hos. 13. 3. Matth. 3. 12.

III. Quare improborum tantum & peccatorum hic mentio fit in comparatione, cum irrisores etiam appellati sint impii in descriptione illa, quæ v. 1. habetur ?

*Resp.* 1. Quoniam iidem sunt homines, qui tribus illis nominibus distinguuntur, sicut antea fuit observatum : qua eadem etiam ratione improborum tantum fit mentio v. ultimo. 2. Quia voluit Propheta significare non summe tantum sceleratos, sed & omnes illos, qui per peccatum separantur à communione fidelium in pietate, ab iisdem etiam in fœlicitate fore separatos.

IV. Quare justi hic vocantur homines pii & Deo grati ?

*Resp.* Quia justitia quamvis aliquando stricte sumatur, ita ut respiciat meriti vel accepti quantitatem æqualem ; alias etiam aliquanto latius, ut mutuum officium denotet inter eos, qui eodem jure tenentur ; sæpissime tamen in Scripturis, & communi sermone, generalem virtutum omnium aggregationem significat, & omne officium tam erga Deum, quam erga homines designat ; & istoc sensu pii hoc loco appellantur justi, quoniam omnes virtutes habent inchoatas.

V. Quare status improborum explicatur hic per separationem à justis ?

*Resp.* 1. Quia malum in sua formali ratione est privatio.

2. Quia malum pœnæ respondere debet malo culpæ; improbi autem in culpa distinguuntur à piis : æquum est igitur ut in pœna separentur.

VI. Quid sit in judicio stare vel consistere ?

*Resp.* Stare in judicio est causam approbare, erigere caput cum fiducia, & vincere judicium. Sic Terentius, vix steteris. In Scripturis, aspicere sursum & attollere, Luc. 21. 28. Oppositum est apud Latinos, Cadere causa. In Scripturis, pudore affici & confundi. Psal. 25. 3. incurvare se & cadere. Ps. 20, 9. *Illi incurvant se & cadunt: nos vero surgimus & consistimus.* Rev. 6. 17. *Veniet dies ille magnus iræ illius, & quis poterit stare ?*

VII. Quodnam est hoc judicium, in quo impii non possunt consistere ?

*Resp.* Judicium hoc in loco significat metonymicè conditionem vel sortem illam, quam Deus adjudicat piis etiam in ista vita. Consistit autem in consolatione illa

qua pii fruuntur ex ſenſu divini erga ſe amoris, etiam in rerum ſingularum ſingulis eventis. Judicium hoc præcipue exercetur in conſcientia & per conſcientiam, ſecundum illud Hebr. 10. 22. *Accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, aſperſione purgatis cordibus à conſcientia mala: & abluti corpore aqua munda, retineamus poſſeſſionem ſpei non vacillantem.*

VIII. Quis eſt cœtus juſtorum, in quo impii non conſiſtent?

*Reſp.* Eſt honoratus ille conceſſus, qui deſcribitur Hebr. 11. 22. *Acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi, Hieruſalem cæleſtem, & myriadas Angelorum, conventum univerſalem, & concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & judicem univerſorum Deum, & ſpiritus juſtorum conſummatorum.* Sic intelligenda eſſe iſta verba, inde apparet. 1. Quod ſummam fœlicitatem piorum hic deſcribi, liquet ex præcedentibus. 2. Cœtus juſtorum non poteſt aliter diſtingui à judicio: ſic autem optimo & uberrimo ſenſu diſtinguitur.

DOCUMENTA.

I. Qui non ſunt piorum ſimiles in pietate, nunquam ſimiles ipſis erunt in fœlicitate; pertinet etiam hoc documentum ad definitionem Theologiæ. Matth. 25. 34, 35. comp. cum 41, 42.

*Ratio eſt,* 1. Quoniam Eccleſia illa, quæ hæres eſt ſalutis æternæ, eſt una Epheſ. 4. 4. 2. Colligitur hæc Eccleſia in iſtac vita, & obſignatur ſigillo pietatis, 2 Tim. 2. 19.

*Uſus eſt admonitionis,* ut vitam juſtorum æque vivere cupiamus & ſtudeamus, ac mori cupimus eorum morte.

II. Infœlicitas impiorum illuſtrat piorum fœlicitatem. Pertinet etiam ad definitionem Theologiæ. Apocal. 22. 15. *Foris autem erunt* &c.

*Ratio.* Splendet enim magis gratia & miſericordia Dei erga electos, ex illa juſtitia quam exercet in reprobis. Rom. 9. 23. *Ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.*

*Uſus eſt inſtitutionis,* ut ſæpius nobiſcum cogitemus de miſeria illa quæ certò manet improbos.

Verſ. ult. *Nam agnoſcit Jehova viam juſtorum: & via improborum peritura eſt.*

## ANALYSIS.

AD aſſumptionis primariæ hujus Pſalmi illuſtrationem, (ſolum nempe pium eſſe beatum) duplex adhuc adhibita fuit comparatio. Supereſt ejuſdem veritatis illuſtratio ac probatio ab efficiente cauſa deſumpta: providentia nempe divina, quam habet circa pios & impios. Syllogiſmus eſt hujuſmodi: Si certa Dei providentia adminiſtrentur omnia ad ſalutem piorum & exitium impiorum, tum ſolus pius eſt beatus; Sed verum prius. Ergo. Propoſitio ſupponitur, ut apud omnes indubia. Aſſumptio ponitur in textu utroque ſuo membro axiomate copulato: ſed varia ratione: in priore enim

enim parte quæ spectat ad pios, providentia illa Dei explicatur per causam, id est, per singularem quandam Dei notitiam, qua circa pios & eorum viam versatur, sed in secunda parte quæ spectat ad impios, providentia Dei explicatur per effectum, id est, per interitum qui certo expectandus est ab omnibus impiis. In utraque tamen parte causa & effectum sensu conjunguntur; in priore enim è metonymia causæ intelligendum est effectum: id est, agnitio Dei includit conservationem, salutem ac beatitudinem piorum: & in secunda parte per metonymiam effecti, intelligenda est causa: id est, interitus ac perditio impiorum includit iram ac odium Dei adversus ipsos. Hac ratione retinetur pulcherrima analogia prioris membri ad posterius. In priore membro ponitur causa, quæ beat pios, effectum autem reticetur: in posteriore vero ponitur effectum, perditio nempe impiorum, & reticetur causa. Frequens est hæc dicendi ratio in sermonibus oppositis, præsertim cum sunt breviores; referri potest ad aposiopesin rhetoricam. Qui hoc non observabit, vix unquam recte interpretabitur unum ex Proverbiis Salomonis; cum enim partes parabolarum axioma compositum semper ferè constituunt, & sunt inter se adversæ, altera per alteram debet explicari, ut recte notavit doctissimus Cartwrightus.

## QUÆSTIONES.

I. Quare loco providentiæ paternæ ponitur hic notitia Dei?

*Resp.* Quia providentia Dei est exequutio decreti, quod scientiam & voluntatem Dei complectitur. Hinc scientia sæpe ponitur pro decreto electionis. Rom. 8.29. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit.* 2 Tim. 2.19. *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos, qui sunt sui.* Ponitur etiam pro paterno illo amore quo prosequitur Deus electos, & pro ejusdem efficaci manifestatione. Joh. 10.14. *Ego sum Pastor ille bonus, & agnosco meos, & agnoscor à meis.* Psal. 144.3. *Jehova, quid est homo, ut agnoscas eum?*

II. Quid proprie intelligi debet in posteriore membro versiculi?

*Resp.* 1. Plerique dicunt intelligi ibi negationem notitiæ ante positæ, ac si diceretur. Deus viam improborum non agnoscit; & verum quidem est hanc negationem includi: ut Matth. 7.3. *Certe nunquam novi vos, discedite à me, qui operam datis transgressioni.* & 25.12. *Amen dico vobis, non novi vos.* Sed positivum quid necessario etiam debet intelligi, scientia nempe opposita priori: ita ut ex istoc uno loco, triplex deprehendi possit cognitio Dei, quarum una dici potest Intuitiva, qua Deus omnes & omnia novit. 2. Approbativa, qua electos vel pios novit. 3. vero Vindicativa, qua reprobos vel improbos omnes cognoscit.

III. Quare dicit Propheta Deum agnoscere viam justorum, ac non solum justos; & viam improborum perituram, non solum improbos?

*Resp.* Ut ostenderet providentiam Dei paternam non solum respicere ad personas impiorum, sed etiam eorum ad viam & singulos etiam gressus. Psal. 37.5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo; nam*

*nam ipse efficiet.* & v. 23. *A Jehova gressus viri statuuntur, cujus delectatur via.* Sicut ex adverso, non tantum impiorum personas perdet Deus, sed etiam eorum opera, consilia & instituta. Psal. 33. 10. *Jehova irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum,* & 37.37. *Observa integrum & aspice rectum; finem istius viri esse pacem:* 38. *Defectores vero perdi pariter, finem improborum exscindi.*

DOCUMENTA.

I. Providentia extenditur ad omnes ac singulos, & ad eorum vias omnes. Prov. 5. 21. *Coram oculis Jehovæ viæ cujusque sunt, & omnes orbitas ejus expendit.*

*Usus est admonitionis.* Ibid. ver. 20. *Quare errares fili mi,* idest, *quare peccares, cum coram oculis Jehovæ,* &c.

II. Providentia ista Dei certa est & efficax ad salutem piorum & pernitiem improborum.

*Usus est exhortationis,* ut serio fugiamus malum, & applicemus nos ad pietatem.

# PROLEGOMENON
## *IN*
## PSALMUM SECUNDUM.

PSALMI hujus secundi triplicem interpretationem videre est apud authores. 1. Est Judæorum, qui totum Psalmum simpliciter intelligunt de Davide. 2. Est omnium ferè Patrum, qui simpliciter explicant de Christo. 3. Est doctissimorum nostrorum Theologorum, qui composita quadam ratione, partim quidem de Davide interpretantur; sed maximè propriè ac præcipuè de Christo.

Occurrit igitur quæstio hic in initio expedienda, quæ eadem est planè cum illa quam Eunuchus Æthiops proposuit olim Philippo, Acts 8. 34. *Oro te, de quo dicit ista Propheta? de seipso, an de alio quopiam?*

De Davide simpliciter non posse hunc Psalmum explicari, ex eo patet, quod quædam continet quæ Davidi non conveniunt: qualia sunt illa quæ vers. 8. &. 12. neque debere constat nobis ex Apostolorum testimonio. Act. 4. 25. & 13. 33. Hebr. 1. 5. & 5. 5.

De Christo simpliciter ut explicetur exclusa plane omni Davidis consideratione, nulla ratio cogit: quia David non tantum verbis, sed factis etiam & vitæ ac muneris sui ratione præsignificabat illa quæ spectant ad Christum.

Composita interpretandi ratio est maxime probanda: ita ut quæ hic dicuntur vera quidem sint maxima ex parte de Davide, sed integrum aut perfectum sensum non habeant, nisi præcipue referantur ad Christum Jesum.

Ex occasione hujusmodi locorum Scripturæ, error quidam irrepsit pau-

latim in Ecclesiam, quo multiplici sensu Scripturæ dicuntur interpretandæ: quem quia arcte tenent & acriter defendunt Pontificii, breviter hoc in loco excutere non erit alienum.

Pontificiorum sententia hæc est. Scriptura divina, sæpenumerò saltem, duos continet sensus, literalem sive historicum, & spiritualem sive mysticum; literalis ab iis dicitur ille quem verba immediate præ se ferunt; spiritualis est qui aliò refertur quam ad id quod verba immediate significant.

Porro literalis sensus est duplex, simplex qui consistit in proprietate verborum, & figuratus quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam; spiritualis sensus constituitur ab iis triplex, allegoricus, tropologicus, & anagogicus; allegoricum vocant, cum verba Scripturæ præter literalem sensum, significant aliquid in novo Testamento quod ad Christum vel Ecclesiam pertinet: tropologicum appellant, cum verba vel facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertinet ad mores; anagogicum vocant, cum verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam.

De applicatione hujus commentitiæ distinctionis ad interpretationem sacrarum literarum, partim consentiunt & partim dissentiunt inter se Pontificii Doctores. Consentiunt 1. in eo, quod certum sit secundum fidem, sub una litera varios sensus contineri. 2. Quod sub una litera varii aliquando sensus mystici vel spirituales continentur.

Dissentiunt vero ac disputant inter se. 1. An plures literales sensus continentur aliquando iisdem verbis. Abulensis dicit hoc certum esse secundum fidem. Thomas, & plerique Scholastici rem ita se habere contendunt. Bellarminus non audet hoc affirmare, sed pronuntiat hoc non esse improbabile. Dominicus Bannes tales locos esse raros fatetur: neque satis exploratum esse de ullo loco: temerarium tamen esse judicat hoc ipsum negare.

Disputant 2. An omnes sensus mystici inveniantur in uno & eodem loco; & an omnia gesta dictaque veteris Testamenti sint in aliquo sensu mystico explicanda. Pium esse dicunt omnes, & valde utile ut universa illa quæ in veteri Testamento gesta narrantur ad sensum mysticum convertantur; multi etiam fuerunt inter eos qui singula veteris Testamenti loca ad quadruplicem sensum violenter & ridicule pertrahere sunt conati; neque magis usitatum quidpiam aut magis acceptum in Concionatoribus Pontificiis, quam hunc in modum Scripturas vexare, & miseram plebem quasi vento cibare. Fuit in Hispania Concionator quidam, ut refert Bannes, qui in laudem crucis Christi, universa illa quæ ex ligno facta sunt, quorum in veteri Testamento facta est mentio, figuras Christi fuisse asseruit, etiam hastam Saulis cum scypho, quæ dormientibus servis Saulis, David furatus est ipsi. Non laudat hoc Bannes: sed graviter monet Concionatores omnes, ut si quem novum sensum mysticum inveniant, attendant semper ut vero similia, & rationi consentanea dicant: iisdem fere verbis, quibus callidus aliquis veterator uteretur, si institueret aliquem in arte mentiendi; quid enim potius consilii daret, quam

ut caute agat, si non caste ; ut si non vera, vero tamen similia semper dicat.

Sententiam istam Pontificiam distincte explicasse idem esse videtur atque refutasse. Quod res est tamen apertius adhuc ostendam.

*Primum* argumentum, quo evertitur istud commentum de multiplici sensu est, quod nullum fundamentum habet in ipsis Scripturis.

Profertur à Bellarmino primo unicus locus ex quo colligi dicit hanc sensuum partitionem. 1 Cor. 10. ubi vers. 11. de iis quæ acciderunt Judæis affirmatur, quod *hæc omnia typice evenerunt eis.* Sed de horum verborum sensu prius constare nobis debet, quam ex eis colligere liceat tam multiplicem aliorum locorum sensum. Sensus autem & mens Apostoli hoc in loco longe alia est quam Bellarminus putat. Apparet enim ex vers. 6. quod per typum in istoc capite nihil aliud intellexi Apostolus quam exemplum. *Hæc typi nostri fuerunt ut ne concupiscamus* ; ubi doctissimus Beza nimis videtur dormitasse, non satis attendens ad logicam horum verborum, dum ea sic accipit, quasi Apostolus ibi doceret, sacramenta Israëlitarum nostra sacramenta significasse : cum exempli ratio satis manifeste indicetur illa clausula, *ne concupiscamus* ; eodem sensu 1 Timoth. 4 12. Tit. 2.7. præcipit idem Apostolus, ut Evangelistæ illi, & sic omnes ministri præbeant sese per omnia *typos* bonorum operum.

Tam perspicuum est hoc ex iis quæ antecedunt & sequuntur in illo capite, ut non fugerit scholasticos quosdam Pontificios, qui tamen Scripturas minime solent curare ; sic enim D. Bannes in 1. Thomæ, q. 1. art. 10. *Intelligit Apostolus per hæc omnia, supplicia propter peccata Judæorum ; dicit autem in figura illis contigisse, hoc est, in exemplum nostrum, ut in alieno capite periculum faciamus ; alioqui sicut & illi, qui Dei beneficiis ingrati extiterunt, acriter puniti sunt, ita nos multo justius puniemur, si majoribus receptis beneficiis ingrati fuerimus.*

Proferuntur secundo in loco & a Bellarmino, & ab aliis Pontificiis Doctoribus, varia Scripturæ loca, in quibus eadem literali sensu asseruntur in veteri Testamento, & spirituali tamen ac mystico explicantur in novo : qualia sunt illa, quæ de egressu Israëlitarum ex Ægypto, de transitu maris, de manna, de aqua petræ,, & similibus dicuntur.

Sed respondemus, 1. Tam varium sensum atque illi statuunt, non posse ex istis locis ullo modo probari ; quamvis enim duplex sensus ipsis concedatur, quadruplicem tamen inde non evincent.

2. In quibusdam novi Testamenti locis, ubi novum sensum tradi putant locorum quorundam veteris Testamenti, ubi non statuitur novus sensus, sed verba tantum per analogiam accommodantur ad aliud aliquid explicandum vel illustrandum ; ut Rom. 10.18. *In omnem terram exivit sonus eorum,* &c.

3. Nos non negamus & allegorias multas, id est, continuatas metaphoras, vel imagines rerum expressas verbis ; & typos, id est, imagines rerum expressas rebus, in Scripturis haberi : sed hoc est quod asserimus. 1. Allegoriam æque simplicem habere sensum quamvis tropicum, ac verba

ba propria. 2. Typum & rem typo significatam, non constituere duos varios sensus, proprie loquendo, sed duas partes unius & ejusdem sensus ; quæ enim simul dicuntur de imagine & de persona cujus est imago, non varium sed unum sensum habent. 3. Si duo sint sensus in aliqua narratione typica, tum unus sensus proprie & immediate est verborum, alter vero est rerum non verborum, nisi per accommodationem analogic?m.

*Secundum* argumentum adversus varios istos Scripturæ sensus est, quod nullum fundamentum habet Logica, Grammatica, vel Rhetorica ; quum enim hæ sint artes rationis & orationis, non debet quidquam admitti in rationis vel orationis modo, quod ex illis non potest probari ; neque est quod dicat quisquam hoc esse Scripturæ divinæ proprium, quia Deum habet authorem, (quæ est Bellarmini ratio) Deus enim in Scripturis quamvis de rebus divinis loquatur, loquitur tamen humano modo & more, ut possit ab hominibus capi.

Hac una ratione minus probanda videtur sententia Keckermanni, qui prædicationem illam quæ in Sacramentis usurpatur, neque proprie ad Logicam revocat, neque ad Rhetoricam, sed ad impropriam quandam formam.

*Tertium* argumentum est, quod isti multiplices sensus Scripturam sacram reddunt incertam, atque adeo labefactant ac minuunt ejus authoritatem. Scripturam enim scatere faciunt æquivocationibus. Hoc nomine Porphyrius & Julianus olim Christiani nominis hostes & irrisores, religionis nostræ doctrinam universam conati sunt in contemptum adducere.

*Quartum* argumentum est, quod (fatente Bellarmino) ex solo literali sensu peti debent argumenta efficacia : quia de sensibus mysticis non semper constat an sint à Spiritu sancto intenti. Ex qua concessione sequitur varios hujusmodi sensus non esse sensus : quia neque sensus est Spiritus sancti, qui non intenditur à Spiritu sancto : neque ullus est sensus Spiritus sancti, ex quo colligi non possit firmum argumentum.

Res ipsa sic se habet : Scripturaꝰ quoad sensus rationem, & explicandi modum nulla re differt ab hominum scriptis : nisi quod hic frequentiores typi sint à Deo constituti, ut propria sua qualitate aliam rem exprimant.

Istiusmodi autem typi non sunt pro interpretum arbitrio fingendi : sed tum agnoscendi, cum ex ipsis Scripturis constat intentionem fuisse Dei ut illæ ipsæ res pro typis a nobis accipiantur. Alias quamvis possit historia aliqua Scripturæ per similitudinem continuatam ad aliud aliquid explicandum per occasionem accommodari : non debet tamen ipsa historia tali sensu explicari.

## Psalmus Secundus.

*Quare tumultuantur gentes : & populi meditantur inane ?*

2. *Sistunt se Reges terræ , & proceres consultant simul contra Jehovam, & contra Christum ejus ?*

3. Dicentes, *disrumpamus lora eorum ; & projiciamus a nobis densos funes istorum ?*

4. *Sedens in cælis ridet : Dominus subsannat eos.*

5. *Tunc alloquetur eos in ira sua, & in æstu iræ suæ perturbabit eos :* &c.

## ANALYSIS.

Propositum Prophetæ, hoc in Psalmo, est cohortari omne genus hominum ut subjicerent sese regno Christi. ver. 10, 11, 12. argumenta præcipua quibus hoc suadetur, tria sunt : quorum primum petitur ab adjuncta stultitia conatuum omnium oppositorum. v. 1, 2, 3, 4. & 5. secundum ab efficiente causa, cujus vi hoc regnum Christo defertur, voluntate scilicet ac decreto Dei, ver. 6, 7, 8, 9. tertium petitur ab adjuncto exitio eorum omnium qui contra faciunt, id est, qui semetipsos Christo subjicere nolunt. vers. 12.

Ut vero ordinem à Propheta institutum interpretando sequamur; in argumento primo, quod quinque primis versiculis continetur, proponitur primo descriptio conatuum adversus Christum susceptorum versiculis tribus : & postea demonstratur eorundem stultitia, v. 4. & 5.

Describuntur conatus impiorum. 1. Ab efficientibus causis, *gentibus, populis, regibus*, & *proceribus*, v. 1, 2. ubi per inductionem harum specierum, omne genus, & ordo hominum designatur 2. A partibus conatuum, quæ sunt 1. tumultuari, vel fremere : 2. meditari, vel inire consilia. 3. conjunctis artibus & viribus persequi sua cœpta. 3. Tertia pars descriptionis petitur à subjectis personis adversus quas machinationes istæ omnes parantur, id est, *contra Jehovam, & contra Christum ejus.* 4. Quarta pars est à fine conatibus istis proposito, qui est abdicare Christum suo regno. v. 3. *Disrumpamus lora eorum*, &c.

Demonstratur stultitia horum conatuum, ex eo quod inanes & irriti sint, ut affirmatur versu primo in fine, & probatur v. 4. & 5. 1. Duobus adjunctis modis quibus Deus versatur circa ipsos : quorum prior est *irrisio* : & alter est *ira* ; cujus iræ effectum est eorum *conturbatio* : quod amplificatur, 1. A causa principali, potentia nempe Dei ; qui *sedet in cœlis*. 2. A causa instrumentali, verbo vel alloquio, *alloquetur eos*. 3. Ab adjuncto temporis, *tunc alloquetur*.

### Quæstiones.

I. Quare proponitur hæc impiorum descriptio per interrogationem?

*Resp.* Figuratus iste loquendi modus plurimum facit ad vim & vigorem hujus sententiæ : nam quatuor indicat observanda.

1. Manifestam rei veritatem : quoniam res ipsa non vocatur in dubium,

um, ſed ejus cauſa tantum. 2. Aggravationem hujus impietatis, quæ talis eſt ut omnes pios rapiat merito in admirationem; unde etiam ex abrupto quaſi admirabundus in hunc ſermonem ingreſſus eſt pſaltes. 3. Gravem abnegationem omnis juſtæ rationis vel cauſæ, qua homines impelli poſſint ad iſtum furorem: ita ut aliunde non proveniat quam ab impietate mera. 4. Eventum, quod fruſtra ſint in hac tota machinatione qua regnum Chriſti impugnant: atque adeo ſi ſapiant in tempore ab ea deſiſtere debent. Similis eſt ratio & uſus illius interrogationis, Pſal. 10. 13. *Quamobrem irritat improbus Deum? dicit cum animo ſuo, te non repoſciturum?*

II. Quænam ſunt perſonæ *gentium & populorum* nomine deſignatæ?

*Reſp.* Sicut Pſalmus fere totus & Davidem reſpicit ut typum, & tamen Chriſtum præcipue ut typi illius veritatem, ſic per iſtas gentes ac populos, intelliguntur & Davidis hoſtes tam inteſtini, quam exteri, & præcipue tamen Chriſti & Evangelii ejus hoſtes; ut exſerte docent Apoſtoli omnes uno ore, Act. 4. 27. ubi etiam ita diſtinguere videntur inter gentes & populos, ut gentes ſint ij qui exſortes ſunt fœderis, populi autem ſint Iſraëlitæ.

III. Quare tot verborum congeries adhibetur ad impietatem horum hominum deſcribendam?

*Reſp.* Ut oſtendatur eos omnibus ſuis viribus, ac artibus Chriſti regnum impugnare.

IV. Quare vinculorum & denſorum funium faciunt mentionem?

*Reſp.* Quia vincula & lora ſunt ſigna ſervitutis. Jer. 27. 2, 6, 7.

V. Quis intelligitur per Chriſtum Domini, quem hoſtes iſti impugnabant?

*Reſp.* Sub ratione typi, David intelligitur: ſed in veritate, quæ præcipue ſpectatur, filius Dei, Servator noſter; cujus hoc proprium nomen fuit. Dan. 9. 25. 26. Joh. 1. 42. & 25. Act. 4. 27. ubi obſervandum eſt, ex duobus illis nominibus quæ Redemptori noſtro tribuuntur, *Chriſtus, Jeſus, Chriſtum* denotare ſanctificationem & adoptationem perſonæ, atque adeo fidelibus non tantum typice, ſed etiam vere communicari per participationem, qui idcirco *Chriſtiani* vocantur. Act. 11. 26. 1 Joh. 2. 20. 27. ſed *Jeſum* denotare actum ipſum redemptionis, atque adeo non poſſe hominibus vere communicari: ita ut arrogantia eorum qui ſe *Ieſuitas* appellant, non longe abſit à blaſphemia.

VI. Quare Deus introducitur *ſedens in cœlis?*

*Reſp.* Ut doceamur, 1. Dei gloriam in ſublimi poſitam, eſſe in tuto, ita ut humani impetus nunquam pertingere poſſint ad eam lædendam. 2. Deo ſatis eſſe poteſtatis ad impiorum hominum furores compeſcendos. 3. Deum in ſumma quiete ſpectare, & ſtatuere de inſanis hominum furoribus.

VII. Quo ſenſu *riſus* tribuitur Deo?

*Reſp.* Non proprie, ſed metaphorice, ut ſpes, metus, optatio, deſperatio, &c. illi enim qui iſtiuſmodi humanos affectus proprio ſenſu Deo affingunt, ſunt inter iſtos de quibus hic agitur, qui tumultuantur, fremunt, conſultant contra Jehovam, & ridentur à Deo qui ſedet in cœlis. Irriſio autem Dei arguit homi-

num ridiculam stultitiam, & contemptum Dei, qui exponit eos etiam ludibrio.

VIII. Qualis est sermo qui tribuitur hic Deo?

*Resp.* Non tantum verbalis, sed etiam realis: tota nempe ratio illa, qua Deus hominũ contumaciam increpare, & gloriam suam asserere solet.

IX. Quodnam tempus notatur particula illa, *tunc?*

*Resp.* Tempus opportunum & accommodatum; opportunitates autem statuit Deus in sua ipsius authoritate. Act. 1.7.

### Documenta.

I. Commune hoc est omni hominum generi, à naturæ pravitate, cum primo invitantur ad Christum recipiendum, ut plane opponant sese huic vocationi.

*Ratio* 1. Quia sunt in carne, sunt ipsa caro: caro autem *inimicitia est adversus Deum: legi enim ejus non subjicitur, neque potest quidem,* Rom. 8, 7. Quod adeo verum est in vocandis, ut in ipsis etiam vocatis & regenitis, oppositio & bellum istud ex parte continuetur. *Rom.* 7, 23. *Cerno aliam legem in membris belligerantem adversus legem mentis.* Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt.* 2. Quia vocatio Christi illud imprimis ab hominibus exigit, ut abnegent semetipsos, Matth. 16, 24. suam propriam sapientiam, ut agnoscant se stultos. 1 Cor. 3. 18. suam propriam voluntatem, ut non sint sui juris. 1 Cor. 6. 19. Ab istis autem adeo alieni sunt homines, ut non possint non acriter hujusmodi vocationi repugnare, adeo ut non immerito miraculi instar à quibusdam habeatur, quod eo perducitur quispiam, ut voluntas ejus semetipsam abneget, vel sibimet adversetur: quod tamen in omnibus iis reperitur qui serio convertuntur ad Deum. 3. Quia per istam vocationem ad vitam novam arguitur & condemnatur anteacta vita tota. Joh. 3. 20. *Quisquis quæ mala sunt agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.*

*Usus* 1. *Est institutionis,* ut tota gloria vocationis & salutis nostræ tribuatur Deo soli. Deut. 9. 4, 5, 6, 7, 24. *Nequaquam propter justitiam tuam, aut propter rectum animum tuum,* &c. Sociniani fingunt probitatem quandam, vocationem efficacem antecedentem, rationem esse cur quibusdam potius quam aliis Evangelium prædicetur ad salutem. Remonstrantes etiam non longe absunt ab istoc errore, cum dispositionem quandam ad vitam æternam antecedere docent fidem ex Act. 13. 48. & inde petendam esse rationem contendunt, cur quidam credunt, cum alii non credunt.

2. *Est admonitionis,* ejusque triplicis. 1. Ne nimis conturbemur animis, cum multos videmus opponentes sese religioni veræ. 2. Ne indulgeamus unquam pravitati carnis, sed caveamus nobis sedulo ab ejus reliquiis. 3. Ne ministri accommodent sese in prædicatione Evangelii ad placendum hominibus carnalibus; nunquam enim recte & efficaciter prædicatur Christus, quin improbi inde concitentur ad aliquam oppositionem.

II. Qui opponunt se Christo opponunt sese Jehovæ; ex illis verbis, *contra Jehovam & Christum ejus.*

Quod

Quod intelligendum eſt non ſolum de impugnatione Chriſti in ſua propria perſona, Joh. 5 23. *Qui non honorat filium, non honorat Patrem.* Sed etiam de illa quæ immediate refertur ad Evangelium, ac ejus diſpenſationem, & diſpenſatores fideles, qui munus illud fideliter exercent. Luc. 10. 16. *Qui vos aſpernatur, me aſpernatur : qui vero me aſpernatur, aſpernatur eum qui miſit me.* Sicut 1 Samuel 8, 7. *Non te ſpreverunt ſolum : ſed me ſpreverunt.*

*Ratio.* In hominibus meris, illa unica eſt cauſa, quam vidit & expoſuit Gamaliel, Act. 5. 39. quia reſiſtere functioni a Deo hominibus impoſitæ ac mandatæ, eſt reſiſtere Deo ipſi, vel gigantum more cum Deo ipſo pugnare, θεομαχεῖν. In Chriſto hoc inſuper accedit, quod in eo omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter. Coloſ. 2. 9. qui igitur opponit ſeſe Chriſto, neceſſe eſt ut ſimul etiam opponat ſeſe Deo.

In hominibus autem diſcrimen etiam quoddam eſt obſervandum ; qui enim impugnant aut vexant minimum ex fidelibus qua talis eſt, impugnant etiam Chriſtum & in Chriſto Jehovam, Act. 7, 4. Zachar. 2. 12. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipſius.* Mat. 25, 40, 45. Sed alia & altior eſt ratio in miniſtris & eorum fideli miniſterio; in Sanctis enim impugnatur tantum Imago illa Dei quæ in Sanctitate conſiſtit : ſed in miniſterio, impugnatur etiam ſingularis imago poteſtatis, veritatis & gratiæ illius, quæ & ſanctitatẽ & ſalutem hominibus adfert.

*Uſus eſt admonitionis,* ut caveant ſibi omnes à contemptu & impugnatione Evangelii ac ejus miniſterii ; quia negotium hic habent cum ipſo Deo. Hac admonitione utebatur Heli verſus filios ſuos. 1 Samuel 2, 25. *Si peccaverit vir in virum, judicabit eum magiſtratus : ſed ſi in Jehovam ullus peccat, quis oret illum ?* Similis eſt exaggeratio peccati. Ieſ. 37. 23. *Quem probro affeciſti ac blaſphemaſti ? utique attollis in ſublime oculos tuos contra ſanctum Iſraëlis.* & 57. 8. *Contra quem oblectatis vos? contra quem dilatatis os, protrahitis linguam ?*

III. Regnum Chriſti maxime impugnatur à mundo, ex illis verbis, *diſrumpamus lora, projiciamus funes.* Luc. 19. 14. *Nolumus hunc regnare ſuper nos.*

*Ratio eſt*, quia regnum vel adminiſtratio illa Chriſti, quæ ſpiritualem exigit obedientiam, maxime adverſatur pravis hominum affectibus ; facilius enim externa onera, quamvis gravia & difficilia portatu, feruntur à carnalibus hominibus, qualia Phariſæi olim imponebant ; Mat. 23. 4. & hodie Pontificii, quam ſpiritualis obedientia præſtatur Chriſto ut regi : quamvis piis jugum ejus ſit facile, & onus ejus leve, Matth. 11. 30.

*Uſus* 1. *Eſt inſtitutionis,* ut hinc rectum judicium feramus de contentionibus illis quæ excitantur circa religionem; Prophetia Chriſti à ſuperbis ingeniis aliquando impugnatur : Sacerdotium ab avaris Monachis & Sacrificulis, ad quæſtum ſuum attentis : ſed in omni genere hominum multi ſemper exiſtunt, qui de veritate non contendunt, redemptionem per Chriſtum & juſtificationem per ſolam fidem libenter agnoſcunt, ſed ut vita & mores eorum ad Chriſti normam exigantur non poſſunt ferre : atque eo nomine

minc abhorrent ab ipsa forma disciplinæ; vera causa est, quia nolunt Christum super se regnare. Ecclesiam talem volunt qualis fuit nonnunquam Israelitica, de qua dicitur, Jud. 21. 25. *Temporibus illis non erat rex in Israële: quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat.* 2. *Est admonitionis*, ut hac in parte impiorum quam maxime dissimiles esse studeamus.

IV. Hujusmodi conatus impiorum, adversus regnum Christi, ac Dei, cedunt semper in authorum confusionem, *perturbabit eos.* Job 5, 12, 13, 14. *Qui irritas facit cogitationes astutorum, ut non perficiant manus eorum quicquam: qui deprehendit sapientes in astutia eorum, adeo ut consilium reluctantium præcipitetur.* Exemplum nobile habemus in exstructoribus turris Babylonicæ, Gen. 11, 7. 8, 9. & in Pharaone Exod. 15, 9, 10. *Dixerat: persequar, assequar, dividam prædam*, &c. *Deus flavit vento suo, & operuit eos mare.* Hinc Deus & Christus dicuntur hostibus suis esse in lapidem allisionis, in rupem offensionis, in laqueum, & in tendiculam, Jes. 8, 14. 1 Pet. 2, 7. Matth. 21. 44.

*Ratio.* Tam potens est Deus; *sedet in cœlis; infirmitas Dei validior est quam homines.* 1 Cor. 1. 25. *Deus est ignis consumens*, Heb. 12. 29. coram ejus ira, cum effunditur, nemo consistere potest, Apoc. 6. 17.

*Usus* 1, *Est admonitionis*, ne ambulemus in consilio improborum, Jes. 8, 12. *Ne dicatis conjuratio, in quibuscunque populus iste dicit conjuratio.* Rationem hanc adhibet Apostolus in simili admonitione, 1 Cor. 10, 22. *An provocamus ad æmulationem Dominum? num sumus eo validiores?* 2. *Est consolationis*, adversus omnes terrores quos incutere nobis possint impiorum furores, tandem enim Ecclesia Dei salva, convertentur in eorum confusionem.

V. Certum & opportunum tempus constitutum est hujusmodi Dei judiciis, *tunc alloquetur, tempus visitationis* crebro appellatur in veteri Testamento. Exempla nobilissima sunt Gen. 6. 3. *Dies hominis futuri sunt centum viginti annorum.* & Gen. 15. 16. *Ætate quarta huc reversurus es: non enim completa est iniquitas Emoræi adhuc.*

*Ratio.* Quia quædam temporis momenta sunt aliis aptiora ad justitiam Dei manifestandam.

*Usus est exhortationis*, ad patientem expectationem. Deus enim suo tempore accelerabit. Ies. 6, 22. non retardabit. Jes. 46. 13. Heb. 10. 36. 37.

Vers. 6. Dicet, *atqui ego inungens regem meum, præfeci Tzioni monti sanctitatis meæ.*

7. *Decretum enarrabo: Jehova dixit mihi, filius meus es, ego hodie genui te.*

8. *Pete à me, & donabo gentes in hæreditatem tuam; & fines terræ in jus possessionis tuæ.*

9. *Confringes eos virga ferrea; ut vas figulinum dissipabis eos.*

ANA-

## ANALYSIS.

Continetur iſtis verſiculis argumentum ſecundum illud quo omnibus perſuadetur ut ſubjiciant ſeſe regno Chriſti, petitur autem ab efficiente cauſa, cujus vi hoc regnum Chriſto defertur, voluntate ſcilicet & decreto Dei; hujus argumenti duplex eſt vis & conſequentia, una reſpicit primariam quæſtionem, hunc in modum: Si Deus ipſe ſolemne decretum ſanxit de iſtoc regno in Chriſtum conferendo, tum decet omnes Chriſto ſe ſubjicere; ſed verum prius, ergo, altera confirmat argumentum præcedens, in hanc ſententiam: Si Deus ipſe ſolemne decretum ſanxit de iſtoc regno in Chriſtum conferendo, tum ſtulte & fruſtra ab impiis oppugnatur, ſed verum prius; Ergo. Hoc vero decretum duplici teſtimonio ornatur: nam & Deus introducitur quaſi teſtimonium præbens huic veritati, v. 6. & cum Deo Chriſtus ipſe, ad quem publicatio decreti pertinebat, v. 7. &c.

In teſtimonio Dei proponitur 1. Authoritas Dei oppoſita hominum conſiliis: *atqui ego*. 2. Vocatio quæ per hanc authoritatem in Chriſtum confertur, *inungens regem meum*. 3. Objectum quod præcipue ſpectatur in iſta vocatione, *præfeci Tzioni monti ſanctitatis meæ*.

In teſtimonio & publicatione decreti per Chriſtum facta duo continentur, 1. Deſcriptio perſonæ deſignatæ vel electæ ad regnum iſtud poſſidendum & adminiſtrandum: *Filius meus es, ego hodie genui te.* 2. Deſcriptio regni Chriſto traditi, regnum vero diſcribitur. 1. A cauſa intermedia, quæ plenam hujus regni poſſeſſionem antecedere debet, hæc autem eſt Chriſti interceſſio: *pete à me*. 2. Ab adjuncta conceſſi regni amplitudine: *gentes, & fines terræ.* 3. Ab adjuncta conceſſi regni qualitate, hæreditatis nempe æternæ: *in hæreditatem, in jus poſſeſſionis.* 4. Ab effectis, quæ ſunt ſeveritas judicii in rebelles, quæ per ſimilitudinem illuſtratur: *confringes eos virga ferrea*, , &c. & gratioſa rectio fidelium: quæ non exprimitur, ſed ex conſequente per ſynecdochen intelligitur.

### QUÆSTIONES.

I. Quid ſignificatur per unctionem?

*Reſp.* Vocatio illa Dei quæ aptum Chriſtum reddebat ad ſuum munus obeundum, ſicut oleum reddit corpus habile ad exercitia corporalia.

II. Quare Tzion hic ponitur pro Chriſti regno?

*Reſp.* Qui tam Hieroſolymæ quam templum in illo monte Hieroſolymitano extructum, typi fuerunt eccleſiæ Chriſti, Gal. 4: 26. Heb. 12. 22. Apoc. 14. 1. 21. 2.

III. Quo ſenſu Chriſtus vocatur *filius Dei*?

*Reſp.* Secundum generationem æternam in natura divina, probatur hoc manifeſte Heb. 1. 5. *Cui dixit unquam angelorum, filius meus es tu?* unde argumentum tale colligitur: Si Chriſtus alio & altiore modo ſit filius Dei quam angelorum quiſquam, tum filius eſt per æternam generationem, ſed verum prius; Ergo.

*Obj.* 1. Explicantur hæc verba de Nativitate & Reſurrectione Chriſti in tempore facta, Act. 13. 33.

*Sol.*

*Sol.* Verum hoc est quo ad patefactionem aut manifestationem: sed re ipsa Christum etiam prius extitisse ac filium Dei fuisse æternum ex illis ipsis patefactionibus manifeste apparet; nam 1. In nativitate illa quam Christus habuit in tempore, ille ipse dicitur assumpsisse naturam humanam Heb. 2, 16. & semetipsum hoc pacto exinanivisse, Phil. 2. 7. 2. In resurrectione, Christus semetipsum dicitur suscitasse, Joh. 2. 19. *Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud.* & 10, 18. *Authoritatem habeo animam meam assumendi.* Hoc autem fuit potestatis plane divinæ. 1 Pet. 3. 18.

*Object.* 2. Generari dicitur filius *hodie*, id est, certo quodam tempore, non ab æterno.

*Sol. Hodie* notat tempus demonstrationis, patefactionis, aut declarationis, non primæ generationis; generatio enim fuit ab æterno, sed declaratio in tempore, Rom. 1. 4.

IV. Quomodo communicari potest regnum in tempore illi, qui filius Dei atq; adeo rex fuit ab æterno?

*Resp.* Communicatur ipsi ut mediatori, θεανθρώπῳ, Immanueli, Deo nobiscum, Filio Dei, & Filio hominis.

V. Quare petitio regni hic præscribitur Christo?

*Resp.* Vt significetur. 1. Hoc regnum ex nullius arbitrio pendere, nisi Dei solius. 2. Intercessionem & satisfactionem antecessuram plenam hujus regni possessionem.

VI. Qua ratione fit, quod severitatis tantum fit mentio in administratione regni Christi v. 9.?

*Resp.* Quia hæc oratio præcipue dirigitur ad infideles & immorigeros.

DOCUMENTA.

I. Decreta Dei sunt immutabiliter certa & firma; *atqui ego decretum enarrabo*, ubi *hoc*, decretum Hebraice idem sonat quod *statutum*, aut *lex constituta*, ejusdem naturæ cum statutis Medorum & Persarum, quæ non potuerunt mutari. Dan. 6. 16. Numb. 23. 23. Psalm. 33. 11. Ies. 14. 27. Hebr. 6. 11. Ad istum locum accommodatissime Prov. 19. 21. *Multæ sunt cogitationes, sed consilium Jehovæ surget.*

*Ratio.* Quia consilium vel decretum nullum fit irritum, nisi vel novi aliquid occurrat antea non prævisum, vel sequatur voluntatis aliqua mutatio, vel potentia desit illi qui decrevit, propositum suum perficiendi: sed nihil horum attribui potest Deo: quoniam aliena sunt plane ab ejus perfectione.

*Usus* 1. *Est consolationis* erga fideles: quia Deus ipsis ex decreto paravit æternam fœlicitatem. Mat 25. 34. 2. Est terroris adversus impios in impœnitentia sua persistentes: quoniam ipsis parata est æterna miseria eodem decreto. Mat. 25. 41.

II. Decreto Dei sancitum est Christum habiturum regnum vel Ecclesiam in terris ad finem usque mundi.

*Ratio.* Quia etiam de ipsis passerculis & herba agri constituit Deus omnia, Mat. 6. 30. Luc. 12. 6, 28.

*Usus* 1. *Refutationis* adversus Socinianos & Remonstrantes, qui in hominum arbitrio & potestate ponunt, utrum Christus habiturus sit Ecclesiam ac regnum in terris, necne. 2. Est *consolationis* adversus omnes furores impiorum, qui Ecclesiam Christi evertere student.

Matth. 16. 18. *Portæ inferorum non ſuperabunt Eccleſiam.*

III. Chriſtus qua filius eſt Dei, conſtituitur rex & caput Eccleſiæ.

*Ratio.* Quia divina plane eſt hæc poteſtas, & ſpiritualis magis quam creatio & gubernatio cœli ac terræ.

*Uſus* 1. Eſt *refutationis* adverſus blaſphemiam illam Pontificiorum, qui Pontifices Romanos volunt eſſe Eccleſiæ capita: qui tamen ſemper ſunt homines mortales & plerunque ſcelerari. 2. Eſt *conſolationis* erga fideles, qui tam potentem habent regem & protectorem.

IV. Chriſti regnum longe lateque propagandum eſt per omnes fines terræ. Jeſ. 49. 6.

*Ratio.* Quia Deus vult ab omni gente laudari, Apoc. 5., 9. & 7, 9.

*Uſus* 1. *Inſtitutionis*, expectandam nempe adhuc majorem amplitudinem regni Chriſti, quam adhuc videmus 2. *Exhortationis*, ut omnem operam demus, augendo & promovendo Chriſti regno; omnes fideles nonnihil poſſunt huc conferre: preces ſaltem & exemplum bonum, ſi nihil ultra; *qui non congregat mecum, ſpargit*, Matth. 12. 30.

V. Regnum iſtud Chriſti ſicut piis adfert ſalutem, ſic impiis cedit in perditionem, 1 Pet. 2. 7. Apo. 2. 27. & 12. 5. & 19, 15.

*Ratio.* Quia regnum ejus non eſſet perfectum, niſi omnes haberet ſibi aliquo modo ſubjectos. 1 Cor. 15. 25.

*Uſus* 1. *Conſolationis* erga pios tam reſpectu fœlicitatis ipſis obventuræ, quam reſpectu hoſtium ſuo tempore ſubigendorum.

2. *Eſt admonitionis*, ut eligeremus potius voluntarie ſubjicere nos Chriſti regno ad ſalutem, quam ab ipſo contra voluntatem ſubigi, ad perniciem.

Verſe 10. *Nunc ergo Reges animadvertite; eruditionem percipite, ô judices terræ.*

11. *Colite Jehovam cum reverentia; & exultate cum tremore.*

12. *Oſculamini filium,* ———

## ANALYSIS.

Continent hæc verba quæſtionem & concluſionem primariam totius Pſalmi, ſub forma cohortationis per apoſtrophen adhibitæ, & ex antegreſſa ſuaſione deductæ.

In exhortatione iſta declaratur 1. Officium illud ad quod vocat & excitat Deus. 2. Perſonæ quæ vocantur ad illud præſtandum. 3. Temporis circumſtantia in quo officium illud ab iſtis perſonis eſt exercendum.

Officium explicatur. 1. Generaliter per illud quod eſt principiū omnis officii & obſervantiæ, *animadvertite, eruditionem percipite.* 2. Specialiter per actum ipſum qui præcipue requiritur, *colite Iehovam.* 3. Per modum huic actui convenientē, *cum reverentia: cum tremore.* 4. Per ſolemnem profeſſionem quæ actum illum comitari debet, *oſculamini filium.*

Perſonæ quæ provocantur ad hoc officium, ſunt *Reges & Judices terræ*, id eſt, per Synecdochen, omnes hominum ordines. Temporis circumſtantia eſt præſens occaſio, *nunc ergo.*

QUÆST.

QVÆSTIONES.

I. Quare primo ad intelligentiam & eruditionem percipiendam?

*Resp.* 1. Quia homines impii sunt insipientes, & extra se, atque adeo debent imprimis ad sanam mentem redire, antequam bene se gerere possint. Luc. 15.17. *Quum autem ad se rediisset.* 2. Quia intelligentia recta est adeo necessaria ad officia spiritualia, ut sine illa neque præstari possint, neque si alia aliqua ratione præstentur, grata sint Deo; *zelum Dei habent, sed non ex notitia.* Rom. 10. 2. 3. Quia promptitudo voluntatis ad intelligentiam & eruditionem percipiendam, est initium obedientiæ. Hebr. 13. 22. *Sufferte sermones exhortationis.* Jer. 35. 13. *An non percepturi estis eruditionem?*

II. Quale est officium hoc quod verbo colendi explicatur?

*Resp.* Est officium religionis: religio autem est prima pars observantiæ, qua debitum honorem Deo deferimus; vocatur etiam eodem sensu, pietas, sanctitas, cultus, & per synechdochen, charitas erga Deum; hoc autem officium nominatur loco omnium: quia & præcipua pars est obedientiæ, & causa procreans est cæterorum omnium officiorum.

Hic autem observandum illud occurrit, inanem & ab hominibus excogitatam esse distinctionem illam Pontificiam, qua distinguunt religiosum cultum in *latreiam*; & *douleiam*, ita ut latreia sola proprie debeatur Deo; hic enim in textu verbum illud adhibetur quod proprie δουλείαν vel servitium denotat, עִבְדוּ.

III. Quare *osculatio* ponitur pro cultus hujus professione?

*Resp.* 1. Quia fuit olim symbolum subjectionis & honoris erga Dominos. Genes. 41.40. *Tu praeris domui meæ, & ad os te osculabitur universus populus meus.* 1 Sam. 10.1. 2. Quia fuit apud priscos, cum certo modo præstabatur insigne testimonium religiosæ subjectionis. 1 Reg. 19.18. Hos. 13.2. Job. 31.27. 3. Quia gestus iste ex natura sua aptissimus est ad intimum animi affectum exprimendum, quoniam unionem quandam spirituum vel animarum præ se fert, quæ est proprium effectum amoris vel charitatis: unde *charitatis osculum* appellatur. 1 Pet. 5.14.

IV. Quare Reges & Judices præcipue appellantur in hac exhortatione?

*Resp.* 1. Quia difficilius moventur ad subjectionem, propter fastum illum quo turgent. Jerem. 5.5. *Ibo ad magnates: sed ipsi fregerunt jugum, diruperunt vincula.* Jer 13. 15. *Audite, & auribus percipite; ne exaltetis vos.* 2. Ut efficacius indicaretur vulgo hominum, hanc exhortationem ad ipsos pertinere, cum Reges & Judices illa tenentur. 3. Quia Regibus & Judicibus præeuntibus, facilius flectitur plebs inferior, eorum exemplo & authoritate.

V. Quomodo potest timor & tremor cum exultatione conjungi in cultu Dei.

*Resp.* Timor & tremor non denotant pavorem illum qui ex dubitatione & diffidentia nascitur: sed animi submissionem, reverentiam & solicitudinem summam; sic Philip. 2. 12. 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 7. 15. Ephes.

Ephes. 6. 5. explicationem habemus. Hebr. 12. 28. *Teneamus gratiam per quam ita colamus Deum ut ei grati simus cum verecundia & reverentia.* Hujusmodi vero timor optime consistit cum gaudio summo. Matth. 28. 8.

VI. Quodnam est tempus quod hic intelligitur per *nunc?*

*Resp.* Tempus præsens. Hebr. 3. 15. *Dum dicitur hodie.*

DOCUMENTA.

I. Principium conversionis est, cum quis serio applicat animum ad percipiendam instructionem Dei; *animadvertite eruditionem percipiendam.* Act. 13. *Sergius Paulus vir intelligens, expetivit audire sermonem Dei.*

*Ratio* 1. Quia primus gradus est transitionis à Dominio, quod peccatum exercet in impios, ad subjectionem veram erga Deum; impii enim odio quodam feruntur adversus instructionem. Psalm. 50. 17. *Cum tu oderis disciplinam, & projeceris verba mea post te.* Prov. 2. 29. 30. *Oderunt scientiam: contempserunt correctionem.* Pii autem diligunt sapientiam. Pro. 4. 6. & 7. 4. 2. Quia signum hoc sæpe est, aliquod semen pietatis in ejus corde latere, qui avide quærit alimentum pietatis. 1 Pet. 2. 2. *Ut modo geniti infantes, lac illud sermonis synceri expetite, ut per illud augescatis.*

*Usus* 1. *Est condemnationis,* adversus eos, qui alieni sunt ab instructione. Hebr. 2. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem.* 2. *Est cohortationis & admonitionis,* ut conservemus in cordibus nostris affectum istum erga verbum Dei. 2 Thess. 2. 10. Seducti sunt & pereunt, *propterea quod amorem veritatis non receperunt.* Proverbiorum decem capita priora tota fere consumuntur in hac admonitione & exhortatione.

II. Instructio cum fructu non percipitur, nisi cum applicatur, & ad praxin revocatur; *eruditionem percipite, colite.* Deut. 4. 6. *Observate & facite: nam hæc est sapientia & prudentia vestra.*

*Ratio.* Quia finis instructionis & Theologiæ totius in eo consistit.

*Usus exhortationis,* ut studeamus magis huic applicationi ad praxin. Prov. 3. 3. & 6. 21. *alliga faucibus, inscribe tabulæ cordis tui.*

III. Præcipua pars praxeos quam instructio divina spectat, est verus cultus Dei. Prov. 1. 7. *Reverentia Jehova est caput sapientiæ.*

*Ratio* 1. Quia directe tribuit honorem Deo: unde gloria Dei. 2. Quia unionem & communionem nostram cum Deo promovet: unde nostra vita & beatitudo. 3. Quia fundamentum ponit omnis viæ bonæ, & vitæ honestæ.

*Usus exhortationis,* ad serium studium cultus Dei.

IV. Cultus Dei non tantum est privatim præstandus, sed etiam solemni professione est testificandus. Rom. 10. 10. *Fit ore professio ad salutem.* Hebr. 4. 14. *Retineamus hanc professionem;* & 10. 23. *Retineamus hanc professionem non vacillantem.* 1 Pet. 3. 15. *Sanctificate Dominum in cordibus vestris; estote autem semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei, quæ in vobis est* Phil. 2. 16. *Sermonem vitæ prætendentes.* Rom. 1. 16. *Non me pudet Evangelij Christi.* 2 Tim. 1. 12. *Non pudescio,* Mark. 8. 38. *Quemcunque*

que

*quę puduerit mei ac meorum sermonum in gente ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus* &c.

*Ratio* 1. Quia vocantur homines ad Deum glorificandum etiam externa conversatione. Matth. 5. 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum.* 1 Pet. 2. 11, 12. *Conversationem vestram honestam habete, ut ex bonis operibus quæ spectarint, glorificent Deum die visitationis.* 2. Quia vocamur etiam ad proximos ædificandos. 3. Quia professionis detractatio homines præfert Deo. Marc. 8. 38. Joh. 7. 13.

*Usus* 1. *Reprehensionis*, adversus eos, qui Christiani volunt haberi, & tamen in conversatione sua nihil minus præ se ferunt, quam cultum Dei & Christi. 2. *Exhortationis*, ut excitemus nosmetipsos magis magisque ad solidam ac seriam professionem.

QUÆSTIONES.

I. Qua in re consistit hæc professio?

*Resp.* Non in verbis tantum, sed in externa illa manifestatione tota religionis veræ, quæ ipsius naturæ convenit.

II. An illi qui impie vivunt, si verbis approbant veritatem, habendi sint pro professoribus religionis?

*Resp.* Si contumaciter persistant in impietate, non sunt habendi pro professoribus religionis. 2 Tim. 3. 5. *Habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegant, istos aversare.*

III. An hæc professio semper sit necessaria?

*Resp.* 1. Necessarium semper est abstinere ab iis verbis & factis quæ pugnant cum religione vera. 2 Necessarium est professionem hanc positive facere, cum honor Dei aut utilitas proximi hoc videtur postulare. 3. Istiusmodi occasiones non tantum expectare debemus, sed etiam quærere.

Vers. 12. —— *ne pereatis in via; quum exarserit vel minimum ira ejus, beati qui confidunt in ipsum.*

## ANALYSIS.

SIc primariam Psalmi quæstionem conclusam & probatam habemus argumentis duobus: quorum primum fuit à stultitia conatuum oppositorum: secundum à certo Dei decreto, quo potestas hæc est Christo delata: superest jam tertium argumentum ab adjuncto exitio eorum omnium qui Christo obsistunt. Exitium hoc illustratur. 1. Ab adjuncto, quod erit subitaneum, & inopinatum: *ne pereatis in via.* 2. Ab efficiente causa: justissima scilicet ira Christi. 3. A collatione parium oppositorum: *beati qui confidunt in ipsum;* ubi talis ratio innuitur: Si illi qui Christo se subjiciunt erunt beati: tum qui obsistunt Christo, erunt miseri; sed verum prius; ergo.

In assumptione, per synecdochen, præcipua pars subjectionis *fiducia* ponitur pro tota & integra obedientia.

QUÆSTIONES.

I. Qualis perditio hic intelligitur?

Resp.

*Resp.* Tam animæ quam corporis; illa enim perditio notatur, quæ proprie opponitur beatitudini, ut ex collatione illa quæ explicationis causa adhibetur, satis apparet.

II. Quid intelligitur per interitum in via vel de via?

*Resp.* In medio cursu, citius opinione, præter exspectationem.

III. Cujus ira constituitur hujus exitii causa?

*Resp.* Christi: sicut apparet ex collatione v. 9. ubi hæc ipsa potestas tribuitur ipsi: *confringes ipsos virga ferrea, ut vas filiginum dissipabis eos.*

IV. Quis est ad quem recipere se debent homines?

*Resp.* Christus: sicut apparet ex collatione principii & finis hujus versiculi: nam *osculari filium*, & recipere se ad ipsum, eodem sensu ponuntur.

V. Quid est recipere se ad Christum?

*Resp.* Est credere, sperare, confidere in ipsum, ut per illum protegatur, & sit in tuto. Psalm. 14. 6. & 64. 11.

DOCUMENTUM UNICUM.

Christus est verus Deus: idem ille Jehova, qui fuit Deus Israelis. Rationes in textu tres habentur efficacissimæ.

*Ratio* 1. Christus est colendus cultu religioso, *osculamini filium*; hoc autem convenit soli Deo, teste Christo, Matth 4.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* 2. Christus habet potestatem vitæ ac mortis æternæ. Hoc autem soli Deo convenit, Luc. 12.5. *Metuite eum, qui authoritatem habet conjiciendi in gehennam.* Jac. 4.12. *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere.* 3. In Christum credere & confidere debemus, ad beatitudinem ac vitam æternam. Hoc autem proprium est Dei. Jer. 17. 5. *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine.*

Quod respondeant hic nihil habent hæretici, nisi hic omnia Christo competere secundario, non primario.

Quamvis autem hæc responsio valere possit adversus Pontificios qui creaturas colunt cultu religioso, quorum idololatria hoc ipso nomine magis est detestanda, quia blasphemos hæreticos confirmat in impieate sua; adversus veritatem tamen nihil valet. Nam 1. Deus est Deus zelotes. Exod. 20. 5.& gloriam suam alteri non dabit. Jes. 42.8. 2. Nulla creatura mera capax est illius perfectionis quæ requiritur in eo qui potestatem habet vitæ ac mortis spiritualis. Requiritur enim, ut sit omniscius, intelligens omnia quæ sunt in cordibus omnium hominum: ut sit omnipræsens, distribuens omnibus ubique secundum opera ipsorum: ut sit omnipotens, facile præstans maxima quæque, etiam in spiritualibus: denique ut in ejus arbitrio sit gratia & justitia Dei ipsius.

*Usus* 1. *Refutationis*, ac *damnationis*, adversus blasphemias hæreticorum. 2. *Admonitionis*, ut caveant sibi omnes ne opponant sese Christo. 3. *Consolationis*, erga fideles, qui talem habent Servatorem. 4. *Exhortationis*, ut cum omni alacritate animi, invocemus Deum in Christo, & pendeamus ex eo toti.

PSAL.

## Psalmus Tertius.

*Psalmus Davidis*, quem cecinit *quum fugeret metu Abschalomi filii sui.*
2. *Jehova, quam multi sunt hostes mei*; quam *multi insurgunt contra me!*
3. Quam *multi dicunt de anima mea, non est ulla salus isti in Deo plane!*
4. *At tu Jehova clypeus* es *circa me*; *gloria mea, & extollens caput meum.*
5. *Voce mea ad Jehovam clamanti respondit mihi è monte sanctitatis suæ maxime.*
6. *Ego cubui & dormivi, expergefeci me*; *quia Jehova sustentat me.*
7. *Non timebo à myriadibus populi*; *quas circum disposuerint* metatores *contra me.*
8. *Surge Jehova, & serva me Deus mi, qui percussisti omnes inimicos meos in maxillam*; *dentes improborum confregisti.*
9. *Jehova est salus*; *super populum tuum* sit *benedictio tua maxime.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Psalmi generaliter proponitur v. 8. ut Deus liberare vellet Davidem à maximo periculo quod imminebat ipsi à suis inimicis; specialiter explicatur in ipso titulo: quo periculum istud ostenditur conjurationem fuisse Abschalomi, cujus historia exstat, 2 Sam. 15. 16, 17. Propositum hoc urgetur à Propheta quatuor præcipue argumentis. Primum petitur ab adjuncto fidei, ac fiduciæ qua recumbebat in Deo v. 4.

Secundum principale argumentum petitur à comparatione parium, liberationis nempe ante præstitæ, (quam experientiæ suæ testimonio confirmat) & illius quæ jam expectebatur, v. 8. parte posteriore.

Tertium argumentum petitur ab adjuncta potentia Dei, cujus proprium est servare. v. 9. in principio. *Jehova est salus.*

Quartum argumentum petitur à fine & fructu qui ex hac liberatione secuturus erat; benedictio scilicet in populum, v. 9. in fine; *super populum tuum benedictio tua.*

*Primum* argumentum ita concluditur. Qui fiduciam habent in Deo collocatam, illi à Deo accipient liberationem, sed ego fiduciam habeo in Deo collocatam; ergo, ego ab ipso accipiam liberationem. Propositio nititur certissimo Dei testimonio vel promissione, qua fidem suam interposuit de salute & liberatione talium.

Assumptio v. 4. figurate explicatur tribus gradibus. 1. Jehova fuit *clipeus ejus*, id est, defensio à malis: 2. *gloria ejus*, id est, prolixus bonorum communicator: 3. *Extollens caput*, id est, utriusque beneficii confirmator ad optatam usque perfectionem.

Assumptio ista (quia maximam vim habet ad consolationem firmam) triplici ratione illustratur. 1. A diversis ver. 2. & 3. hoc sensu: quamvis incredibilis sit multitudo hostium, qui me oppugnant, ô Jehova

tamen ego omni fiducia in te aquiesco. Ubi oppugnatio hostium quatuor gradibus explicatur. 1. A multitudine cum admiratione notata; *quam multi?* 2 Angustia ipsum afficiunt. 3. Quod faciunt hoc cum insurrectione. 4. Quod insultationem adjungunt, qua non solum Davidem, sed Deum ipsum sermone blasphemo petunt.

Secunda illustratio fidei ac fiduciæ quam David erga Deum profitetur, est ab ejus causa efficiente, experientia scilicet, quam habuit opis & auxilii divini temporibus antegressis, v. 5. 6. in hunc sensum: tu mihi antehac ô Jehova, opem semper præstitisti: idcirco jam cum fiducia certa ad te confugio. Hæc vero experientia auxilii divini illustratur. 1. Causa ejus ministrante, precibus nempe Davidis, v. 5. 2. Ab ejus effecto, tranquillitate nempe animi, quæ suis effectis indicatur, v. 6. & illustratur etiam efficiente causa principali, sustentatione scilicet Dei, v. 6. in fine

Tertia illustratio præsentis fiduciæ est à comparatis v. 7. in hanc sententiam: Si hostes mei multo plures essent quam sunt, & me etiam circumquaque conclusum tenerent, meam tamen fiduciam quam habeo in Deum non abjicerem: multo minus abjiciam nunc cum minor est numerus hostium, & ego ab ipsis nondum sum plane circumventus.

*Secundum* argumentum principale ita concluditur v. 8. Si tu antehac fregisti impetus ac vires hostium meorum, tu jam itidem id facies: quoniam idem es Jehova, & pariter Deus meus; sed verum prius; ergo.

*Tertium* argumentum principale ita concluditur v. 9. Si Jehova potest servare, tum certe servabit me qui in ipsum spero; sed verum prius; ergo.

*Quartum* argumentum principale ita concluditur v. 9. in fine. Si liberatio mihi præstita benedictio erit in populũ Dei, tum Deus proculdubio me liberabit; sed verum prius; ergo.

## QUÆSTIONES.

I. Cum Abshalomis rebellio fuit pœna gravissimi peccati à Davide ante patrati, sicut apparet 2 Sam. 12. 11. quare nulla in hoc Psalmo confessio, humiliatio & remissionis imploratio exprimitur?

*Resp.* 1. Quia David antea seriam pœnitentiam egerat sui peccati, impetraverat veniam, & pacem sibi apud Deum confirmaverat; ut apparet 2 Sam. 12. 13. & ex Psalm. 51. 2. Quia hostes Davidis nullam rationem habuerunt peccati ac meriti Davidis, sed suarum tantum cupiditatum. 3. Quia illa pars precationum exprimitur sola, quæ pertinet ad causam quam cum hostibus habuit agendam: non illa quæ Deum ipsum spectabat.

II. Quare jam præcipue de multitudine hostium conqueritur David?

*Resp.* Quia conjuratio fuit maxima, populo indesinenter augescente. 2 Sam. 15. 12. congregabatur enim populus à Dane usque ad Beershebahum, sicut arena quæ est ad mare in multitudinem: secundum consilium Cushai. 2 Sam. 17. 11.

III. Quæ ratio est hujus phraseos, *dicunt animæ meæ*.

*Resp.* Significare voluit David animam quasi transfixam & sauciatam fuisse hostium insultationibus talibus, qualis fuit illa Chimei, 2 Sam. 16. 7, 8.

IV. Quæ ratio est quod preces

audiri dicuntur *è monte sanctitatis*, id est, è Tzione?

*Resp.* Quia locus ille fuit typus Ecclesiæ: & Ecclesia est quasi depositoria paternæ beneficentiæ Dei: ita ut ex Ecclesia bonitas Dei recte dicatur provenire, quia communicatur virtute illius fœderis gratiosi, cujus particeps est Ecclesia.

V. Quæ ratio est illius phraseos, *surge & serva?*

*Resp.* Quia in salute fidelium illustratur gloria Dei, quasi oriens ex alto. Luc. 1. 78. 79.

VI. Quæ mens est loquutionum illarum proverbialium, *percutere maxillam, confringere dentes?*

*Resp.* Priore phrasi notatur probrosa hostium exagitatio. 1 Reg. 22. 24. Job. 16. 10. Lam. 3. 30. Mic. 5. 1. Mat. 3, 39. posteriore demonstratur eorum debilitatio, quod exarmentur illis viribus quibus populo Dei nocere solent. Psal. 58. 7.

VII. Quis usus est illius clausulæ, *sola?*

*Resp.* Significat hæc vocula elevationem aut exaltationem; notabat igitur olim exaltationem vocis in modulatione musica; quia vero musica sacra convenientiam habuit cum rebus subjectis, idcirco notat etiam elevationem quandam sensus, una cum affectibus animi congruis: ita ut non inepte dicatur interjectio, *asseverationi, exaggerationi, admirationi*, & *exultationi* deserviens.

DOCUMENTA.

I. Multi sæpe sunt hostes fidelium.

*Ratio.* Quia mundus totus jacet in malo. 1 Joh. 5. 19.

*Usus admonitionis*, ne quis aliud expectet, aut nimis conturbetur animo cum hoc accidit. Mat. 5. 11, 12.

II. Dei protectio sufficit adversus omnia pericula. Rom. 8. 31. 2 Reg. 6. 16, 17.

*Ratio.* Quia Deus est omnipotens.

*Usus exhortationis* ut fiduciam nostram collocemus & confirmemus in Deo, præcipue vero cum animi nostri cum gravioribus tentationibus confliguntur.

III. Fiducia nostra in Deum confirmatur meditatione pia de natura Dei, & recordatione experientiæ illius quam habuimus ejus benignitatis. 1 Sam. 17. 36, 37.

*Ratio.* Quia fiduciæ objectum hoc pacto magis efficaciter repræsentatur animis.

*Usus exhortationis*, ut simus frequentes in hujusmodi exercitiis.

IV. Vera fiducia exerit & ostendit semetipsam in precibus efficacibus, Rom. 10. 14

*Ratio.* Quia oratio pia est actus fiduciæ.

*Usus damnationis*, adversus eos qui fideles volunt haberi, & preces tamen parum aut nihil curant.

V. In precibus nostris non solos nosipsos spectare debemus, sed etiam populum Dei; *benedictio tua in populum.*

*Ratio.* Quia in ista communione sanctorum, gloria dei promovetur.

*Usus increpationis*, adversus illos, qui sua tantum quærunt.

## PSALMUS QUARTUS.

M*Agistro Symphoniæ fidium, Psalmus Davidis.*

2 *Responde mihi cum te invocem, ô Deus justitiæ meæ, in angusto dilatasti mihi* locum : *gratiosus esto mihi, & exaudi orationem meam.*

## ANALYSIS.

PRopositum hujus Psalmi est, ut David in molestiis, periculis ipsi ab hostibus per injuriam creatis certam illam fiduciam ostenderet quam habuit in Deo & ejus præsidio.

Hanc autem fiduciam suam ostendit triplici ratione, id est, tribus effectis fiduciæ veræ. 1. Generali deprecatione periculi quod imminebat, v. 2. 2. Gravi suorum hostium institutione, à v. 3, 4, 5, 6. 3. Solenni professione dependentiæ suæ à Deo, v. 7, 8, & 9.

Deprecatio v. 2. proponitur simul & argumentis urgetur ; proponitur tantum generaliter, sed ita ut sub illa generali forma, synectochicῶs intelligatur specialium eorum periculorum & injuriarum depulsio, quibus tum temporis maxime premebatur. Proponitur autem 1. Simpliciter ut Deus audiret invocantem : *responde mihi cum te invocem.* 2. Ita proponitur ut explicetur simul causa illa summa vel fons ac principium, a quo benedictionem istam expectabat : id est, *gratia Dei gratiosus esto mihi.* 3 Ita proponitur ut explicetur etiam specialis modus & precationis exhibitæ, & responsionis optatæ; *audi orationem meam* ; ubi hebræum orationis nomen תפלתי significat proprie petitionem illius qui implorat fidem ac majestatem judicis atque adeo auditio illa est intelligenda quæ vindicias habet causæ & assertionem innocentiæ.

Argumenta quibus urgetur hæc deprecatio, tria sunt. *Primum* desumitur à singulari Dei munere, quo proprium ipsius est ut sit *judex & vindex innocentiæ; ô Deus justitiæ meæ*; ubi simul etiam protestatio innocentiæ suæ fit a Davide : ita ut vis consequentiæ sit hujusmodi, si tu sis vindex omnium innocentium ac justitiæ, & ego sum justus, tum vocanti mihi respondere debes hoc tempore ; sed verum prius ; ergo.

*Secundum* argumentum est a præsenti actu Davidis, quod religiose Deum invocat ; *invocanti responde : exaudi orationem* ; hujus autem argumenti consequentia pendet ex illa connexione, quæ vi promissionis ac fœderis divini intercedit inter pias nostras preces, & exauditionem Dei ; *si invocas respondebo*, dicit Deus : *sed ego invoco*, assumit propheta : ergo responde.

*Tertium* argumentum deprecationis institutæ est à comparatione parium : liberationis nempe antea a Deo acceptæ, & illius quam jam expetebat; *in angusto dilatasti mihi*; hujus argumenti consequentia pendet ex constantia & immutabilitate Dei, quæ vias ejus priores ac posteriores sui similes semper facit; si antehac liberationem ac salutem largitus es mihi, nunc etiam largire ; sed antehac ita fecisti ; ergo.

QUÆSTIONES.

I. Quid Psalmi titulo indicatur?

*Resp.* Nihil aliud quod à nobis certo ad ædificationem intelligi potest, quam Davidem fuisse authorem hujus Psalmi, & ab ipso traditum fuisse præstantissimo symphoniæ magistro, ut præstantissimo modo & summa cura cantaretur.

II. Quo tempore fuit hic Psalmus à Davide conscriptus?

*Resp.* Antequam ad regnum pervenerat, cum à Saulis agnatis, & reliquis aulicis, contemnebatur, & infestabatur: ut apparet ex v. 5.

III. Quare petitionem suam generaliter tantum explicat?

*Resp.* Quia de Dei favore maxime fuit sollicitus: & particularia omnino necessaria continebantur in precatione ista generali, una cum humili animi subjectione erga Dei voluntatem.

IV. Quid est quod petitur istis verbis, *responde mihi vocanti?*

*Resp.* Manifestatio acceptionis divinæ quoad petitionem ac desideria Davidis: hæc vero manifestatio partim fit intus in corde precantis per Spiritum Dei, & partim foris, tam per opus aut eventum exoptatum, quam per ejus media & certa signa.

V. Quare gratiæ fit mentio in hac petitione?

*Resp.* Non tantum quia gratia est fons omnium benedictionum, sed etiam quia ipsa per se sufficit fidelibus ad amicos eorum sustentandos, 2 Cor. 12 19.

VI. Quænam est justitia illa quæ à Davide hic commemoratur?

*Resp.* Non perfecta illa & universalis justitia, qua coram Deo consistebat ad vitam: sed singularis illa justitia causæ, cujus Deus rationem habiturus erat in ista controversia dijudicanda.

VII. Quid sibi vult illa phrasis, *in angustia dilatasti mihi?*

*Resp.* Est proverbiale genus loquendi, actum illum notans quo pressus & in actum coactus alterius ope expeditur.

VIII. Quare toties repetit hanc unam petitionem?

*Resp.* Ut & gravitatem rei de qua agitur, & precationis ardorem indicaret.

DOCUMENTA.

I. Oratio Deo grata & prævalens debet esse fidens, frequens, fervens & constans: conditiones istæ omnes exprimuntur in modo deprecandi quo utitur David. v. 2. fiducia ex eo quod Deum appellat *justitiæ suæ Deum:* frequentia, quod toties iterat petitionem & sæpius etiam alias inculcatam fuisse innuit, cum auditionem toties exposcit: fervor, quod tantos affectus exprimit ingeminando sua vota: constantia, quod non satis habet sæpius à Deo rogâsse opem, sed redit ad ipsum denuo & instat ut responsum gratiosum tandem accipiat. Fiducia exigitur Jac. 1. 6. frequentia, 1. Thess. 5. 17. fervor, Jac. 5. 16. constantia, Luc. 28. 1.

*Ratio.* Quia oratio pia debet ex toto corde & tota anima provenire.

*Usus* 1. *Institutionis* rem non levem aut facilem esse recte Deum invocare. 2. *Reprehensionis* adversus eos qui negligenter & perfunctorie solent suas preces transigere. 3. *Exhortationis*, ut exerceamus nosmet-ipsos ad ire precandum.

II. Magna est Dei gratia quod preces

preces noſtras exaudit, *gratioſus eſto & audi.*

*Ratio.* 1. Quia in precibus nihil eſt dignitatis, ſunt enim imperfectæ. 2. Quia peccata noſtra merentur contrarium. 3. Quia tanta eſt Dei majeſtas, ut quaſi dimittere ſemet videatur, cum ad preces noſtras deſcendit.

*Uſus* 1. *Inſtitutionis*, ut gratiæ Dei omnia tribuamus circa preces noſtras, neque aliud quidquam ante oculos habeamus cum precamur, ex gratia eſt quod oratio fit medium ordinatum quo benedictionum Dei participes fiamus; ex gratia eſt quod intelligimus quid aut quomodo debemus precari; ex gratia eſt quod Spiritus in nobis excitat affectus illos pios qui ſunt ad preces neceſſarii, ex gratia eſt quod permanent iſti affectus, & non ſtatim evaneſcunt, ex gratia eſt denique, quod preces noſtræ quamvis maxime piæ coram Deo acceptantur.

2. *Exhortationis*, ut proſequamur ſemper preces noſtras, aliis precibus iſtis reflexis, quibus preces ipſas Dei gratiæ commendemus.

III. Ut preces noſtræ ſint Deo gratæ requiritur juſtitia conſcientiæ bonæ, *ô Deus juſtitiæ meæ*, Hebr. 10, 22.. Prov. 28. 9.

*Ratio* 1. Quia ſine iſtiuſmodi conſcientia, preces non poſſunt eſſe piæ, quia cor adhærens peccato, non poteſt ſyncere movere ſeſe verſus Deum, quæ tamen eſt natura precum. 2. Quia Deus alias vocatur quaſi in participationem & communionem peccati, quæ eſt abominatio maxima coram illo. 3. Quia conſcientia mala eſt quaſi realis oratio reclamans precibus noſtris verbalibus, vindictam, non gratiam expoſcens.

*Uſus* 1. *Eſt condemnationis* adverſus eos qui nihil curant vitam & conſcientiam, & tamen audent Deum invocare, Jeſ. 1. 15. 2. *Eſt exhortationis*, ut quotidie magis magiſque purgare corda noſtra ſtudeamus, ut apti poſſimus eſſe ad Deum recte invocandum, Pſal. 26. 6.

IV. Fiducia in precibus confirmatur experientia antegreſſa. De hac obſervatione actum eſt Pſalm. 3.

Verſe 3. *Filii virorum, quouſque gloria mea ignominiæ* futura eſt? *dilecturi eſtis inanitatem? procuraturi mendacium ſumme?*

4. *At agnoſcite ſeparatim aſſeruiſſe Jehovam ſibi eum, quem benignè accipit, Jehovam exauditurum, quum inclamavero ipſum.*

5. *Commovemini & ne peccetis: cogitate cum animo veſtro, in cubili veſtro, & quieſcite* ut qui *maxime.*

6. *Sacrificate ſacrificia juſtitiæ: & fiduciam habete in Jehova.*

## ANALYSIS.

Hiſce verſiculis inſtructio continetur, qua utitur propheta erga ſuos hoſtes: cujus duæ ſunt partes, quarum prima eſt admonitio ut deſiſtant à malo, v. 3, 4, & 5. ſicut apparet è poſtrema quinti verſiculi particula, ubi adverſariis ſuis expreſſe conſulit ut *ſileant*, vel *quieſcant*, id eſt, ut deſiſtant à verbis, conſiliis & machinationibus improbis adverſus eum ineundis, ſecunda eſt adhortatio ad ſequendum illud quod bonum eſt, v. 6.

In admonitione 1, Deſcriptio perſonarum

Personarum habetur, quas præcipue alloquitur : *filii virorum*. 2. Descriptio est peccati cujus rei fuerunt, partim à fine, studio scilicet violandi decus & gloriam Davidis : *quousq; gloria mea ignominiæ futura est?* partim à mediis, libidine scillicet mendacii comminiscendi, *quousq; dilecturi estis inanitatem ? procuraturi mendacium summe ?* 3. Adjiciuntur rationes duæ, quibus commoveri possint ad propositum suum relinquendum. 4. Quarum prima petitur à causa illius gloriæ quam illi oppugnabant, decreto nempe Dei, quo fuit hæc dignitas in Davidem collata : *at agnoscite seperatim asseruisse Iehovam sibi eum, quem benigne accipit* : secunda vero petitur à singulari effecto illius causæ, auxilio nempe Dei, quod præsens futurum esset : *agnoscite Jehovam exauditurum, cum inclamavero ipsum.* 5. Media & viæ illæ commonstrantur, quibus comparare semetipsos debent ad peccati illius cui assueverant, correctionem. v. 5. primum autem medium est metus & apprehensio pœnæ quæ talibus peccatis debetur & præparatur : *commovemini & ne peccetis :* secundum est examinatio conscientiæ, ut videre possint se reos esse peccati illius quod maximam pœnam meretur : *cogitate cum animo vestro :* cujus examinationis modus, quod debet esse seria, & privatim instituta, explicatur per circumstantiam loci & temporis : *in cubili vestro.*

Adhortatio ad sequendum illud quod bonum est, continetur v. 6. ubi synecdochice, religio vel cultus Dei ponitur pro omni officio bono ; cultus autem Dei exprimitur per distributionem, duabus partibus, quarum una est ; cultus institutus in oblatione sacrificii puri ac illibati, *sacrificate sacrificia justitiæ* ; altera est essentialis, in fiducia erga Deum, *fiduciam habete in Jehova.*

QUÆSTIONES.

I. Quare David filios virorum adversarios suos appellat ?

*Resp.* Filii virorum distinguuntur à filiis hominum, ut nobiles á plebeiis, Psal. 49. 3. Cur autem hoc in loco titulus iste usurpetur, duplex reddi potest ratio. 1. Quia istoc titulo continetur illud quod occasio est multis ad insaniam usque peccatis indulgendi : qui scilicet eam de nobilitate, potentia & opibus suis conceperunt opinionem, ut omnia sibi licere putent. 2. Quia aliquid etiam continetur istoc titulo quod tales homines officii sui jure possit monere : quia nobiles id est, bene natos, educatos ac institutos, minime omnium decet adeo rudes esse & furiosos, ac isti homines erant.

II. Quid intelligit David per suam gloriam ?

*Resp.* Dignitatem regiam singulari Dei gratia ac beneficio ipsi tributam, & certam illam expectationem quam conceperat de plena ejusdem possessione.

III. Quomodo fuit hæc gloria ignominiæ ?

*Resp.* Quatenus adversarii eam & aliis odiosam, & ipsi pudendam reddere conabantur.

IV. Quare vanitatem & mendacium ipsis objicit ?

*Resp.* Non tantum quia mendacibus & falsis accusationibus eum onerabant, sed etiam ut ostenderet eorum machinationes in nihilum plane abituras, Job 4. 8.

V. Cur interrogationis illa formula hæc omnia proponuntur, *quouſque ?*

*Reſp.* 1. Ut aſſiduitas adverſariorum in ſua nequitia, & indefeſſa eorum pervicacia notetur. 2. Ut jam tempus eſſe moneat iſtiuſmodi injuriis ſuperſedendi.

VI. Quo ſenſu appellat ſeſe David חסיד dilectum ?

*Reſp.* Primo & præcipue paſſive, ut ſignificet illum qui gratiam conſecutus eſt apud Deum, ut apparet Act. 13. 35. ex Pſalme 16. 10. Quod enim quibuſdam non probatur verſio Tremelii & Junii, qui vocem hanc paſſim reddunt paſſive, ut ſignificantem eum qui beneficio affectus eſt, & volunt ut ſemper active capiatur pro iis qui beneficentiam exercent, hoc minus videtur conſentaneum. 1. Quia titulus iſte à Propheta ſibimetipſi hic & ſæpiſſime alias tribuitur, idque ſimpliciter, ſine reſpectu alicujus facti aut cauſæ particularis, Dei igitur gratiam potius quam hominis virtutem notat. 2. Quia rationem & cauſam primariam continet beneficentiæ vel beneficæ ſeparationis unius hominis potius quam alterius, ut hoc in loco: hujus autem ratio non eſt petenda ex hominum virtute, ſed ex Dei gratia, Deut. 9. 5. 3. Quia hoc in loco reſpicitur mirifica ſeparatio. qualis illa fuit, Exod. 9.4. *Diſcrimen ponet Iehova inter pecus Iſraelitarum, & pecus Egyptiorum*; ubi eadem vox Hebraica uſurpatur quæ hoc in loco. 4. Quia benignitas & beneficentia quæ iſtoc titulo notatur expreſſe refertur ſæpe ad ipſum Deum, Pſal. 16. 10. *beneficum tuum* Idem igitur ſignificat חסיד ως κεχαριτωμένος Luc. 1. 28. *gratia dilecta*, id eſt, ut explicatur, *v.* 30 *inveniſti gratiam apud Deum.*

VII. Quomodo uſurpata ſunt verba illa v. 5. ad Eph. 4.6. *Iraſcimini & ne peccate*, cum in iſtoc verſu non reſpicitur ira, ſed commotio illa animi quæ pavorem & terrorem comitatur ?

*Reſp.* 1. Apoſtolus eo in loco, phraſin & ſententiam piis notam uſurpavit: ſed non produxit quaſi teſtimonium propheticum : quamvis ad hunc locum, quoad phraſin, videatur quaſi reſpectum habere latentem. 2. Commotio animi eſt generale quid complectens & affectum pavoris & iræ quamvis igitur pavorem deſignet, hoc in loco merito tamen ad iram alibi applicatur. 3. Ira illa qua homines adverſus ſemetipſos commoventur, maximam conjunctionem habet cum illa commotione quæ in animi conſternatione propter peccata reperitur; & hoc ſenſu poſſunt accipi verba illa Apoſtoli; qui etiam optime convenit huic loco: ita ut utraque ſignificatio & pavoris & iræ conjungatur, in hanc ſententiam, *Monendi eſtis ô filii virorum, ut quam animi commotionem ex ira & odio vano ac mendaci admiſiſtis, eam totam ad religioſum pavorem Dei transferatis, & vobiſmetipſis potius quam mihi iraſcamini.*

VIII. Quid intelligitur per ſacrificia juſtitiæ ? v. 6.

*Reſp.* Cultus ille Dei qui & procedit ab animo omni juſtitiæ dedito per fidem ac reſipiſcentiam, & profert etiam fructus juſtitiæ in vita & converſatione externa.

DOCVMENTA.

I. Officium piorum eſt etiam inimicos ſuos diligere ; colligitur ex

eo quod David hic studet benefacere suis osoribus, Matth. 5. 44. Rom. 12.20. Prov.25.21,22. Exod. 23. 4, 5. Ubi observandum est, quod hoc officium non sit consilium perfectionis, quod suadetur, non imperatur, ne quoad speciales quidem charitatis actus, ut pontificii docent, neque præceptum proprium Evangelii, aut à Christo primo traditum, ut Sociniani contendunt, sed morale Dei mandatum, & perpetui juris; non quod omnia sunt impiis osoribus præstanda, quæ piis fratribus debentur: sed omnia illa quæ sunt essentialia officia charitatis, ac nobis possibilia, vere spectant ad eorum bonum. Exemplum habemus in Christo, Luc. 19. 42. & 23. 34. in Stephano, Act.7.60. in Paulo, Act.26.29.

*Ratio*. 1. Quia inimicitia non impedit quin sit noster proximus atque adeo ex præcepto diligendus. 2. Quia alias vinceremur à malo, Rom. 12. v. ult.

*Usus est reprehensionis*, adversus eos qui tam proclives sunt ad privatam vindictam, Prov. 24. 29.

II. Præcipuum officium charitatis, est quærere spirituale bonum proximorum, sive sint inimici, sive non sint; colligitur ex eo quod David hic instituit adversarios suos in iis quæ pertinebant ad eorum ædificationem spiritualem Lev. 19. 17. 1 Sam. 12. 25.

*Ratio*. Quia hæc officia directe tendunt ad eorum summum bonum, & beatitudinem æternam.

*Usus est admonitionis*, ut animos applicare velimus ad hujusmodi officia, non tantum publice, sed etiam privatim.

III. Quo major est fiducia nostra in Deum, eo promptiores erimus ad hujusmodi officia; colligitur ex eo quod David hoc in loco hac ratione quasi fructu gemino, & argumento certissimo firmitatem fiduciæ suæ in Deum ostendit, 1 Pet. 3. 14, 15.

*Ratio*. Quia fiducia hæc spiritualis sedat carnales omnes affectus; & avertit animum ab hominibus & eorum meritis spectandis, ad Deum & officium illud quod ipse nobis imposuit considerandum.

*Usus* 1. *Est institutionis*, ut recte judicemus de fortitudine vera; fortior est qui se quamqui fortissima vincit; melior est longanimis robusto: & qui dominatur in animam suam, eo qui capit civitatem, Prov.16. 32. 2. *Exhortationis*, ut fiduciam nostram in Deum præcipue confirmemus, quoniam fundamentum præcipuum est officiorum illorum, quæ etiam hominibus debent præstari.

IV. Primum illud quod optare & quærere debemus malis, est ut per veram resipiscentiam desistere velint à malo, colligitur ex eo quod David hic primo in loco suos hostes admonet ut desistant à malo, suo proposito, Psal. 34. 15.

*Ratio*. Quia conversio hominis est spiritualis quidam motus: atque adeo terminus *à quo* prius est relinquendus, quam pervenire possit ad terminum *ad quem* tendit aut vocatur.

*Usus admonitionis*, ne decipiamus nosmetipsos cogitando, posse nos illud quod bonum est assequi, quamvis nunquam serio discedimus à malo per veram resipiscentiam.

V. Efficax est & unica ratio ad animum à prava consuetudine avertendum,

tendum,

tendum, cogitare ſerio de ejus turpitudine & vanitate; colligitur ex illa ratione quam Propheta hic adfert v. 3. cum *mendacii* ac *vanitatis* arguit ſuos hoſtes, Rom. 6. 19, 21.

*Ratio.* Quia hæc via contraria eſt plane illis rationibus quibus Diabolus inducit homines in tentationem; turpitudinem enim ſemper occultat, & egregium aliquem fructum promittit: ut videre eſt in primorum parentum tentatione.

*Uſus admonitionis*, ut ſæpe nobiſcum de iſtis rebus cogitemus.

VI. Turpitudo & vanitas peccati manifeſta fit ex vera cognitione voluntatis Dei, colligitur ex *agnoſcite Jehovam*, Epheſ. 4. 21.

*Ratio.* Quia voluntatem Dei impugnare nihil aliud eſt, quam contra ſtimulos calcitrare, Act. 9. 5.

*Uſus admonitionis*, ut probemus quæ ſit voluntas Dei, bona illa, placens ac perfecta, Rom. 12. 2.

VII. Voluntas eſt Dei certiſſima, Eccleſiam ſuam & omnia ejus vera membra potenter ad ſalutem conſervare; colligitur ex v. 4. Mat. 16, 18.

*Ratio.* Quia conſilium Jehovæ ſurget, Prov. 19. 21.

*Uſus* 1. *Admonitionis* erga omnes, ne quis opponat ſeſe Eccleſiæ Dei, aut conetur impedire ejus progreſſum; iſtiuſmodi enim conatibus omnibus nihil aliud agitur quam ut cum Deo bellum geratur. 2. *Conſolationis* erga fideles, qui non debent terreri minis & machinationibus hoſtium, ſed fidenter à Deo pendere.

VIII. Si quid commiſimus contra Dei voluntatem revelatam, debemus in nobiſmetipſis commoveri conſcientia peccati & metu iræ Dei; ex illo verbo *commovemini*, 2 Cor. 7. 10, 11.

*Ratio.* Quia ſeria diſplicentia & converſio cordis à peccato ad Deum, neceſſario infert iſtiuſmodi affectus.

*Uſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eorum ſecuritatem, qui ſibimetipſis ſunt ſatis conſcii, quam nefarie agunt ac vivũt, & tamen non commoventur, Rom. 2. 5. 2. *Admonitionis*, ut conſcientiam teneram ſemper conſervemus, quæ afficiatur peccatis noſtris, & comminationibus Dei, 2 Reg. 22. 19.

IX. Commotio illi animi de peccatis præteritis, eſt genuina & Deo grata, quæ in futurum avertit plane animum à peccatis; ex eo, *commovemini, & ne peccetis*, 2 Cor. 7. 10.

*Ratio* 1. Quia perturbatio animi & dolor non habent rationem boni, niſi qua tendunt in iſtum finem, 2 Cor. 7, 10. 2. Quia finis hic eſt omnium comminationum ac judiciorum Dei, Deut. 13. 11. imo totius doctrinæ ſacræ, 1 Joh. 2. 1. 3. Quia horror quidam conſcientiæ reperitur etiam in maxime impiis, Pſal. 14, 5.

*Vſus admonitionis*, ne acquieſcamus unquam in ullo dolore evanido & inefficaci, qui peccata ſinit manere ac vigere.

X. Seria meditatio legis Dei, & viarum noſtrarum conſideratio eſt efficax ratio avertendi animum à peccatis; colligitur ex illis verbis, *dicite cum animo veſtro ſuper cubili veſtro*, Eccleſ. 4. 4. Ieſ. 44. 14.

*Ratio.* Quia in iſta meditatione animus alloquitur ſemetipſum, & imperat ſibimet ut à peccato diſcedat.

*Vſus admonitionis*, ut frequentes eſſe velimus in hujuſmodi exercitio ſpirituali.

XI. Non

XI. Non satis est à peccatis aliquo modo desistere, nisi etiam applicemus nosmetipsos ad Deum vere colendum, ex v. 6. *sacrificate*. Psal. 34. 15. Jud. 6. 25, 26. Eph. 4, 22, 24.

*Ratio.* Quia religio non consistit proprie in negatione aut privatione, sed in habitu & actu.

*Usus admonitionis*, ne satis esse judicemus, quod immunes sumus ab hæresibus, & à pravioribus quibusdam criminibus, nisi animos etiam habeamus vero Dei cultui plane addictos.

XII. Externus cultus non est Deo gratus, nisi conjungatur cum fiducia & justitia, ex v. 6. Ioh. 4. 24.

*Ratio.* Quia externus cultus sine interno est cadaver tantum cultus, Rom. 12. 1. Mal. 1. 8.

*Usus admonitionis*, ut primariam curam habeamus cordis nostri in Deo colendo.

XIII. Fiducia vera in Deum justitiam producit erga homines, colligitur ex eo quod David hic ut ad justitiam suos hostes perducat, fiduciam in Deum ipsis commendat; si enim fiducia ista consistere posset cum injustitiæ studio, tum David confirmasset suos hostes adversus semetipsum, Iac. 1. 27, Act. 10, 35, & 15, 9.

*Ratio.* Quia fiducia vera devincit animam Deo, & ejus voluntati in omnibus.

*Usus est institutionis*, ut ad istam normam exigamus & probemus fiduciam nostram in Deum.

Verse 7. *Multi dicunt, ô quis dabit ut videamus bonum? attolle super nos lucem faciei tuæ Iehova.*

8. *Indideris lætitiam animo meo; majorem quam temporis* quo *frumentum istorum & mustum istorum percipiuntur* ab ipsis *copiose.*

9. *In pace simul cubabo & dormiam : cum tu Iehova solus facias ut secure habitem.*

## ANALYSIS.

Postquam Propheta suam fiduciam ostenderat. 1. Deprecatione illa qua Deo se totum tradebat, & 2. Institutione suorum hostium, qua non tam de sua quam de ipsorum salute solicitum se esse testatur; jam tertio in loco fiduciam suam aperte profitetur, eamque per comparationem illustrat.

Professio fiduciæ sub precationis formula continetur iis verbis, *attolle super nos lumen faciei tuæ Iehova*; quibus Jehovam à se tanti fieri profitetur, ut ab ipso totus pendeat, & in illius favore collocet summum suum bonum. Illustratio hujus professionis duplex est; primo à comparatione dissimilis, voti scilicet hominum carnalium, *multi dicunt, ô quis dabit ut videamus bonum?* ubi dissimilitudo triplex innuitur. 1. Est in objecto, quod carnales homines ad verum & solidum bonū non contendunt, sed potius ut v. 8. subindicatur, ad frumentum & vinum, id est, ad commoda & voluptates carnales aut mundanas : sed pii omnes cum Propheta in Deo solo acquiescunt. 2. Dissimilitudo est in affecto, quod carnales homines vago & incerto cursu huc illuc feruntur, ad bonum optatum

adipiſcendum, ut illis verbis indicatur, *ô ſi quis daret ut videamus bonum?* id eſt, qualibet inani ſpecie boni capiuntur, quod in communi tantum & incerto petunt: ſed pii conſtanter quærunt faciem Jehovæ. 3. Diſſimilitudo eſt in voti objecto, à quo tanquam authore fœlicitatis pendetur: carnales enim homines neminem habent à quo certo poſſint expectare quod optant, *quis dabit?* ſed pii Deum omni-ſufficientem habent ſibi propitium, & paratum ad votum ſuum explendum, *attolle Iehova.*

Secunda illuſtratio eſt per comparationem imparium v. 8. quod nempe pii etiam in iſtac vita multo præſtantiora ſentiunt effecta ſuæ fiduciæ in Deum, quam carnales homines poſſunt percipere ex commodis ac voluptatibus mundanis; hoc enim eſt quod intelligitur per comparationem lætitiæ illius quam Propheta ſentiebat in Deo, cum lætitia copioſæ vel abundantis meſſis ac vindemiæ, v. 8.

Secunda iſta comparatio confirmatur à ratione & cauſa illius lætitiæ, ſecuritate nempe adverſus omnem metum & periculum, *cubabo & dormiam in pace*; hæc autem ſecuritas illuſtratur à cauſa ejus efficiente, protectione nempe Dei, *nam tu Jehova ſolus efficis ut ſecure habitem.* Ubi obſervandum eſt, quod iſto etiam ultimo verſiculo, quia confirmat ac illuſtrat comparationem antecedentem, tacita continetur comparatio diſſimilium; quod ſcilicet carnales homines non poſſunt vera & ſolida ſecuritate frui, preſertim cum in periculo aliquo verſantur: quia non aquieſcunt in protectione Dei, ſicut pii omnes faciunt.

QUÆSTIONES.

I. Quid ſibi velit phraſis iſta *videre bonum?*

*Reſp. Videre* varie accipitur in Scripturis, & explicari debet pro ratione objecti circa quod occupatur, vel ad quod refertur; hoc autem in loco & in aliis ſimilibus cum ſimpliciter refertur ad bonum fruendum, nihil aliud notat quam fruitionem, Pſal. 50. 23. Pſal. 34. 13. 1 Petr. 3. 10. ſicut ex adverſo cum refertur ad malum, tum perpeſſionem ejus realem ſolet notare, Pſal. 49. 10. 90. 15. fruitio iſta boni per alios etiam ſenſus externus metaphorice exprimitur, præcipue per guſtum, Pſalm. 34. 9. 1 Pet. 2. 3. ſed præcipue per *viſionem.* 1. Quia per viſum plura bona participamus quam per alium aliquem ſenſum: & 2. Quia viſus inter omnes ſenſus externos proxime accedit & aptiſſime repræſentat ſpiritualem ſenſum animi.

Hic autem generalis illa regula eſt obſervanda, verba ſenſus & notitiæ, in Scripturis includunt affectus & motus illos qui tales ſenſus aut notitias ex earum natura conſequuntur; *videre igitur bonum* includit etiam participationem illam omnem quæ eſt in voluntate affectibus, & ipſo etiam corpore.

Hac eadem ratione explicari debet illa phraſis quæ in Scripturis habetur de viſione Dei, aut de viſione beatifica; non ſpectat enim ad oculos corporis, neque ita ad mentem ipſam, quaſi per illam eſſentiam Dei perciperent beati, ſed ad fruitionem divinæ præſentiæ, & communionis illius cum Deo, quæ ſecum adfert ſummam fœlicitatem.

II. Qui-

II. Quinam intelliguntur per *multos*?

*Resp.* *Multi* vox est comparationis, & proprie significat magnum numerum; quia vero gradus inveniuntur in numero majore, ita ut omnes sint multi, & plures etiam, quamvis non omnes sunt etiam multi, hinc *multi* idem sonat aliquando quod omnes, Rom. 5. 19. aliquando vero plerosque tantum, non omnes, Mat. 7. 13. hoc autem in loco plerosque proprie notat, non omnes, quia comparatio & oppositio quædam instituitur inter multos & pios.

III. Quid significatur per lumen faciei Dei?

*Resp.* Favor & gratia Dei, Dan. 9. 17, 20. Psal. 31. 17. & 44. 4. ratio metaphoræ est, quia interni affectus maxime apparere solent in vultu vel facie hominis: atque adeo serenus ac lætus vultus favorem notat, etiam in hominibus; sed hoc est discrimen, quod affectus humani aliquando sunt simulati, & quamvis sint maxime synceri, sunt tamen per se inefficaces: sed voluntas Dei integra semper est & summæ efficaciæ: atque adeo plura multo denotantur in Deo per lucem faciei ejus, quam possint in homine per ullam proportionem; atque hinc est quod tam gloriosi effectus tribuuntur huic luci faciei Domini, tum alibi, tum etiam in isthoc textu.

Quare fit mentio hic frumenti & musti?

*Resp.* 1. Quia omnis annonæ materia & quicquid pertinet ad vitam præsentem istis duabus præcipuis partibus per synecdochen denotat 2. Quia colentibus terram, maxima semper est lætitia ac celebritas tempore vindemiæ ac messis, cum fœliciter succedunt, Jud. 9. 27. Jes. 9. 3. Jer. 49. 41. Numb. 23. 9.

V. Quid significatur hic per illam phrasin, *cubabo* atque *obdormiam*?

*Resp.* Per metonymiam effecti pro causa, securitas maxima denotatur, qui enim vacui sunt curis, solent ut dicitur in utramque aurem dormire, Psalm. 3. 6.

## DOCUMENTA.

I. Nemo mortalium est qui non in votis habet ut fruatur bono. Colligitur ex eo; quod hoc impiis vulgo tribuitur, hoc in loco: *multi dicunt*, &c.

*Ratio.* Quia hoc est naturale, & omnium creaturarum commune, tendere in aliquem finem, sub aliqua ratione boni; finis enim & bonum convertuntur; homini autem maxime convenit, quia præditus est intellectu, quo finem apprehendit, sibi proponit, & ad illum per media contendit.

*Usus admonitionis*, ne in eo acquiescamus, aut nobismetipsis placeamus, quod velimus esse beati, hec enim est etiam perditissimorum hominum desiderium.

II. Frustraneum & evanidum est hoc desiderium in multis; *multi dicunt*.

*Ratio.* Quia non quærunt vere bonum: vel undique potius quam à Deo quærunt: vel denique non recta ratione quærunt à Deo.

*Usus admonitionis*, ne sequamur vulgus aut multitudinem in fœlicitate quærenda.

III. Unica ratio fœlicitatem æternam consequendi, est fiducia in Deum, Jer. 17. 7.

*Ratio.* Quia Deus est summum bonum, & est author ac fons omnis

boni, quod creaturis communicatur, Jac. 1. 17.

*Usus exhortationis*, ut in Deo solo toto corde acquiescamus, ut in ipso & per ipsum beati simus.

IV. A Deo accipient omnia bona, qui favoris & gratiæ ejus sunt participes, *attolle super nos lumen faciei.*

*Ratio.* Quia favor & gratia Dei est velle alicui bonum: Dei autem velle est perficere, quia potenter efficit illud quod vult.

*Usus exhortationis*, ut imprimis, & supra cætera omnia quæramus faciem ac favorem Dei, Psal. 105. 4.

V. Ex sensu favoris divini, lætiores ac beatiores sunt pii, etiam in hac vita, quam impii sunt ex bonis ac voluptatibus mundanis, etiamsi maxime ipsis abundant, Psal. 36. 8.

*Ratio.* Quia majora multo sunt illa bona spiritualia quæ cum piis communicantur, quam temporaria illa quæ impiis conceduntur.

*Usus exhortationis*, ut spiritualia ista bona quæramus, & fortiter spernamus impiorum carnalem fœlicitatem.

VI. Qui certi sunt de favore Dei, possunt esse securi; securus est qui est sine cura; cura vero duplex est, una, quaquis de officio suo sollicitus est, ne in eo peccet: altera vero, qua quis de eventu & successu rerum est anxius. Primam illam curam ac studium nunquam debemus abjicere, 2 Pet. 1. 5. Sed altera de eventu est abjicienda, Psalm. 37, 5.

*Ratio.* Quia Deus convertet omnia in bonum, Rom. 8. 28.

*Usus exhortationis*, ut quæramus regnum Dei & justitiam ejus.

## PSALMUS QUINTUS.

M*Agistro symphoniæ ad pneumatica* instrumenta, *Psalmus Davidis.*

2 *Dicta mea auribus percipe, Jehova; considera meditationem meam.*

3. *Attende voci clamoris mei, rex mi & Deus mi; nam apud te orationem habeo.*

4. *Jehova, mane auditurus es vocem meam: mane dissertus sum, coram te, & speculaturus.*

## ANALYSIS.

IN Psalmi hujus titulo non est quod immoremur, quia certi nihil de eo statui potest, præterquam quod in priore fuit observatum.

Scopus aut propositum ad quod totus Psalmus præcipue spectat, est imploratio opis divinæ, ut per illam ipse à gravissimo periculo, cui fuit objectus, possit liberari per subversionem hostium in suis impiis consiliis & machinationibus impiis, ita ut quæstio & conclusio Psalmi hisce verbis summatim comprehendi possit. Libera me, ô Jehova, ab hostibus meis, eosque in suis impiis consiliis subverte. Proponitur autem ista petitio & urgetur, primo generaliter v. 1, 3, & 4. & tum specialiter, à v. 5. ad finem usque Psalmi: expresse autem v. 9, & 11. sed quod ibi specialiter exprimitur, generaliter innuitur & intelligi debet prioribus tribus versiculis, quibus agit Propheta de audientia sibi apud Deũ conciliianda,

non

non enim humano more ad oratorum exemplum agitur in Psalmis, per prooemia generalia & à causa præsente remota: sed idem desiderium generaliter proponitur, quod postea speciatim explicatur. Generalis igitur illa petitio, quæ tribus versiculis comprehenditur, est, ut Deus exaudire vellet illam petitionem quam jam habuit in animo, satis Deo notam, & statim esset verbis apud ipsum explicaturus. Hæc autem petitio non simpliciter ac nude proponitur, sed 1. Illustratur quasi descriptione, & 2. Rationibus confirmatur ac urgetur, ut eo magis possit prævalere.

Descriptione illustratur. 1. Davidis votum nomine *verborum, meditationis, vocis, & vocis clamoris.* 2. Dei acceptatio, quam ad illud votum accedere cupit, nomine *perceptionis, considerationis, & attentionis.* In istis vero non est inanis congeries verborum idem plane significantium, sed illustris descriptio & actus Davidis postulantis, & actus Dei postulati. Actus vel oratio Davidis describitur. 1. A modo ejus externo, quod scilicet verbis idoneis esset comprehensa & expressa. 2. A modo ejus interno, quod scilicet ad eam Domino exhibendam non sine seria cordis meditatione accesserit. 3. A gradu ejus tum interno, tum etiam externo, quod scilicet magnam animi & vocis contentionem adhibuit in illa fundenda. Actus vel exauditio Dei, que à Davide postulatur, describitur per gradus illos quibus apud homines tale quid perfici solet; primus gradus est *perceptio*, qua intelligitur quid sibi velint supplicantis verba: secundus est *consideratio*, qua perpenditur æquitas postulati: tertius est *attentio*, qua eo propenditur ut supplicationi satisfiat.

Apte etiam inter se referuntur descriptionum harum partes ad mutuam earum explicationem, *perceptio* Dei ad *verba* Davidis: *consideratio* Dei, ad *meditationem* Davidis: *attentio* Dei, ad *vocem* ac *clamorem* Davidis.

Argumenta quibus hæc petitio generaliter urgetur, duo sunt. *Primum* petitur à relatione illa quæ intercedebat inter Deum & Davidem, quod scilicet Jehova fuit rex ac Deus Davidis, & David subditus ipsius ac unus è populo ipsius electo; ubi consequentiæ ratio est quod regis ac Dei munus est succurrere suis cum in periculis ad ipsum confugiunt. 1 Sam. 8, 5, 20.

*Secundum* argumentum petitur ab actu Davidis, quod scilicet Jehovam invocabat in die afflictionis. Ratio consequentiæ est promissio à Deo facta iis, qui eum invocant. Psalm. 50. 15.

Secundum hoc argumentum repetitur ac illustratur v. 4. 1. Ab adjuncto temporis, *mane* invocabo. 2. Ab adjunctis modis, *ordinatione* nempe & *vigilantia.*

## QUÆSTIONES.

I. Quare idem postulatum tam varie & frequenter inculcat propheta?

*Resp.* Ut ostenderet. 1. Magnitudinem periculi in quo versabatur. 2. Flagrans desiderium, quo tenebatur consequendæ liberationis. 3. Fiduciam suam invictam, qua liberationem illam expectabat. 4. Perseverantiam orationis, qua eandem quærebat.

II. Quare

II. Quare & *verba*, & *meditationem*, & *vocem* suam Deo proponit?

*Resp.* Ut ostenderet in istis omnibus nihil vanum aut simulatum esse, sed verba esse ex rebus nata, & ex animo profecta, id quod vel vox ipsa arguebat, non ex lusu aut simulatione, sed ex vero profecta.

III. Quid sibi vult quod *mane* dicit se oraturum, & à Deo exaudiendum?

*Resp.* Ut profiteretur, & suam sollicitudinem ac diligentiam, qui nulla mora interposita primam captabat occasionem Deum quærendi: & expectationem quam habuit de liberatione oportuna quamprimum à Deo consequenda; sic Psalm. 82. 14. & 90. 14. & 92. 3. & 143. 8. & alibi passim.

IV. Quod sibi vult illud v. 4. *ordine instituam coram te?*

*Resp.* Exprimere voluit hac phrasi anxiam illam curam & studium, quo coram Deo causam suam agebat, animo scilicet & oculis perpetuo in illum intentis.

V. Quid est quod spondet, cum dicit se speculaturum. v. 4. in fine?

*Resp.* Profitetur suam vigilantiam, qua diligenter attentutus erat benignum Dei responsum.

DOCUMENTTA.

1. Eadem multoties, & multis modis à Deo sunt petenda; colligitur ex eo quod hic primo generaliter, & tum specialiter idem petitur: & generaliter etiam idem sæpius inculcatur. 2 Corinth. 12. 8. Matth. 26. 39. 42. 44.

*Ratio.* Quia effectus precantium debent & constantes esse, atque etiam cum abundantia quadam invalescere; si affectus hujusmodi obsint, tum eorumdem verborum repititio, nihil aliud est quam βαττολογία vana. Mat. 6. 7.

*Usus est exhortationis*, ut languorem ac tepiditatem amoventes cum omni fervore & constantia etiam atque etiam instemus apud Deum in precibus nostris.

II. Ad preces pias multiplex requiritur attentio & cura. Colligitur ex eo, quod propheta, & *dicta*, & *meditationem*, & *vocem*, & *clamorem* suum commemorat & Deo proponit consideranda: quod non fecisset, nisi eadem ipse bene considerasset. Rom. 8. 26.

*Ratio.* 1. Quia in precibus illæ omnes virtutes exerceri debent quibus communionem habemus cum Deo. 2. Quia totum hominem Deo subjicere ac tradere debent. 3. Quia et per se Deo debent esse gratæ, et valere etiam apud ipsum ad alia bona procuranda.

*Usus* 1. *Est institutionis*, ut recte judicemus de precibus: quod scilicet non sint res leviculæ, & quasi per lusum transigendæ, sed laboris, industriæ & contentionis non parvæ. Rom. 15. 30. Verum est illud antiquum dictum: precationem opus esse difficillimum: & multæ sunt causæ, quia multa simul cogitanda sunt: quem Deum invoces, an, & cur nos exaudiat; hæc intentio est labor. Deinde fides est labor major, accedere ad Deum, cum nos deterrent peccata; & expectare auxilium, cum destituimur visibilibus præsidiis; accedit & consideratio nostræ necessitatis, & alienæ, in tantam varietatem objectorum animum intendere, & simul angi, & lenire dolorem fide; hæc omnia difficilia esse ostendit experientia; sed cum

invocat

invocat pius in aliquo vero dolore, hæc omnia concurrunt, & talis oratio est efficax. 2. Est refutationis & increpationis, tum adversus prolixas & canonicas Pontificiorum preces, quæ nullum omnino laborem habent nisi labiorum. aut forsan laterum etiamsi cantentur; tum etiam adversus pessimam illam consuetudinem quæ apud multos etiam nostrorum invaluit, ut nunquam fere Deum privatim invocent, nisi forsan in lecto, ad somnum compositi, semisomnes, & non raro etiam semipoti. 3. Est exhortationis, ut cum omni cura, attentione, & intentione animi preces nostras etiam quotidianas instituamus.

III. Precum nostrarum acceptatio coram Deo, est præcipue in precibus quærenda. Colligitur ex eo, quod tam solicite hoc urgetur hic à propheta; *percipe, considera, attende.* 1 Joh. 3, 22. & 5, 14.

*Ratio.* 1. Quia hic est proprius ac immediatus finis omnium piarum precum. 2. Quia continet in sese virtualiter omnia illa quæ recte ac pie desideramus.

*Vsus est increpationis*, adversus eos, qui satis habent recitasse formulam aliquam precum, de Dei acceptatione parum aut nihil interim cogitantes.

IV. De precum nostrarum acceptatione & exauditione, certam possumus habere fiduciam, si toti pendeamus à Deo. Colligitur ex illis verbis, *rex mi*, & *Deus mi.* Psalm. 37. 5.

*Ratio.* 1. Quia hoc est quasi munus Deo incumbens ratione fœderis. 2. Quia maxime pertinet ad Dei gloriam.

*Vsus* 1. *Est exhortationis*, ut toto corde fiduciam nostram in Deo collocemus. 2. Consolationis erga eos qui per veram fidem Deo se & sua committunt.

V. Preces ipsæ nostræ augent istam fiduciam. Colligitur ex illa ratione, *nam apud te orationem habeo.*

*Ratio.* Quia preces non tantum sunt media impetrandi bona, sed etiam opus bonum, & utraque ratione promovent causam nostram coram Deo.

*Vsus exhortationis*, ut magni faciamus precandi officium, & sæpius illi vacemus.

VI. Occasiones & opportunitates precandi sunt observandæ & capiendæ. Colligitur ex illa voce, *mane.*

*Ratio.* Quia hæc est natura serii ac solidi desiderii.

*Vsus est increpationis*, adversus eorum vel tepiditatem vel torporem, qui totos dies transigunt sine precibus, & optimas accasiones perire sinunt.

VII. Precibus debet vigilantia conjungi, ex illo verbo, *speculaturus.* Matth. 46. 41. Eph. 6. 18. Col. 4. 2. 1 Pet. 4. 7. Psalm. 130. 5, 6, 7.

*Ratio.* Quia vigilantia hæc est necessaria & ante preces, ut simus ad illas parati: & in precibus ut recte præstemus: & post preces, ut quid responsi accipimus percipiamus.

*Vsus est increpationis*, adversus eos, qui susque deque habent quid fiat de suis precibus: maxime vero adversus eos, qui tantum absunt à spirituali vigilantia, ut ne à corporali quidem somno possint abstinere, dum preces habentur.

Verſ. 5. *Nam non eſt Deus fortis qui delectetur improbitate: non eſt commoraturum* apud *te malum.*

6. *Non conſiſtunt inſani è regione oculorum tuorum: odiſti omnes qui operam dant iniquitati.*

7. *Perditurus es loquentes mendacium; virum ſanguinarium & doloſum abominatur Jehova.*

8. *Ego autem inſtructus amplitudine benignitatis tuæ ingrediar domum tuam: incurvabo me verſus templum ſanctitatis tuæ cum reverentia tui.*

9. *Jehova, deduc me, in juſtitia tua propter obſervatores meos: complana coram me viam tuam.*

10. *Nam non eſt in ore illius rectum, intimum illorum ærumnæ; ſepulcrum apertum guttur illorum; lingua ſua doloſe blandiuntur..*

11. *Reos fac iſtos; ô Deus, decidant de conſiliis ſuis: amplitudine defectionum iſtorum depelle iſtos, quia rebellant in te.*

12. *Et lætabuntur omnes ſe recipientes ad te, in ſeculum canent quos protecturus es: & exultabunt in te amantes nominis tui.*

13. *Quia tu benedicis juſto, Jehova: facis ut benevolentia tanquam umbo circumtegat eum.*

## ANALYSIS.

POſt generalem ſupplicationem propoſitam, ſequitur ſpecialis ejuſdem explicatio à v. 5. ad finem Pſalmi. ſpecialis autem petitio duas habet partes, quarum una eſt de liberatione ac ſalute Prophetæ v. 9. & altera de hoſtibus deſendis ac ſubvertendis v. 11. ſunt iſtæ partes inter ſe conjunctæ, ita ut ſingula argumenta quæ adferuntur confirment utramque partem; ſed ratione inter ſeſe differunt, ita ut quædam argumenta magis proprie ſpectent ad unam partem, & quædam ad alteram; quæ oppoſitio cauſæ rationem habet ad eorum ſubverſionem.

*Primum* argumentum quo iſta petitio confirmatur, petitur ab oppoſitione illa quæ inter Deum ſanctiſſimum ac juſtiſſimum & hoſtes prophetæ intercedebat. v. 5, 6, 7. ac ſi dixiſſet Propheta: Tu Jehova iſtiuſmodi homines odio ſummo proſequeris: non eſt igitur dubitandum, quin me ſis ab illis liberaturus & ipſos juſte perditurus. Hoc argumentum præcipue ſpectat ad ſecundam partem petitionis inſtitutæ, quæ eſt de hoſtium ſubverſione. In hujus autem argumenti explicatione, proponitur primo negatio conſenſionis omnis inter Deum & iſtiuſmodi homines v. 5. & in principio ſexti & ſecundo affirmatio maximæ inter illos diſſenſionis vel repugnantiæ: in fine ver. 6. & in 7. Cauſæ etiam hujus oppoſitionis indicantur per deſcriptionem hoſtium; conſtat ex enumeratione earum qualitatum quæ ipſis conveniebant, ac Deo ſunt maxime inviſæ ac inimicæ; qualitates iſtæ ſunt, *improbitas, malitia, inſania, ſtudium peccati, mendacitas crudelitas, & dolus.*

*Secundum* argumentum petitur ab effecto hujus gratiæ concessæ. v. 8. ac si dixisset, postquam ab hostibus fuero liberatus, acceptæ liberationis gratiam ad nominis tui gloriam celebrabo; sed hoc argumentum introducitur in forma enunciati discreti, *ego autem*: ut diversum ac dissimilem se ostenderet propheta à suis hostibus: quod scilicet ipse non fuit alienus à Deo ut ipsi, sed totus illi deditus cum omni animi consensu & proposito plane firmato: nec non ut certam suam spem indicaret, qua lætum exitum vexationis hujus expectabat; illustratur etiam hoc argumentum per descriptionem officii præstandi ab adjunctis ejus externis, *ingrediar domum tuam*, & internis, *cum reverentia tui*.

Hoc argumentum maxime proprie spectat ad priorem partem petitionis institutæ, quæ est de liberatione Prophetæ.

*Tertium* argumentum petitur à proprietate vel munere Dei, qui ex justitia sua has partes sibi assumpsit & quasi proprias fecit, ut pios tueretur, & impios puniret. vers. 9. in principio.

*Quartum* argumentum petitur ab eventu, qui ex hac petitione neglecta certo erat consecuturus, quod scilicet hostes in sua impietate confirmati maxime exultarent v. 9. illis verbis, *propter observatores meos*, id est, propter illos qui ex mea miseria quærunt ansam triumphandi & blasphemandi.

Illustratur hoc argumentum 1. à descriptione illorum hostium v. 10. qua flagitiosi eorum conatus congerie quadam enumerantur. quod scilicet *ore, corde, gutture*, & *lingua* tendebant in malum. & 2. à singulari illa relatione quam isti conatus habuerunt ad Deum ipsum. v. 11. in fine. *rebellarunt in te*.

*Quintum* & ultimum argumentum quo instituta petitio suadetur, petitur ab optatissimo effecto, quod ex hujus petitionis concessione esset consecuturum, glorificatione scilicet *nominis Divini* ab omnibus piis: quæ illustratur v. 12. & per discriptionem personarum quæ hoc essent facturæ, qui describuntur à *fide, spe*, & *charitate, recipientes se ad te quos protecturus es, amantes nominis tui*: & per descriptionem officii præstandi, partim ab effectu interno, *lætabuntur*, & partim à professione externa, *canent exultabunt*, una, cum adjuncto durationis, *in sæculum*.

Confirmatur vers. 13. ubi ratio redditur hujus rei; quia nempe ex hoc exemplo illustre habebunt argumentum & quasi testimonium, quod benedictio & protectio Dei erit ipsis parata & omnisufficiens.

QUÆSTIONES.

I. Quare improbitas in abstracto ponitur v. 5. cum in reliqua sententia v. 6, & 7. *insani operatores iniquitatis, mendaces*, & *dolosi*, in concreto usurpantur?

*Resp*. 1. Quia hoc solemne est in Scripturis, abstractum ponere pro concreto. Psalm. 36. 12. Prov. 12. 27. Rom. 2. 26. 2. Quia causa hoc pacto magis indicatur quare impii sunt Deo invisi; videlicet. propter eorum improbitatem. 3. Quia hac ratione excessus improbitatis, qui in istiusmodi hominibus reperitur, optime explicatur, quod scilicet quasi conflati sint ex improbitate, & nihil aliud fere in sese habeant observandum.

II. Quid eſt hoc in loco *commorari apud Deum, & conſiſtere è regione oculorum ejus?*

*Reſp.* Participare favorem ac benevolentiam Dei intima illa ac ſtabili ratione, quæ propria eſt piorum.

III. Quare improbi hic vocantur *inſani*?

*Reſp.* Inſanorum nomen ex more Scripturæ impiis tribuitur. 1. Quia veræ ſapientiæ ſunt inanes, id eſt, intelligentiæ illius quæ dirigit ad verum bonum. 2. Quia vaniſſimis rebus afficiuntur ac ducuntur, quaſi in ipſis fœlicitas eſſet collocata. 3. Quia quaſi rabie mentis agitati ad omnem impietatem feruntur. 4. Quia ſibimetipſis applaudunt in ſua miſeria.

IV. Quinam proprie ſunt operatores iniquitatis?

*Reſp.* Non omnes qui peccant, ſed qui cum ſtudio & pertinacia dedunt ſeſe impietati, tanquam occupationi vitæ ſuæ. Matth. 7. 23. Luc. 13. 27. 1 Joh. 3. 8, 9, 10. Joh. 8. 44.

V. Quid intelligitur v. 8. per *incurvationem verſus templum?*

*Reſp.* Cultus ille Dei, quo ſecundum ipſius Dei præſcriptum appropinquamus ipſi; hæc enim incurvatio verſus templum Dei, ex Dei inſtituto fuit tum temporis externa repræſentatio hujus cultus.

VI. Quid eſt *deduci in juſtitia, & complanatam habere viam?*

*Reſp.* Unum ac idem aliquando ſignificant in Pſalmis; ut Pſalm. 23. 3. ſed hoc in loco juſtitia referri poteſt ad viam rectitudinis ac veritatis, in qua Deus ipſe incedit verſus pios: & *complanatio viæ*, ad viam illam in qua homo incedere debet coram Deo, & cui Deus ſucceſſum adſpirat. Pſalm. 25. 4.

VII. Qua ratione verba illa v. 10. *ſepulcrum apertum eſt guttur eorum*, accommodantur ab Apoſtolo Paulo. Rom. 3. 13. ad univerſalem hominum corruptionem.

*Reſp.* 1. Quia eadem eſt communis corruptio quoad originem & fontem in omnibus. 2. Quia finis & ſcopus Spiritus ſancti in iſtiuſmodi deſcriptionibus fuit ut uſum & applicationem ſuam habeant per juſtam analogiam apud omnes generationes. 3. Quia ſicut David fuit & Chriſti & Eccleſiæ Chriſti typus; ſic hoſtes iſti Davidis quaſi typi fuerunt & exempla totius mundi, qui ponitur in malo.

VIII. Quid eſt quod David imprecatur ſuis hoſtibus? v. 11.

*Reſp.* Non peccatum aut peccati multiplicatio, ſed pœna; reatus enim eſt obligatio ad pœnam, & per metonymiam effecti denotat condemnationem illam quam infert; *amplitudo* autem peccatorum non eſt terminus voti, ſed ratio & cauſa.

## DOCUMENTA.

I. In periculis & anguſtiis omnibus illa debet eſſe prima noſtra cura, ut via recta & complanata deducamur à Deo. ex v. 9. Pſalm. 25. 4, 5. Jeſ. 26. 8.

*Ratio.* 1. Quia prior apud nos & antiquior ſemper debet eſſe affectus honeſti ac juſti, quam commodi, præſertim temporarii. 2. Quia via recta eſt unica via qua certo ac tuto inceditur ad liberationem ſalutarem; qui enim rectam viam tenet, habet ſemper quaſi ſalvum conductum juſtitiæ divinæ, cujus fiducia tuto poteſt iter facere. 3. Quia fiducia vera in Deum, neceſſario hoc inducit, ut illam viam ſequendam

dam eligamus, quam ipse suadet ut rectam: alias enim non fidimus aut credimus ipsi.

*Usus* 1. *Est redargutionis*, adversus eos, qui in tempore vexationis alicujus putant se veniam saltem mereri, si perturbatis affectibus suis indulgeant, idque verbis, ac factis, impatientiæ ac vindictæ plenis ostendant. 2. *Est exhortationis*, ut certo animi proposito nosmetipsos ita comparemus, ut in angustiis omnibus Deo nos totos ducendos ac dirigendos tradamus.

*Quæst.* Quomodo ducit Deus illos qui ab ipso pendent?

*Resp.* Triplici ratione. 1. Verbo. Psalm. 19. 105. 2. Spiritu sancto. Psam. 143. 10. Jes. 30. 21. & 3. Providentia. Nehem. 2. 18.

II. Licitum est etiam optare subversionem quorundam improborum hostium ex v. 12. Gal. 5. 12. Hoc autem sic est intelligendum. 1. Ut votum istud non proveniat ex privata cupiditate vindictæ. 2. Supponatur semper pervicacia & pertinacia eorum in malo. 3. Ut gloria Dei & Ecclesiæ bonum postulet illam eorum subversionem, quam nos optamus: conditiones istæ omnes colligi possunt ex istoc uno loco.

*Ratio.* Quia res ipsa hoc postulat. Apocal. 6. 9.

*Usus institutionis*, ut recte dirigamus ac temperare vota nostra discamus respectu illorum qui sunt improbi Ecclesiæ hostes.

III. Oppositio hominum ad Dei voluntatem, infert ipsis perditionem certissimam. vers. 6, & 7. Prov. 8. 36.

*Ratio.* 1. Quia separat ipsos à Deo, qui est salus ac vita hominum. Psalm. 36. v. 10. Joh. 2. 8. 2. Quia facit ut Deus sit contra ipsos. 1 Cor. 10. v. 22.

*Usus admonitionis*, ut fugiamus tanquam mortem, illa omnia quæ à Deo dissentiunt.

IV. Qui Deo non sunt oppositi sed conjuncti, libenter & cum summa cura, in ejus cultu se exercent: ex v. 8.

*Ratio.* 1. Quia in cultu est communio illa spiritualis & intima, quam habemus cum Deo: hic autem est præcipuus finis fidelium, quærere communionem cum Deo.

*Usus est.* 1. *Increpationis*, adversus eos, qui cultum Dei susque deque habent. 2. Exhortationis, ut animos nostros ita comparare studeamus, ut rite ferantur in Deum & ejus cultum.

V. Exempla divinarum liberationum, quas præstitit quibusdam suorum, debent fiduciam & consolationem omnium piorum confirmare, ex v. 12, 13. Rom. 15. 4.

*Ratio.* Quia singula talia exempla sunt totidem testimonia divinæ bonitatis ergo suos omnes.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne sinamus hujusmodi exempla nobis perire. 2. Consolationis maximæ, usque ad exultationem animorum, sicut est in textu, cum tantam nubem testium habemns confirmantium: Dei erga nos favorem; quotquot enim ab initio mundi misericordiam consecuti sunt apud Deum, & vel in Scripturis memorantur, vel alias nobis noti, tot testes habemus divini erga nos favoris.

VI. Ista consolatio ad illos tantum pertinet, qui per fidem ac spem, cum charitate pendent ex Deo, ex v. 12. 1 Tim. 1. 16.

*Ratio.* Quia tota ratio ac vis exempli

empli alicujus ſingularis, prout refertur ad aliud ſingulare, ponitur in illa ſimilitudine, qua alterum alterum refert.

*Vſus Admonitionis*, ne quiſquam ſibimetipſi imponat, conſolationem quærens ex privilegiis piorum, cum ipſe non ſtudet ipſorum ſimilis eſſe in pietate.

VII. Pii ſunt undequaque tuti, & quaſi circumvallati adverſus omnia pericula: ex v. ult Zach. 2. 5. Jeſ. 52. 12.

*Ratio.* Quia Deus eſt univerſale bonum, & univerſalis defenſio.

*Vſus.* 1. *Conſolationis* maximæ erga fideles. 2. Exhortationis, ut Deum faciamus receptum ac propugnaculum noſtrum, Pſalm. 91. verſ. 2. &c.

VIII. Benevolentia ipſa & benedictio Dei ſufficit ad omnimodam iſtam ſalutem, ex v. ult. Jeſ. 26. 1.

*Ratio* Quia Dei bene velle, ac bene dicere, eſt benefacere.

*Vſus* 1. *Eſt conſolationis* maximæ, erga omnes pios. 2. Admonitionis, ne abjiciamus fiduciam, aut animos deſpondeamus cum media nobis deſunt: quia ipſa benevolentia & benedictio Dei eſt per ſe ſufficiens.

## PSALMUS SEXTUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ fidium, ad gravem* ſymphoniam; *Pſalmus Davidis.*

2 *Jehova, ne in ira tua reprehendas me; neque in excandeſcentia tua caſtiges me.*

3. *Gratioſus eſto mihi Jehova, quia languefactus ſum: cura me Jehova, quia conturbata ſunt oſſa mea.*

4. *Et anima mea conturbata eſt valde: tu ergo Jehova quouſque?*

5. *Revertere Jehova, expedi animam meam: ſalvum fac me propter benignitatem tuam.*

6. *Nam non eſt in ipſa morte recordatio tui; in ſepulcro quis celebraret te?*

7. *Defatigatus ſum in gemitu meo, feci ut natet totam noctem lectus meus: lachrymis meis ſpondam meam liquefeci.*

8. *Depaſtus eſt ab indignatione oculus meus; conſenuit inter omnes oppreſſores meos.*

9. *Decedite à me omnes qui datis operam iniquitati: nam audit Jehova vocem fletus mei:*

10. *Audit Jehova deprecationem meam: Jehova orationem meam acceptam habet.*

11. *Erubeſcant & conturbentur valde omnes inimici mei: revertantur, erubeſcant momento.*

## ANALYSIS.

INſtituitur hoc Pſalmo deprecatio Davidis, qua mortifera aliqua calimitate preſſus utebatur apud Deum: apparet hoc ex v. 5.6.

Deprecatio ipsa eo spectat ut ab acerbitate & periculo hujus calamitatis possit liberari, v. 2, 3, 4. 5.

Suadetur ista petitio, ad versum usque 9. & postea illustratur ultimis tribus versiculis.

*Primum* argumentum, quo suadetur, est à quantitate vel gradu hujus calamitatis quam maximam fuisse ostenditur ab effectis, languore scilicet & enervatione omnium virium v. 3. in principio; quod per enumerationem partium explicatur; ossium nempe vel corporis v. 3. in fine: & animæ, v. 4. in principio.

*Secundum* argumentum petitur ab adjuncto durationis v. 4. in fine.

*Tertium* argumentum petitur ab effecto hujus calamitatis nisi in tempore depellatur v. 6. quod scilicet tolleret facultatem & opportunitatem celebrandi Dei nomen inter vivos; confirmatur istud hujusmodi ratione.

Qui mortui sunt, iis nomen tuum celebrandi inter vivos opportunitas non datur, v. 6. Sed si calamitatem istam non depuleris in tempore, ego proculdubio moriar v. 7, & 8. ergo nisi calamitatem istam tempestive à me depuleris, non dabitur mihi opportunitas nomen tuum inter vivos celebrandi.

Assumptionem confirmat & illustrat v. 7. & 8. tribus symptomatis vel indiciis mortis jam instantis.

Primum indicium est gemituum & suspiriorum gravitas, v. 7. in principio.

Secundum indicium est doloris exuperantia, ad omnem usque corporis humiditatem exhauriendam, v. 7. in fine

Tertium indicium est oculorum caligo & senium immaturum, v. 8.

Hactenus fuit persuasio petitionis; illustratur eadem tribus ultimis versiculis ab effecto, certa nempe exauditione, quæ fide jam quasi præsens fuit Davidi, atq; adeo ter commemoratur v. 9, & 10. & illustratur duplici effecto, gaudio nempe & exsultatione Davidis & pudore vel confusione omnium inimicorum ipsius, v. 9. & 11.

QVÆSTIONES.

I. Quid est in ira reprehendere, & in excandescentia castigare?

*Resp.* Intelligitur proprie talis afflictio. 1. Quæ à severitate justitiæ procedit, & non ab amore, Rev. 3. 19. 2. Quæ vehemens est & modum correctionis paternæ excedit, Jer. 10. 24. 3. Quæ favoris & gratiæ communicationem excludit, v. 3. 1 Cor. 10. 13.

II. Quid intelligitur per Dei reditum ad Davidem? v. 5.

*Resp.* Restitutio consolationis, cujus antea per Dei gratiam particeps fuerat; Deus enim accedere ad homines, & ab iis recedere dicitur, prout præsentiæ suæ signa vel apparere facit vel disparere; si vero præsentia illa fuerit ad castigationem, tum recessus Dei est levatio, Job 9, 34. & 13. 20. & reditus est pressura; si vero præsentia fuerit gratiæ & favoris, tum recessus Dei est afflictio, & reditus est liberatio, ut hic & ubique in Psalmis.

III. Quæ fuit ratio cur David tantopere deprecatus est mortem? ex v. 6.

*Resp.* 1. Quia mors est sua natura terribile malum, φοβερώτατον κακόν. 2. Quia ratio vitæ futuræ non tam revelata & perfecta fuit sub veteri testamento, atque jam est sub

novo.

novo. 3. Quia vita ista præsens cum ejus commodis, fuit tum temporis ex ordine instituto quasi pignus vitæ ac fœlicitatis futuræ. 4. Singulare hoc fuit in Davide, & in Hezekia, Jes. 38. 18, 19. quod religionem & cultum verum, quem illi cœperant vindicare & constituere, ex eorum discessu collapsurum videbant rursus, ex aliorum improbitate.

IV. Quare suos inimicos recedere jubet cum pudore, v. 9, 11?

*Resp.* Quia inhiabant quasi ipsius exitio, & animo saltem ipsi præsentes, summa spe & aviditate mortem ejus expectabant: jam vero spes eorum fuit plane delusa: consentaneum igitur fuit ut cum pudore desinant stulte sperare, quod improbe optabant.

DOCUMENTA.

I. Nulla calamitas est externa vel corporalis, cui non sunt obnoxii fideles; ex v. 3, 4, 5. Eccles. 9. 3, 4, 5. 1 Cor. 10. 13.

*Ratio* 1. Quia fideles eandem naturam communem habent cum aliis; natura autem ista mortalis est, & subjicitur morti. 2. Quia peccata etiam habent cum aliis communia, peccatum autem inducit mortem. 3. Quia portionem & fœlicitatem suam non habent aut expectant in ista vita.

*Quest.* Nihilne igitur discriminis est inter afflictiones fidelium & aliorum calamitates?

*Resp.* Multum per omnem modum. *Primarium* enim est in principio à quo proveniunt; afflictiones enim piis immittuntur ex amore paterno, Hebr. 12. 6. impiis vero ex odio & justitia vindicante.

*Secundum* discrimen est in fine & exitu, piis enim cedunt in bonum. Rom. 8. 28. 1 Cor. 11, 32. impiis autem in exitium.

*Tertium* est in modo, piis enim eo modo contingunt ut aculeo mortis & maledictionis destituantur 1 Cor. 15. 55, 56. & consolatione spirituali mitigentur: impiis autem initium sunt ipsius maledictionis æternæ.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne percellamur afflictionibus quasi peregrinum aut novum quid nobis accideret, 1 Pet. 4. 12. 2. *Exhortationis*, ut aspera quæque in istac vita expectantes, præparemus nosmetipsos ad eadem rite perferenda.

II. Fidelium piorum proprium est in omnibus afflictionibus & calamitatibus confugere per preces ad misericordiam & opem Dei, ex v. 2. & seqq.

*Ratio* 1. Quia Dei providentia sciunt afflictiones immitti & auferri Job 5, 6. Hos. 6. 1. 2. Deum habent pro receptu, Psal. 18. 3. 3. Hic finis est afflictionum, quæ fidelibus immittuntur, Hos. 5. 15. 4. Hoc etiam est Dei præceptum, Psalm. 50. 5.

*Usus Exhortationis*, 1. Ut in angustiis perpetuo confugiamus ad Deum. 2. Ut etiam tempore pacis & quietis, vel istoc nomine exerceamus nos ad preces quotidianas coram Deo, ut paratiores inde simus ad istud faciendum cum adversis urgemur. Qui enim cum pax est, non invocant Deum, non solent id recto corde facere cum gravissimis afflictionibus premuntur.

III. Liberationem à malis eo animo & fine præcipue petere debemus, ut Dei nomen liberius celebremus, ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia non tam nos ipsos quam Deum & ejus gloriam quærere debemus in omnibus nostris precibus, alias non sunt cultus Dei. 2. Quia hic ipse est finis liberationis à Deo præstitæ, Psal. 50. 15. 3. Quia sine istoc proposito, non sumus præparati aut recte dispositi ad liberationem sancte recipiendam.

*Vsus* 1. *Redargutionis*, adversus eos, qui cum clamant ad Deum, nihil spectant nisi suum proprium commodum. 2. *Exhortationis*, ut hanc dispositionem erga Dei gloriam foveamus perpetuo in cordibus nostris.

IV. Istiusmodi preces exaudiri à Deo, fideles etiam dum precantur sæpe sentiunt, ex v. 9, 10, 11. Dan. 9. 21, 23.

*Ratio*. Quia hæc est vis fiduciæ vivæ quæ in hujusmodi precibus exercetur, 1 Joh. 5. 14. 2. Spiritus ille Dei, qui preces istas excitat, Rom. 8. 26. facit ut sciamus quæ Deus nobis gratificatur, 1 Cor. 6. 12. duplici enim ratione Deus exaudire dicitur preces fidelium. 1. Per spiritum, cum certiores illos facit, quod preces eorum gratas & ratas habet. 2. Cum re ipsa & opere facit quod petunt.

*Vsus* 1. *Exhortationis*, ad preces, & 2. *Consolationis*, in malis.

## PSALMUS SEPTIMUS.

*Ode mixta Davidis: quam cecinit Jehovæ ad verba Cuschi Benjaminitæ.*

2. *Iehova Deus mi, ad te recipio me: salvum me fac ab omnibus persequentibus me, & libera me:*

3. *Ne abripiat tanquam leo animam meam; dilaceret, nemine liberante.*

4. *Jehova Deus mi, si feci istud: si est iniquitas* ista *in manibus meis:*

5. *Si intuli malum colenti pacem mecum, qui expedire solitus sum* quemque *opprimentem me immerito:*

6. *Persequatur inimicus animam meam, & assequatur, conculcetque in terra* auferens *vitam meam: & faciat ut gloria mea in pulvere habitet* ut qui *maxime.*

7. *Surge Iehova in ira tua, extolle te gravissimo furore percitus in eos qui me opprimunt: & invigilans* attende *ad me; judicium præcepisti.*

8. *Ergo cœtus nationum circumdet te; & supra hunc in altum revertere.*

9. *Jehova jus dicit populis: judica me Jehova; secundum justitiam meam & secundum integritatem meam* pronuncia *pro me.*

10. *Deficiat quæso malum improborum, & stabilito justum: prout explorator* es *animorum & renum, Deus juste.*

11. *Clypeus meus* est *in Deo, qui dat salutem rectis corde.*

12. *Deo vindice justi, &* Deo *forti detestante quotidie.*

13. *Si non convertatur* improbus, *gladium suum acuet; arcum suum adduxit &* sagittam *aptavit ei:*

14. *Denique in eum aptavit arma lethifera: sagittas suas, in fervidos occupaturus est.*

15. *Ecce parturiet vanitatem; ut concepit laborem, ita mendacium pariet.*

16. *Ciſternam fodit & excavavit eam: dejecit eo ſe, in fovea operaturus* opus ſuum.

17. *Redibit labor ejus in caput ejus: & ſuper verticem eius injuria ejus deſcenſura eſt.*

18. *Celebrabo Jehovam ſecundum juſtitiam ejus; & pſallam nomini Iehovæ excelſi.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Pſalmi indicatur primo in ejus titulo vel inſcriptione, quod ſcilicet compoſitus fuit ex occaſione graviſſimi cujuſdam criminis Davidi intentati à Cuſcho Benjaminita; crimen autem quod intendebatur fuit conjurationis initæ adverſus vitam Saulis ex affectatione regni, 1 Sam.25. 10.

Hac occaſione petitionem inſtituit David apud Deum, ut liberari poſſit à ſuis inimicis.

Primarium hoc hujus Pſalmi propoſitum ſimpliciter proponitur v. 2. & cum ornatu accommodatiſſimæ ſimilitudinis, à ſolemni forma publici inter homines judicii deſumptæ, repetitur & declaratur, v.7, 8, 9, & 10.

Poſtulatum hoc Davidis per reliquum Pſalmum partim ſuadetur ad verſum uſque 11. & partim illuſtratur inde ad finem.

*Primum* argumentum quo ſuadetur, petitur à cauſa principali, fœdere & promiſſione Dei v. 2. Qui recipiunt ſe ad Deum, ſalutem & liberationem conſequentur; ſed ego recipio me ad Deum; Ergo.

*Secundum* argumentum petitur ab effecto vel eventu liberationis negatæ v. 3. ſi à Deo non fuero liberatus immaniter dilacerabor ab hoſtibus, v. 3. quod ſimilitudine declaratur leonis in oviculam irruentis.

*Tertium* argumentum petitur à cauſa quaſi impellente, & promovente liberationis optatæ, innocentia nempe Davidis v. 4, 5, 6. quæ confirmatur. 1. Quaſi juramento, atque adeo teſtimonio Dei ipſius & imprecatione apud ipſum inſtituta ſi aliter ſe res habeat; & 2. Comparatione diſſimilium, (vitæ nempe Davidis & criminis objecti) qua prorſus improbabilis redditur accuſatio illa qua Davidis innocentia impugnabatur, v. 5.

*Quartum* argumentum petitur ab adjuncto officio Dei, qui invocatur tanquam juſtus judex totius terræ, v. 9 in principio, & v. 10. in fine; hactenus fuit ſuaſio petitionis inſtitutæ: ſequitur ejuſdem illuſtratio, quæ eſt ab effectis. Effecta hujus petitionis duo proponuntur. 1. Certa perſuaſio quam David habuit de ſua liberatione, & hoſtium ſuorum, ſi in conatibus perſiſterent, interitu, à v. 11. ad 18. & 2. Propoſitum firmum celebrandi nominis divini utriuſque beneficii nomine, verſu 18.

Perſuaſio de liberatione illuſtratur. 1. A cauſa, juſtitia nempe Dei, qua pios tueri & improbos punire ſolet, v. 11, & 12. 2. Reſpectu improborum, à ſimilitudine militaris apparatus ad eorum perniciem ſpectantis, v. 13, 14. & 3. Ab eventu vel effecto iſtius apparatus,

interitu

interitu nempe improborum, cujus justitia declaratur triplici comparatione parium metaphorice explicata v. 15,16,17.

QUÆSTIONES.

I. Quis aut qualis fuit iste Cush, qui in titulo dicitur huic Psalmo præbuisse causam?

*Resp.* 1. Non fuit Shimeius ille, qui convitiis oneravit Davidem fugientem ab Absalone (ut quidam autumant;) quia 1. Ipsius verba contumeliam solam adferebant Davidi, periculum vero nullum, sed proprio potius capiti suo. 2. Quia neque Absalon excitatus fuit illis verbis Shimeii adversus Davidem, sed ejus potius verba conspiratione Absalonis: neque conspirationi Absalonis quadrant illa omnia quæ in istoc Psalmo reperiuntur. 2. Non fuit Saulus ipse (ut multi judicant,) quia 1. De Sauli factis potius quam verbis conqueri solebat David, & de aliorum verbis ipsum irritantibus. 1 Sam.24.10. 2. Nulla justa datur causa, quare nomen Sauli dissimularetur, si Saulus ipse intelligeretur. 3. Fuit Benjaminita aliquis ejusdem tribus cum ipso Saule, potens in aula, princeps factionis illius quæ Davidem impugnabat: qua ratione fit, ut occasione verborum ipsius, David opem Dei implorat non tantum adversus ipsum, sed etiam Saulem, & omnes suos persecutores. v.2.

II. Ex v.4,5,6. Qua ratione juramentum adhibetur hic à Davide?

*Resp.* 1. Ut innocentiam suam & conscientiæ fiduciam quam maxime testatam redderet apud Deum. 2. Ut inimicos etiam si fieri possit ad rectum de se judicandum permoveret.

III. Ex v. 6. Quare inter jurandum male sibimetipsi precatur?

*Resp.* Imprecatio in omni juramento continetur; quia Deus à jurante semper invocatur ut testis veritatis, aut vindex falsitatis; vindicta vero adversus falsitatem, per imprecationem explicatur.

IV. Ex eodem v. quid interest inter *animam, vitam,* & *gloriam?*

*Resp. Anima* denotat personam per synechdochen membri; *vita* est persistentia illius personæ in statu viventium; *gloria* est ejusdem personæ decus & dignitas, quæ permanere sæpe solet post vitæ hujus finem.

V. Qualis gradatio verbis istis inest?

*Resp.* Grave est ut aliquis in persona sua ullo modo opprimatur: gravius si vita ipsa tollatur: illud autem gravissimum, si simul cum vita omnis gloria & dignitas extinguatur, præsertim cum gloria illa præcipue pendet ex promissione Dei, & illius fide, qualis fuit Davidis gloria. Psalm.22.9.

VI. Ex v. 7. quo sensu dicitur Deus judicium præcepisse?

*Resp.* Sensus est, Deus promisit innocentibus ad opem ipsius confugientibus, vindicationem ob omni injuria. Præceptionis vero nomine promissio hæc designatur, ut ostendatur firmitas & efficacia illius promissionis; quod enim Deus efficaciter vult efficere, id in scripturis dicitur præcipere. Psalm. 33.9. & 78. 23. & 147.15,18.

VII. Ex v.10. quare vocatur Deus scrutator cordium & renum?

*Resp.* Ut ostendatur eum scire omnia

omnia quæ ſunt in homine, etiam illa quæ ſunt maxime occulta & quaſi recondita in intimis ejus receſſibus, atque adeo maxime ac ſolum idoneum eſſe ad teſtimonium ac judicium verum ferendum de omnibus iis quæ pertinent ad hominem.

## Documenta.

I. Injuriæ quæ inferuntur nobis ab hominibus debent nos ad Deum ferre; colligitur ex titulo Pſalmi, 1. Pet.4.19.

*Ratio.* 1. Quia ſine providentia Dei neque inferuntur, neque auferuntur. 2. Quia alias pium & religioſum uſum iſtiuſmodi rerum non habemus. 3. Quia alias non vincimus malum, ſed vincimur à malo. Rom.12. ult.

*Uſus Reprehenſionis*, adverſus eos qui injuria ab hominibus affecti, de Deo & ejus providentia nihil cogitant, ſed feruntur toti ad homines ipſos ulciſcendos.

II. In graviſſimis injuris & periculis ad deum recipere nos debemus, tanquam ſufficientem noſtrum liberatorem. ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia ſalus omnis eſt Jehovæ. Pſal.3.10. 2. Quia hæc eſt natura veræ fidei ac fiduciæ 3. Quia illi, qui ad alios vel alia primario confugiunt, rei ſunt idololatriæ. Eph. 5.5.

*Uſus* 1. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ſedulo ab infidelitate & fiducia carnis. 2. *Exhortationis*, ut quotidie exerceamus noſmetipſos ad iſtam fiduciam ſpiritualem.

III. Quo magis inſtans eſt periculum, eo magis precibus inſtare debemus apud Deum. ex v. 3.

*Ratio.* 1. Quia preces oriundæ à neceſſitatibus noſtris, intendi debent, ſicut ipſæ neceſſitates intenduntur vel augentur. 2. Quia hunc in finem differt ſuam opem Deus, & periculum ſinit augeri, ut eo ardentius ipſum inclamemus. Matth. 20. 31.

*Uſus reprehenſionis*, adverſus eos, qui ſegneſcunt aut fatiſcunt in precibus, cum pericula ingraveſcunt.

IV. In iſtiuſmodi precibus conſcientia bona ſuſtentari debet fiducia. ex v. 4.

*Ratio.* 1. Quia mala conſcientia Deum offendit, quem propitium habere cupimus. 2. Inquinat preces ipſas. 3. Quia bonæ conſcientiæ factæ ſunt promiſſiones Dei.

*Uſus damnationis*, adverſus eos, qui Deum inclamare ſolent, ſine ullo examine vel cura ſuarum conſcientiarum.

V. Conſcientia illa ſola bona eſt, quæ conſiſtere poteſt coram Dei judicio. ex v.4,5. & 6. 10. Act. 23. 1. & 24. 16.

*Ratio.* 1 Quia ſolus Deus novit conſcientiam. 2. Quia conſcientia non reſpicit aliud tribunal, quam Dei ſolius.

*Uſus Admonitionis*, ne unquam in eo acquieſcamus, quod ab hominibus non poſſimus alicujus criminis convinci.

VI. Conſcientia bona non ſufficit ad animum ſuſtentandum, niſi etiam in Dei promiſſiones per veram fidem recumbamus. ex v. 7. Pſal. 119.92.

*Ratio.* 1. Quia hac ratione ſola ſanctificatur Deus in cordibus noſtris. 1 Pet. 3. 15. 2. Non tam ab innocentia conſcientiarum noſtrarum, quam à promiſſionibus Dei pendet ac provenit ſalus noſtra.

*Uſus* 1. *Reprehenſionis*, adverſus illos,

illos, qui suis bonis intentionibus nituntur solis. 2. *Exhortationis*, ut promissiones Dei copiose in nobis habitare curemus.

VII. Fiduciæ in promissiones Dei magnum firmamentum est fides providentiæ illius divinæ, quæ judicium exercet in tota terra, ex v. 8. & 9. 1 Pet. 3. 12.

*Ratio*, Quia promissiones non possunt impleri aut præstari, nisi per hujusmodi providentiam.

*Usus Exhortationis*, ut quotidie fidem nostram ædificemus & confirmemus circa Dei providentiam.

VIII. In precibus ac meditationibus eo solent assurgere pii, ut illud fide apprehendant, quasi præsens ac factum, quod ut fiat cupiunt ac orant. ex v. 11. Psal.6.9,10.

*Ratio*. 1. Quia fides ac fiducia istiusmodi exercitiis alitur & crescit, usquedum pervenerit eo, quo tendit, id est, ad plenam persuasionem. 2. Quia preces ipsæ piæ sunt certum argumentum, quo fides confirmatur, in certa expectatione eorum, quæ petuntur.

3. Quia Deus arcana quadam sui Spiritus operatione, ostendere solet suis, quam gratas habet eorum preces.

*Usus* 1. *Exhortationis*, Ut alacriter igitur exerceamus nos in precibus: quia frustra non precabimur. 2. Ut in precibus nostris ascendere conemur animis à fide ad fidem, usque dum perceperimus Deum in cordibus nostris annuentem votis.

IX. Nullum est Dei attributum, quin si recte perpendatur, ita ut ejus apprehensio cum fide misceatur, faciat ad fiduciæ confirmationem, & consolationis incrementum ex v. 12.

*Ratio*. 1. Quia quicquid revelatum est de Deo, in istum finem est revelatum. Rom. 15.4. 2. Quia cum Deus ipse est Deus fidelium ad salutem, necesse est, ut omnia illa, quæ sunt in Deo, faciant aliquo modo ad eorum salutem promovendam.

*Usus* 2. *Est consolationis*, quod tot argumenta certissima habemus quibus animi nostri possint confirmari. 2. *Exhortationis*, ut frequenter igitur de Deo & ejus attributis pie ac practice ad ædificationem nostram meditemur.

X. Deus omnia semper habet parata, & est quasi in procinctu, ad pios adjuvandos, & impios impœnitentes perdendos. ex vers. 13,14.

*Ratio*. 1. Quia Deus est in sese omnisufficiens ad omnia perficienda quæ vult, etiam in momento. 2. Quia etiam est omnipræsens, ita ut providentiam ejus nihil effugiat.

*Usus* 1. *Admonitionis*, erga peccatores, ne protrahant tempus suæ conversionis, sed redeant ad Deum, dum dicitur, *hodie*. 2. *Consolationis*, erga fideles, ut confirment animos in Deo, qui non propter defectum aliquem, sed certo & divino consilio differt aliquando eorum liberationem.

XI. Impii sæpe perduntur suis propriis consiliis & conatibus. ex v. 15,16,17.

*Ratio*. 1. Quia peccatum ex natura sua secum infert miseriam. 2. Quia justissima hac Dei gubernatione manifestum fit illos authores esse suæ propriæ perditionis.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne quisquam sibimet placeat in impiis ullis cogitationum suarum astutiis.

2. *Consolationis* erga fideles, quia

nulla eſt cauſa cur nimis turbentur aſtutis conſiliis & machinationibus impiorum ſuorum hoſtium, quæ cedent tandem in authorum perniciem.

XII. Cum vera fiducia miſericordiæ Dei, conjungitur ſemper firmum propoſitum nomen ejus celebrandi. ex v. ult.

*Ratio.* 1. Quoniam nemo eſt paratus & aptus ad Dei miſericordiam participandam, donec animum habet gloriæ Dei ſtudioſiſſimum. 2. Quia gloria Dei præcipuus finis eſt, propter quem beneficia peti ſolent à piis.

*Uſus Exhortationis*, ut iſtum affectum foveamus & excitemus in cordibus noſtris magis magiſque.

## PSALMVS OCTAVVS.

*Magiſtro Symphoniæ ad* ſtationem *Gitthæam, Pſalmus Davidis.*

2. *Jehova Domine noſter, quam magnificum* eſt *nomen tuum in univerſa terra: cui exponis ſemper cæleſtem decorem tuum!*

3. *Ab ore infantium & lactantium fundatam diſpoſuiſti laudem; propter hoſtes tuos, ad compeſcendum inimicum & ultorem ſui.*

4. *... uum reſpicio cælos tuos, opus digitorum tuorum; lunam & ſtellas quas ſtatuiſti:*

5. *Quid* eſt *mortalis, quod memor ſis ejus? aut filius hominis, quod viſites eum?*

6. *Minorem quidem feciſti eum pauliſper Angelis: ſed gloria & majeſtate coronaſti eum;*

7. *Præfeciſti eum operibus manuum tuarum: omnia poſuiſti ſub pedibus ejus:*

8. *Greges & armenta quotquot ſunt etiamque beſtias agreſtes;*

9. *Aves cæli & piſces maris: quicquid permeat ſemitas marium.*

10. *Jehova Domine noſter, quam magnificum* eſt *nomen tuum in univerſa terra!*

## ANALYSIS.

THESIS in iſtoc Pſalmo breviter illuſtrata, eſt nomen Jehovæ eſſe per univerſum orbem admirabiliter glorioſum ac magnificum.

Proponitur iſta theſis in principio & fine Pſalmi v. 2. & 10. quia quæſtio eſt & concluſio totius Pſalmi. Hoc enim plerumque obſervandum eſt in Pſalmis, quod illa ſententia quæ ſæpius repetitur in eodem Pſalmo, præcipuum ſcopum totius Pſalmi complectatur. ut Pſal. 80.4. 8. 20. & Pſal. 107. 1. 8. 15. 21. 31.

Theſis hæc v. 2. non ſimpliciter tantum proponitur ſed & comparatione minorum illuſtratur, dum gloria nominis Dei ſuperare dicitur cœlos ipſos.

Theſin iſtam antequam explicet Propheta, rationem reddit ſui officii in iſtoc onere ſuſcipiendo. v. 3. per occupationem tacitæ cujuſdam objectionis

objectionis; objici enim potuit, si Dei gloria tanta sit, ut omnem cogitationem superet, unde hæc audacia, quod tu prædicationem ejus aggredi non formidas?

Responsio est v. 3. quod Deus hoc efficit & approbat, ut ab infirmis prædicetur ejus gloria; cujus rei ratio redditur à fine, qui est confusio hostium Dei; ita ut v. 3. cum. 2. connecti debeat per conjunctionem discretam, hunc in modum: quamvis Dei gloria superet omnem laudem ac prædicationem humanam, non deterreor tamen ego ab illa pro virili celebranda, quia Deus vult suas laudes ab infirmis celebrari, ad confusionem hostium superbientium.

Argumentum quo demonstrat Propheta admirandam Dei gloriam, est admiranda ejus benignitas erga hominem. v. 9.

Benignitas hæc illustratur 1. A causa beneficiorum, quæ in hominem conferuntur, quæ nulla alia est quam gratuita Dei benevolentia. v. 5. quod ostenditur à diversis, vel à conditione illa hominis, quæ aliena prorsus videtur ab ista dignitate, ut scilicet Deo sit curæ ipsum exornare. v. 5. hoc autem illustratur per comparationem vilitatis humanæ naturæ, & majestatis illius divinæ, quæ in operibus ejus elucet v. 4. ubi vilitas humana iis titulis describitur, qui abjectam & ærumnosam denotant conditionem.

Illustratur. 2. Benignitas ista erga hominem per comparationem majoris dignitatis, nempe illius, quæ in Angelis maxima reperitur, & tamen non multo superior illa quæ confertur in homines. v. 6.

Illustratur. 3. Benignitas ista erga hominem, per singulare ejus effectum, quod est adjunctum dignitatis in hominem collatæ, dominium nempe in reliquas creaturas. v. 7. quod confirmatur & amplificatur per inductionem partium v. 8. & 9.

QUÆSTIONES.

I. Quid intelligitur per nomen Dei? v. 1.

*Resp.* Deus ipse quatenus semetipsum patefecit aut notum reddidit operibus ac verbo, sicut homines dignosci solent nominibus suis. Psal. 20. 2.

II. Quo sensu dicitur nomen Dei magnificum?

*Resp.* Quoniam excellit robore, virtute, decore, amplitudine, præcipue autem hoc in loco ratione beneficentiæ.

III. Qua ratione applicantur verba. v. tertii, ad pueros Christo acclamantes? Matth. 21. 16.

*Resp.* Certa & evidenti consequentia à genere ad speciem: atque adeo eadem plane argumentandi forma, qua David hic ad semetipsum generalem illam sententiam applicavit, prout in analysi fuit explicatum.

IV. Quid est, fundatam disponere laudem? v. 3.

*Resp.* Nihil aliud quam solidissime statuere, vel firmiter & immobiliter.

V. Quinam intelliguntur hic per hostes Dei?

*Resp.* Illi omnes, qui de Deo aliter sentiunt ac docent, quam divina majestate dignum est.

VI. Quare iidem etiam appellantur *ultores*?

*Resp.* Quia illi, qui de divina majestate

jeſtate & providentia non recte ſentiunt, non ſolent à Deo pendere, ſed ſibimetipſis & aliis rationibus iniquis, & crudeli vindicta proſpicere, Pſal. 44. 17.

VII. Quomodo compeſcuntur ſuperbi homines ab infirmis?

*Reſp*. Cooperante Spiritû ſancto, turbantur, & pudore afficiuntur, Act. 6. 10. 1 Cor. 1, 27, 28.

VIII. Quid eſt *viſitatio* Dei? v. 5.

*Reſp*. Viſitare eſt appropinquare, vel prope accedere, vel in manifeſtatione iræ, vel in manifeſtatione gratiæ. Hoc autem in loco intelligitur illa acceſſio, quæ eſt ex gratia, ut Luc. 1, 67.

IX. Quomodo accommodantur verba illa, quæ ſunt v. 5, 6, 7. ad perſonam Chriſti? Heb. 2, 6, 7, 8, &c.

*Reſp*. Accommodatio eſt facilis, ſi interpretes non vellent eſſe nimis ingenioſi. Cum enim homo creatus primo fuit ad iſtam dignitatem de qua hic agitur, & poſt lapſum etiam aliquas reliquias ejus retinuit, plenitudo ejuſdem in Chriſto homine reſtituitur, & per Chriſtum in eos omnes derivabitur, qui ſunt Chriſti, Heb. 2. 9. 10.

Quod igitur hic dictum eſt de homine, ibi perfici oſtenditur in Chriſto & per Chriſtum, in iis omnibus, qui ſunt Chriſti.

DOCVMENTA.

I. Ad Deum rite laudandum & glorificandum requiritur admiratio perfectionis illius, qua ſemetipſum nobis patefacit ex v. 2. & 10.

*Ratio* 1. Quoniam admiratio eſt affectio illa intellectus, qua movetur, cum ſuperari ſe percipit ab eo, quod contemplatur; aliquando igitur ex eo oritur, quod aliquid accidit præter omnem opinionem & expectationem, id eſt, cum actus intelligendi à re ſuperatur: aliquando vero ex eo, quod aliquid poſt inquiſitionem non poteſt comprehendi, id eſt, non tantum actus, ſed facultas ipſa intellectus à re intelligenda ſuperatur. Hoc autem duplici ratione præcipue contingit, vel cum rem ipſam ſatis percipimus, ſed cauſam ejus inveſtigare non poſſumus: vel cum rei ipſius gradum aut modum non poſſumus aſſequi cogitando. Jam vero in iis, quæ pertinent ad Deum & eius laudem ac gloriam, talia ſunt omnia, ut non tantum intellectus noſtri actum, ſed & ipſam facultatem ſuperent, non tantum ratione cauſarum & mediorum, ſed etiam ratione modi ac menſuræ, Eph. 3. 19. 2. Quia laudatio illa Dei, quæ eſt ſine admiratione, non eſt cultus religioſus, quia non defert Deo honorem illum, qui ſupremo numini debetur; qui enim non admiratur Dei vias, deprimit illam majeſtatem, & à ſe illas vel ſatis comprehendi putat, vel poſſe ſaltem comprehendi, Rom. 11. 33, 34. 3. Sine admiratione ſancta, affectus non moventur, niſi vulgari modo, quod in Deo, laudando eſt maxime indignum & indecorum, Matth. 22. 37. 4. Quia Angeli ipſi cum admiratione verſantur coram Deo, Jeſ. 6. 2.

*Vſus* 1. *Refutationis*, adverſus profanos quoſdam homines, qui vel Philoſophiæ ſcientia tumidi, cujus tamen nullam ſolidam ac perfectam perceptionem habent, vel ingenii vanitate elati, primariam æſtimant ſapientiæ partem, *nihil admirari*, hi ſunt adeo ſapientes in judicio ſuo,

ut

ut Deum revereri non possint; Prov. 3. 7. qui in desperata magis sunt conditione, quam fatui, Proverb. 26.12.

2. *Increpationis*, adversus tepidos illos homines, qui nunquam excitant semetipsos ad admirationem in contemplatione rerum divinarum, speciem quandam habent, & nonnunquam etiam laudem affectant nescio cujus moderationis, & animi sedati: sed vera causa est, quod curvos in terram habent animos, qui ad cœlum & res cœlestes attollere sese nesciunt.

3. *Exhortationis*, ut in vulgari divinarum rerum apprehensione non acquiescamus, aut affectibus illis circa res istas, quibus in aliis communibus versamur, sed exerceamus nos hic ad admirationem usque, & ad affectus admirationi congruos, Psal. 119, 18, 129. Paulus de rebus divinis, illis præsertim; quæ Christum & salutem spectant, semper fere loquitur cum admiratione, Eph. 1. 9, 7, 8, 9, 19. & 2, 4, 7. & 3, 8, 10, 18, 19.

II. Qui admirabilem Dei perfectionem & gloriam perpendunt, quamvis animo sint maxime parati ad eum laudandum, se tamen plane impares agnoscunt ad hoc ita faciendum, prout dignum est Deo, ex connexione v. 2, & 5. Gen. 32, 10. 1 Chron. 29. 14. Nehem. 9. 5.

*Ratio* 1. Quia cum intellectus non potest capere Dei gloriam, & cæteræ facultates non totum illud præstant, quod intellectus percipit esse præstandum, fieri non potest, quin illud quod præstatur sit longe infra dignitatem illam, quæ in Deo refulget. 2. Quia hæc una est causa admirationis, quod gloria Dei superat omnes nostras facultates.

3. Quia admiratio ista sic accendit in fidelibus affectus pios erga Deum, ut plus velint quam possint, 2 Cor. 8. 3.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos, qui de semetipsis & suis officiis erga Deum, ac meritis gloriantur; ostendunt enim se Deum & ejus majestatem plane ignorare.

2. *Admonitionis*, ut cum omni humilitate Deum colamus, pusillum est enim quod possumus præstare. 3. *Admonitionis*, ut eo magis caveamus nobismetipsis, ne pravis nostris affectibus & moribus, cultus noster, qui semper est imperfectus reddatur etiam abominabilis, Prov. 28, v. 9. & cap. 21. v. 27.

III. Tenuitas hæc & imperfectio non debet quenquam absterrere ab officio suo erga Deum præstando, ex v. 3. Locis ante citatis.

*Ratio* 1. Quia Deus ad se vocat infirmos & egenos, 1 Cor. 1. 27. 2. Quia Deo grata est voluntas & conatus; secundum illud quod adest, 2 Cor. 8. 12. 3. Quia in istiusmodo officiis non debemus viribus nostris fidere, sed potentiæ Dei, Phil. 4. 13. 4. Potentiæ Dei supereminentia manifestatur in hominum infirmitate, 2 Corinthians c. 4. v. 7.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos, qui sub humilitatis nescio quali prætextu erga Deum sunt sacrilegi; dicunt enim se infirmitatis suæ conscientia detineri, quo minus Ecclesiæ se adjungant, & Deo deferant debitum honorem. 2. *Admonitionis*, ne locum demus istiusmodi tentationibus

omnes enim cogitationes, quæ eo ſpectant, ut avertant homines à Deo quærendo, quacunque ſpecie commendantur, habendæ ſunt inter tentationes diaboli. 3. *Exhortationis*, ut in omnibus noſtris officiis erga Deum præſtandis ab ipſo pendeamus toti, tanquá infantes, 2 Cor. 3. 5.

IV. Quo majorem habemus apprehenſionem majeſtatis Dei, & propriæ noſtræ vilitatis, eo pluris facimus Dei erga nos benignitatem, ex v. 4, & 5. Jeſ. 66. 1, 2. 1 Reg. 8. 27.

*Ratio*. 1. Quia ex conſiderationibus iſtis benignitas Dei magis gratuita apparet. 2. Quia magis apparet inexpectata. 3. Quia eo magis exſuperat omnem gratiam, quæ poteſt à nobis Deo referri.

*Vſus* 1. *Admonitionis*, ut non tantum attendamus ad beneficia Dei, quæ nobis communicantur, ſed ſimul etiam ſerio, ſæpéque cogitemus, quis & qualis ille ſit à quo iſta beneficia procedunt, & quales nos ipſi ſumus in quos conferuntur. 2. *Exhortationis*, ut magis indies proficere ſtudeamus in cognitione Dei & noſtrûm ipſorum; alias enim neque beneficia, neque judicia Dei recte interpretabimur; qui enim Deum & ſemetipſos non recte cognoſcunt, ii vel & beneficia, & judicia Dei plane negligunt, vel beneficia tribuunt ſuis meritis, Deut. 9. 4. *Ne loquator cum animo tuo, quum expulerit Jehova Deus tuus eos à facie tua, dicendo, propter juſtitiam meam introduxit me Iehova ab hæreditario jure poſſidendum terram hanc, & propter improbitatem gentium iſtarum Iehova expellit eas à facie tua*. Et judicia tribuunt iniquæ crudelitati, Ezechiel 18. v. 2. *Patres comederunt omphacen, & dentes filiorum obſtupeſcunt*, & verſ. 25. *Quod autem dicitis, non æqua via Domini. Audite jam, ô domus Iſrael, an via mea non eſſet æqua? &c.*

V. Dei majeſtatem colligere debemus ex operibus ejus, & noſtram vilitatem ex miſeria & morte cui ſumus obnoxii, ex iiſdem verſiculis.

*Ratio* 1. Quia Deum qualis eſt in ſeſe, non poſſumus intelligere: & quales noſmetipſi ſumus, nolumus intelligere, niſi convicti iſtiuſmodi argumentis, quæ in ſenſum ipſum incurrunt. 2. Quia iſtum in finem & opera ſua, & noſtram miſeriam nobis propoſuit Deus contemplandam, ut Dei majeſtatem & noſtram vilitatem recte perſpectam habeamus

*Vſus* 1. *Increpationis*, adverſus eos, qui toti ſunt in aliarum rerum contemplatione; ita ut nunquam vel reſpiciant opera Dei, quá talia ſunt, vel reflectant animos in ſemetipſos & mortalitatem ſuam, Jeſ. 5. 12. *Opus autem Iehovæ non intuentur & opus manuum ejus non conſiderant*. 2. *Exhortationis*, ut meditationibus noſtris omnem perfectionem Deo ſemper tribuamus, & omnem imperfectionem nobiſmetipſis, Daniel 9. 7. *Penes te, ô Domine eſt juſtitia ipſa ac penes nos pudor faciei*, &c.

VI. Magna Dei erga homines benignitas in eo apparet, quod præfecit eos omnibus operibus manuum ſuarum, Gen. 1. 25, 28. & 9, 2.

*Ratio* 1. Pars eſt imaginis Dei, & perfectionis hominis. 2. In iſthoc ordine ſapientia Dei elucet. 3. Omnes creaturæ hoc pacto redeunt ad creatorem ſuum per hominem.

*Quæst*. An hoc intelligendum sit de omni creatura simpliciter, sine exceptione?

*Resp*. Intelligi debet de omni creatura, quæ non est ad imaginem Dei facta; angeli enim in textu excipiuntur.

*Object*. At angeli etiam ministrant in bonum hominum, Heb. 1. 14.

*Resp*. Ministerii munere funguntur in bonum electorum, sed tanquam Dei ministri, non tanquam hominum servi, quemadmodum proceres regni ministerii munere funguntur aliquando erga humiliores, sed jussu regis, ut ipsius servi, sicut Haman erga Mordechaium jussu Assueri, Esth. 6. actiones Angelorum, non subsunt arbitrio aut voluntati hominis.

*Object*. Sunt etiam aliæ creaturæ, quæ non subjiciuntur hominibus, non moventur cum volumus: neque vento, mari, & similibus possumus imperare.

*Resp*. Dicuntur tamen subjici hominibus, non absolute & simpliciter, sed quodammodo; quia in sua natura per creationem, media sunt usibus hominum inservientia, 1 Cor. 3. 21, 22. quædam creaturæ subjiciuntur hominis arbitrio, quoad operationes, & ipsam substantiam: quædam tantum quo ad usum ipsi inserviunt.

*Object*. Hoc sensu Christus ipse dici possit subjici hominibus.

*Resp*. Christus ipse respectu humiliationis dicitur servisse hominibus, Marc. 10. 45. sed tamen cum Christus primario & immediate sit propter Deum, ut in ipso summa illa Dei gloria splendeat, quæ potest creaturæ communicari, & secundario propter homines, idcirco Christus non dicitur noster, sed Dei, & nos dicimur Christi, 1 Cor. 3. 22. Christus dicitur noster Servator, sicut etiam Deus ipse noster pater, sed non simpliciter noster, sicut cæteræ creaturæ.

*Object*. Post lapsum multæ creaturæ homini, & ejus perfectioni repugnant.

*Resp*. Creaturæ ita subjiciuntur homini, ut magis sint subditæ Deo; cum igitur homo separavit se à Deo, creaturæ separarunt sese ab homine, ut Deo possint adhærere, manet tamen ex parte ordo subjectionis inter homines & cæteras creaturas.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ut omnem gloriam & majestatem tribuamus Deo, qui nos in istum finem gloria & majestate coronavit; comparentur v. 6, & 10. hoc autem præcipue & realiter præstatur, cum utimur creaturis in ipsius gloriam. 1 Cor. 10. 31. *Et si ego per gratiam cibum participo, cur ob id impius judicor, pro quo gratias ago?* 2. *Admonitionis*, ne redigi nos patiamur sub ullius creaturæ potestatem, 1 Corinth. 12. tum autem sub creaturæ potestatem redigimur, cum eius usui ita sumus dediti, ut non velimus abstinere, quamvis peccatum & scandalum inde sequatur, uti cum non expedit, & in potestatem redigi confunduntur, ibidem. 3. *Admonitionis*, ut in ipsas creaturas, quæ subjiciuntur nostræ potestati non simus tyranni, sed dominium illud legitime exerceamus, quod est à Deo nobis concessum, Proverb. 12. 9. *Curat justus vitam jumenti sui.* Roman. 8 20, 21. *Nam vanitati omnis creatura subjecta est non sua sponte, sed propter eum, qui subjecit*

eam

*eam iſti vanitati. Sub ſpe quod & ipſa creatura liberabitur ex ſervitute corruptionis*, &c.

VII. Dominium illud in creaturas, quod per peccatum amiſimus, per Chriſtum habemus reſtitutum. Hebræor 2. v.6, 7,8. *Teſtatus eſt autem quidam alicubi dicens: Quid eſt homo, ut memor ſis ejus: aut filius hominis ut eum reſpicias? Feciſti eum pauliſper inferiorem Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, &c.

*Ratio* 1. Quia Chriſtus liberans nos à peccato, liberat nos etiam à pœna & effectis peccati. 2. Quia non tantum priſtina illa dignitas quam habuimus ante lapſum, reſtituitur in Chriſto, ſed augetur etiam & auguſtior efficitur.

*Uſus exhortationis*, ut igitur in Chriſto & per Chriſtum accipiamus fide à Deo etiam communia iſta beneficia, Col. 2. 20. *Itaque ſi mortui cum Chriſto, liberi eſtis ab elementis mundi: quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini, Ne ederis, neque guſtaris*, &c. & 3. 17. *Et quicquid feceritis ſermone, aut factis, in nomine Domini Ieſu id facite, gratias agentes*, &c.

*Quæſt.* Quo jure poſſunt infideles, qui ſunt extra Chriſtum, uti creaturis quarum dominio exciderunt per peccatum, neque reſtitutum habent in Chriſto?

*Reſp.* Non jure donationis hujus ſupernaturalis, quæ propria eſt fidelium qui ſunt in Chriſto: neque naturalis illius donationis, quæ fuit in creatione, qua indignos ſeſe reddiderunt: ſed jure permiſſionis, qua Deus omnibus iis concedit neceſſaria ad vitam, quibus vitam ipſam concedit, qui vitam concedit, concedit ſimul omnia illa quæ vitæ debentur.

Qui criminis læſæ majeſtatis damnantur ad mortem & exciderunt ſuis omnibus bonis, permiſſione tamen Principis poſſunt ii vitam ſuam in carcere vel alibi ſuſtentare, uſque dum ſententia lata fuerit executioni mandata, aut totá culpa condonata, ſic ſe res habet in iſtoc negotio, quamvis igitur peccent infideles in eo, quod ſuo merito ſemetipſos deſtituerint & manent deſtituti jure donationis, atque adeo non illo ita utantur ſicut oportet; in eo tamen quod ſimpliciter utuntur, non peccant.

## PSALMUS NONUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ acutæ ad medianam, Pſalmus Davidis.*

2. *Celebrabo, Jehova, ex corde integro meo; enarrabo omnia mirabilia tua* opera.

3. *Lætabor & exultabo in te; pſallam nomini tuo excelſe:*

4. *Revertentes inimicos meos retrorſum, corruere & perire à facie tua.*

5. *Nam exercuiſti jus meum & cauſam meam, ſediſti in ſolio, ô vindex juſtitiæ.*

6. *Increpaſti gentes, perdidiſti improbum, nomen iſtorum deleviſti in ſecula ſempiterna.*

7. *O inimici, conſummatæ ſunt vaſtitates in æternum, & civitates exſtirpaſti,* ſcilicet,

*scilicet : istorum, istorum* inquam *memoria periit.*

8. *At Iehova in seculum sedebit, comparans ad judicium solium suum:*

9. *Et ipse judicaturus orbem juste; jus dicturus nationibus rectissime.*

10 *Eritque Jehova edita arx tenui ; edita arx temporibus* quibus est *in angustia.*

11. *Itaque fiduciam habebunt in te, qui noverint nomen tuum : quia non derelinquis quærentes te Jehova :*

12. *Psallite Jehovæ qui sedet Tzione : nunciate in populos res gestas ejus.*

13. *Eum qui reposcit sanguinem cæde fusum, horum recordari ; non oblivisci clamoris pauperum afflictorum ;*

14. Clamantium, *gratiam fac mihi Jehova, respice afflictionem meam* illatam *ab osoribus meis ; exaltans me è portis mortis :*

15. *Ut enarrem universam laudem tuam in portis filiæ Tzionis : exultem in salute tua* dicens ;

16. *Demersæ sunt gentes in foveam,* quam *fecerant ; ad rete* quod *absconderant captus est pes eorum.*

17. *Notum se fecit Jehova judicio* quod *exercuit,* quum *suo ipsius facto illaqueatus est improbus : rem meditandam summe.*

18. *Retroagentur improbi ad sepulcrum usque ; omnes gentes oblitæ Dei.*

19. *Non enim oblivioni unquam tradendus est egens ; expectatio pauperum* non *peritura est in perpetuum.*

20. *Surge Iehova, ne roboret se mortalis : judicium subeant gentes coram facie tua.*

21. *Incute Iehova timorem eis : vehementissime agnoscant gentes se mortales esse.*

## ANALYSIS.

SCOPUM hujus Psalmi non opus est ut anxie quæramus : expresse enim proponitur, vers. 2. ubi affirmatur celebrationem nominis divini præcipue spectari toto Psalmo. Hæc autem celebratio Jehovæ 1. describitur v. 2. & 3. & 11. causis aut fundamentis suis arguitur v. 4. ad Psalmi finem. Descriptio ostendit. 1. Principium hujus gratissimæ celebrationis propositæ, *cor* nempe integrum v. 2. in principio. 2. Quantitatem aut mensuram ejus, ratione objecti, quod scilicet, celebrabit non quædam, sed *omnia* mirabilia Dei opera v. 2. in fine. 3. Modum tam internum quod fiet cum lætitia maxima v. 3. in principio, quam externum, quod fiet illa professione & significatione externa, quæ rei naturæ maxime convenit, *Psallam nomini tuo*, v. 3. in fine.

Causæ celebrationis fuerunt beneficia Dei maxima erga Davidem: eaque vel præterita ad v. 14. vel futura à v. 14. ad finem Psalmi.

De præteritis celebrationem istam præstat. 1. Ipse Propheta ad v. 12. & tum cohortatur alios ad eandem simili modo præstandam, v. 12. & 13.

Præstat ipse hanc celebrationem agnoscendo & commemorando liberationem illam quam acceperat à Domino, in perditione suorum inimicorum, v. 4.

Liberatio autem iſta deſcribitur & illuſtratur. 1. A cauſa, quæ fuit regia & judicialis adminiſtratio Dei in vindicatione juſtitiæ, quæ metaphorice exponitur v. 5. 2. A modo & gradu hujus judicii exequendi. v.6. 3. Ab ejus eventu, qui eſt interitus hoſtium. v. 7. qui amplificatur per oppoſiti eventus expectationem vanam eorum ironice explicatam. ibid. 4. Ab adjuncto conſtantiæ, qua tota hæc adminiſtratio Dei pollet, v. 8. ubi tacita comparatio diſſimilium continetur inter ſtatum hoſtium perditorum, & fidelium à Deo, tam conſtante vindice, liberatorum. Hæc autem adminiſtratio Dei deſcribitur. 1. A ſubjecto, exercebitur in omnibus nationibus, per orbem univerſum. v.9. 2. Ab adjuncto rectitudinis & æquitatis. ibid. 3. A præcipua ejus parte, liberatione ſcilicet & conſervatione oppreſſorum, qua ſignificatur etiam ſynechdochice pars altera, animadverſio nempe in opprimentes. v. 10. 4. Ab effecto, fiducia ſcilicet piorum in Deo collocata; ubi deſcribuntur pii duabus pietatis partibus, & piorum proprietatibus, agnitione ſcilicet & invocatione nominis divini v. 11.

In cohortatione aliorum ad Dei gloriam prædicandam 1. Deus ipſe, qui celebrari ſolus debet, deſcribitur per illam relationem quam habuit ad populum Iſraelis, & habet ſemper ad Eccleſiam. v..12. 2. Ipſa celebratio ejus una deſcribitur. ibidem. 3. Cauſa ad hoc officium præſtandam invitans & impellens oſtenditur, bonitas nempe adminiſtrationis Dei, quæ effecto primario illuſtratur, quod ſcilicet vindicabit injurias quæ ſuis inferuntur. v. 13.

Hactenus de præteritis beneficiis: futura explicantur in petitionis & ſupplicationis forma. Petitio eſt liberationis continuandæ & perficiendæ, v. 14. & repreſſionis hoſtium. v.20.

Liberatio ſuadetur à fine, laudatione nominis Dei.v 15. quæ deſcribitur. 1. A ſubjecto loco, *in Tzione*. ibid. 2. Ab adjuncto modo alacritatis, *exultabo*. ibid. 3. A menſura & gradu ratione objecti, *univerſam laudem*. ibidem. 4. Exemplo expreſſo iſtiuſmodi laudationis v. 16,17,18, & 19. ubi ſubverſio impiorum hoſtium commemoratur, & ſimilitudinibus illuſtratur. v.16. explicatur à fine. v. 17. & confirmatur teſtimonio. v.18,19.

Repreſſio hoſtium. 1. Deſcribitur per manifeſtationem divinæ præſentiæ ad eorum terrorem. v.20. in fine. & v.21. in principio urgetur. 2. Ab eventu hujus coertionis omiſſæ, inſolentia nempe impiorum. v. 20. in principio 3. Ab effecto ejuſdem coertionis exercitæ, humiliatione ſcilicet impiorum v. 21. in fine.

In iſthoc Pſalmo, pauciſſima ſunt quæ magnopere poſtulant explicationem, præter illa quæ in antecedentibus fuerunt explicata.

QVÆSTIONES.

I. Quo ſenſu profitetur David, v. 2. ſe enarraturum *omnia* mirabilia opera Dei, quum hoc fieri nequit?

*Reſp*. Hyperbole eſt, & flagrantis animi indicium, non enim quod potuit, ſed quod cupiebat, & conabatur, pollicetur.

II. Quid eſt lætari & exultare *in Deo?* ex v. 3.

*Reſp*. Eſt ita lætari, ut Deus conſtituatur

stituatur totius lætitiæ principium & finis. v. 15.

III. Quid significatur illo titulo, quum Deus vocatur excelsus? ibid.

*Resp.* Exprimitur supereminens Dei potentia & gloria, Hoc vero in loco idcirco adhibetur, quia Deus re ipsa ostenderat istiusmodi potentiam & gloriam, dum Davidem superiorem fecit omnibus suis hostibus, Primo reperitur in Scripturis. Genes. 14. 19. 20, ubi etiam ex simili plane occasione à Melchisedeche usurpatur.

IV. Quid est noscere nomen Dei? v. 11.

*Resp.* Est cognoscere Deum sicut semetipsum & verbo & operibus suis patefecit; quælibet autem notitia Dei non intelligitur, sed illa quæ cum fide conjungitur: complectitur enim omnia illa quæ pariunt fiduciam, sicut apparet in ipso textu. & Psalm. 91. 14.

V. Quid est quærere Deum? ibid.

*Resp.* Quærere Deum significat proprie cupere & conari perceptionem aliquam habere Dei; quia vero cognitio voluntatis Dei primum locum obtinet in ista perceptione, idcirco quærere Deum idem sæpe est quod consulere Deum. Exod. 33. 7. Jes. 58. 2. & quia ultimus conatus noster, qui directe tendit ad perceptionem operationis ipsius Dei, est invocatio; idcirco quærere Deum idem sæpe est quod Deum invocare aut implorare ejus opem. Jes. 55. 6. sed per synechdochen, phrasis ista designat integrum cultum Dei, vel religionem totam, id est omne illud officium quod ab homine præstari Deo debet, vel omnem conatum qui facit ad communionem nostram cum Deo promovendam. 2 Chron. 14. 4. & 26. 5. & 34. 3. ratio est, non tantum quia magna pars hujus officii in Dei voluntatem inquirendo, & opem ejus invocando consistit, sed etiam quia reliqua omnia quæ pertinent ad religionem aptissime notantur ista phrasi. Indicatur enim 1. Objectum & finem Theologiæ vel religionis totius esse Deum, vel vivere Deo; quod partibus suis explicatur. Matth. 6. 33. ubi quærere regnum Dei & ejus justitiam jubemur; regnum enim Dei est fides vel status ille quem per fidem adipiscimur: & justitia ejus, est observantia vel obedientia illa quæ Deo & ejus regno convenit. 2. Ostenditur etiam eadem phrasi modum debitum in religione versandi esse, 1. Cum sensu & agnitione nostræ indigentiæ; nemo enim quærit quod habet, quatenus habet, sed quatenus aliquo modo caret; nos autem in ista vita semper caremus aliqua Dei gratia, aut aliquo ejus gradu; atque adeo semper debemus quærere; hæc vita est tempus quærendi: futura est tempus inveniendi & fruendi perfecte. 2. Ostenditur simul debere nos in hisce rebus versari cum omni collato studio & solicitudine. Matth. 6. 31, 32.

VI. Quare dicitur Deus Tzione sedere? v. 12.

*Resp.* Phrasis ista hanc vim habet, ut inde doceamur. 1. De Jehovæ distinctione ab impiarum gentium idolis. 2. De Jehova erga eum quem elegit populum amore admirabili, quo ipsis perpetuo adesse voluit, sicut homo in domicilio suo versatur. 3. De beneficiis ex ista

iſta præſentia Dei in populum illum redundantibus; quod ſcilicet iis conſilii, gratiæ, & ſubſidii ſui copiam facit. 4. De judiciis quæ conſtanter exercenda eſſent in eorum hoſtes, quoniam ſedebat ibi Deus tanquam in ſolio totius mundi judex ac vindex Iſraelis.

VII. Quid ſit repoſcere ſanguinem? v. 13.

*Reſp.* Eſt inquirere de injuriis omnibus, & præſertim de cæde perpetrata, ut author ligari, prehendi, & ad ſupplicium rapi poſſit. Gen. 9. 6. & 4. 10.

VIII. Quomodo petitio illa quæ habetur à v. 14. pertinere poteſt ad celebrationem nominis divini?

*Reſp.* Petitio quæ provenit à certa fiducia, nititur experientia gratiæ ac bonitatis ſummæ, & eo etiam ſpectat, ut occaſio ſuppeditetur Deum amplius laudandi; illa inquam petitio vim habet celebrationis.

IX. Quid ſignificatur per portas mortis? v. 14.

*Reſp.* Portæ aliquando ſignificant conſilia, machinationes, & poteſtatem. Matthæi 16. 18. alias autem proximum veſtibulum & aditum; hoc autem in loco poſteriore ſenſu uſurpatur, ad periculum imminens denotandum, ut ex verbo appoſito ſatis liquet, *exaltans me è portis mortis*.

X. Cur titulus *filiæ Tzionis* tribuitur Hieroſolymæ? v. 15.

*Reſp.* Non propter generationem aliquam ſpiritualem, (quamvis illa ratione convenire etiam poſſit) legimus enim ſimiliter de filia Tyri, Pſalm. 45. 13. & de filia Babelis, Pſal. 137. 8. ſed propter elegantiam, ornatum, & amabilem ejus conditionem.

XI. Quare mentio fit *portarum* Tzionis?

*Reſp.* Quia in portis urbium antiquitus conveniebant magiſtratus ac populus ad conſilia & judicia, ita ut portæ fuerint maxime publica & celeberrima loca, atque adeo cœtus publicos & maxime frequentes deſignent.

XII. Quid ſibi vult illa clauſula הגיון סלה Higgaion Sela? v. 17.

*Reſp.* Eſt acclamatio, vel epiphonema, continens admonitionem de officio noſtro circa mirabilia Dei opera; quod ſcilicet ſingulari affectu & ſummo ſtudio debemus illa meditari; tantum hic reperitur, & Pſalm. 92. 4. ubi etiam agitur de mirabilibus Dei operibus.

DOCUMENTA.

I. Officium & mos eſt piorum, qui beneficiis Dei afficiuntur, nomen ejus de illis celebrare, id eſt, ita illa beneficia meminiſſe & commemorare, ut ad Deum laudandum & ipſi & alii poſſint excitari. v. 2. Pſal. 40. 10, 11. Exod. 15. 2. Deut. 10. 21.

*Ratio.* 1. Quia gloria Dei finis eſt omnium ejus operum. 2. Quia gloriæ hujus agnitio & prædicatio pertinet ad homines, ſed præcipue ad eos quos illa opera ſingulariter attingunt; illi enim quaſi nominatim excitantur ad hoc officium præſtandum. 3. Quia hæc eſt præcipua pars gratitudinis quam poſſumus Deo præſtare. 4. Quia ipſa beneficia non rite ſed quaſi furtim à Deo recipiuntur, ſi hæc celebratio deſit; eſt enim vectigal à Deo impoſitum ſuis omnibus beneficiis, quo non ſoluto, læditur ipſius majeſtas & beneficia e-

jus injuste usurpantur.

*Usus* 1. *Reprehensionis*, adversus torporem nostrum, quod non magis afficimur Dei beneficiis, vel corporalibus, vel spiritualibus 2. *Exhortationis*, ut istiusmodi proposito, quale David hic profitetur, subinde renovato, constringamus nosmetipsos ad hujus officii curam.

II. In celebratione nominis divini, celebrandi modus non minus debet spectari, quam celebratio ipsa. v. 2. & 3.

*Ratio*. 1. Quia modus est quasi forma & præcipua pars actionis piæ; nihil agitur à piis quin idem etiam aliquo modo ab impiis præstari possit ac soleat: sed pii suo modo, id est, pie faciunt, & impii suo, id est impie. 2. Quia gratitudo proprie est in cordis affectu, qui pertinet ad modum actionis. 3. Quia Deus non tam respicit externam actionem quam internam dispositionem.

*Usus Admonitionis*, ut in hujusmodi officiis pietatis, nunquam acquiescamus in opere (ut loquuntur) operato.

III. Facit ad nominis Dei majorem celebrationem, si apprehendatur sub illis titulis qui in beneficiis ejus maxime elucent, ex v. 3. *excelse*. 2 Cor. 1.3.4.

*Ratio* 1. Quia Deus hoc pacto magis distincte cognoscitur in suis beneficiis. 2. Quia fides magis confirmatur. 3. Quia officium nostrum magis urgetur, & quasi inculcatur.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut Dei titulis & attributis magis distincte cognoscendis diligentem operam demus. 2 *Exhortationis*, ut per meditationem divinæ perfectionis, quæ in operibus ejus apparet, excitemus nosmetipsos ad eum rite laudandum.

IV. Plurimum juvat in Deo laudando, illa ratione contemplari Dei beneficia, qua maxime illustria possint apparere & quasi ad vivum expressa; huc spectat descriptio illa judicialis processus Dei adversus hostes Davidis. v. 4, 5, 6, 7. Ubi Deus ita describitur quasi pro tribunali sedens, hostes Prophetæ citans ut coram se compareant in judicio, & causa tota cognita, iisque convictis immanissimi flagitii, sententiam severam in ipsos pronuncians, & exequutioni è vestigio mandans.

*Ratio*. Quia quo clarius percipitur gloriosa Dei operatio, eo magis afficit animum.

*Usus Admonitionis*, ut non satis habeamus perfunctorie aspicere Dei beneficia, sed ut quantum possumus, attentis oculis in illa etiam introspiciamus, & quam efficacissime nobismetipsis repræsentemus.

V. Ad Deum digne laudandum necessaria est illa fides, qua apprehenditur ut constanter omnia gubernans, & justitiam recte exercens. ex v. 8, 9, 10. Psal. 29. 10.

*Ratio*. 1. Quia ex constantia Dei in imperio & gubernatione sua pendet omnis consolatio fidelium adversus mala futura. 2. Quia constantia gaudii nostri fluit ex constantia Divinæ bonitatis fide apprehensæ.

*Usus* 1. *Est instructionis*, ut cum cæteris Dei attributis jungamus semper in meditationibus nostris constantiæ & æternitatis ejus considerationem. 2. *Exhortationis*, ut fidem istam ostendamus constanter

ſtanter & firmiter à Deo pendentes.

VI. Geminus fructus hujus fidei eſt firma in Deum fiducia, v. 11.

*Ratio* 1. Quia fides iſta illam ſufficientiam & efficientiam apprehendit in Deo, quæ veram fiduciam procreat, conſervat, & auget, Pſal. 33. 21.

*Uſus* 1. *Admonitionis*, ne fidem illam veram & vivam eſſe putemus quæ à fiducia vera ſeparatur. 2. *Exhortationis*, 1. Ut ædificemus noſmetipſos in fide, fiduciam velimus in Deo collocare, 2. Ut fiducia vera creſcere ſtudeamus ſi fidem in nobis perfeci velimus.

VII. Ad iſtam fiduciam neceſſaria eſt notitia nominis Dei, v. 11. Rom. 10. 14.

*Ratio*. 1. Quia cæca fiducia eſt idololatria, Act. 17, 23. 2. Quia nominis Dei ignarus cauſam nullam percipere poteſt, cur magis in Deo fiduciam habeat quam in creaturis.

*Uſus admonitionis*, ut fugiamus ignorantiam, & quæramus cognitionem Dei, Hebr. 8. 11.

VIII. Solida notitia Dei cum fiducia excitat homines ad Deum quærendum, v. 11.

*Ratio* 1. Quia inſitum hoc eſt & innatum non hominibus tantum, ſed & brutis animalibus, ut in periculis eo confugiant, ubi maximum præſidium ſibi paratum eſſe vident. 2. Quia illi qui norunt Deum, norunt etiam Deum velle ab hominibus quæri, eoſque ad ita faciendum multis promiſſis excitare: & qui fiduciam habent in Deo, fiduciam etiam habent in illis promiſſis.

*Uſus* 1. *Admonitionis*, ne notitiam aut fiduciam illam Chriſtianam eſſe putemus, quæ eſt ocioſa, non exerens ſeſe in precibus & invocatione. 2. *Exhortationis*, ut in Deo ſedulò quærendo exerceamus notitiam & fiduciam noſtram.

IX. Qui Deum ex toto animo laudat, is alios etiam ad idem faciendum incitabit, v. 12, 13.

*Ratio* 1. Quia illa eſt natura veræ lætitiæ, ut aliorum conſortium, & in eodem affectu conſenſum quærat, Luc. 15. 6. 9. 2. Quia gratitudine pia eo feruntur animi fidelium, ut majorem laudem Deo exoptent quam illi ſoli poſſunt præſtare, Nehem. 9. 5. 3. Quia hac ratione gloria Dei magis extenditur & amplificatur, 2 Corinth. 1. 11.

*Uſus exhortationis*, ut omnem occaſionem captemus alii alios hortandi ad iſtiuſmodi officia pietatis.

X. Qui Deum rite laudat de gratia ſibi facta, petet etiam ampliorem gratiam ſibi fieri, ex v. 14, Phil. 4. 6, 7.

*Ratio* 1. Quia nemo in iſtac vita tantæ gratiæ particeps fit, quin opus adhuc habeat ampliore; Phil. 3. 12. Eph. 4. 13. *Ratio* 2. Quia amplior materia Deum laudandi quærenda ſemper eſt in futurum, v. 15. 3. Quia delectatio quæ percipitur ex Dei gratia jam communicata, non ſatiat ſed excitat & exacuit appetitum, 1 Pet. 2. 2, 3.

*Uſus Reprehenſionis*, ad multorum Phariſaicam præſumptionem arguendam, qui videntur ſibi nullius fere gratiæ egere, Luc. 18. 11. 1 Cor. 4. 8. Apoc. 3. 17.

XI. Qui Deum ſerio vult laudatum, celebrabit eum in cœtibus magnis ex v. 15. Pſalm. 40. 10. 11.

*Ratio* 1. Quia confidentia ſancta hoc modo apparet, Pſal. 119. 46. 2. Quia laus ac gloria Dei hoc pacto optime propagatur, Pſalm. 34. 4. 3. Quia

3. Quia una cum pietate erga Deum simul etiam charitas erga proximum exercetur, 1 Tim. 1. 16.

*Usus* 1. *Reprehensionis*, adversus eos qui beneficia Dei ita regunt, quasi furto nacti fuissent, Marc. 5. 30. 2. Adhortationis, ut frequentemus diligenter sacros Ecclesiæ cœtus.

XII. Illa est certitudo fidelium de futuris Dei beneficiis in pios, & judiciis in impios, ut illa quasi præsentia contemplentur, ex v. 16. Psal. 6. 9, 10, 11.

*Ratio* 1. Quia hæc est natura fidei Hebræ. 11. 1. 2. Quia Deo, cui fides incumbit, omnia sunt præsentia, 2 Pet. 3. 8. 3. Quia initium hujus successus est in eo quod certiores redduntur pii de hac bona Dei voluntate, Apoc. 18, cum 22. 6.

*Usus exhortationis*, ut excitemus fidem nostram ad illam usque intentionem qua omnia Dei promissa quasi præsentia possint à nobis spectari.

XIII. Deus illis judiciis quæ prædixit impiis superventura, magis magisque innotescit mundo, ex v. 17. Ezech. 25. 17. *Experienturque me esse Iehovam, quum edidero ultionem meam in eos.*

*Ratio* 1. Quia opera Dei sunt ejus testimonia, Act. 14. 17. *Quanquam non passus est se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis cælitus pluvias*, &c. 2. Quia beneficiis non moventur homines impii, Jes. 26. 10. *Cum gratia fit improbo, non discit justitiam.* 3. Quia judicia Dei illud ipsum Dei proprie notū facit quod singulariter pertinet ad impios qua sunt tales, Rom. 2. 8, 9.

*Usus admonitionis*, ut ex judiciis Dei discamus justitiam, Jes. 26. 9.

XIV. Ita innotescit sæpe Dei justitia in suis judiciis, ut prudentes intelligere possint quænam sunt illa peccata, quæ singularia quædam Dei judicia accersunt, ex v. 16, 17. Prov. 5. 22.

*Ratio*. Quia judicia Dei sunt medicinalia, atque adeo proportionem illam habent ad morbos, ut intelligi possit cui morbo singularia emplastra sint aptanda.

*Quæst.* Quibus indiciis potest hoc deprehendi?

*Resp.* 1. Si singulare aliquod judicium singulari peccato in Scripturis denunciatur. 2. Si peccatum illud sua natura quasi efficienter producat tale effectum. 3. Si conscientia peccatoris ex occasione judicii, arguat eum singularis alicujus peccati. 4. Si peccator à judicio ipso deprehendatur quasi in flagranti delicto. 5. Si ratio talionis appareat in comparatione peccati & ejus pœnæ, quæ reperitur 1. In ipso actu Psalm. 18. 27. *Cum puro purum te præbebis: at cum perverso perverteris.* Prov. 28. 9. *Qui avertit aurem suam ab audienda lege, etiam oratio ejus abominationi est.* 2. In mediis. Hos. 2. 9, 10. *Recipiam frumentum meum tempore suo, & mustum meum tempestate sua; eripiamque lanam meam & linum meum tecturum nuditatem ipsius: Et nunc retegam fœditatem ejus in oculis amatorum ejus*, Jer. 8. 2. *Expendent ea* (nempe ossa Regum, Principum, Sacerdotum & Prophetarum Jehudæ) *Soli & Lunæ totique exercitui cælorum quæ diligunt, & quæ colunt, & quæ sequuntur; & quæ consulunt*, &c. 3. In generis communione, Matthæi 26. 52. *Quicunque enim acceperint gladium, gladio peribunt.* 4. In similitudine. Jer. 5. 19. *Quemadmodum dereliquistis me, & servistis Diis alienigenarum*

*genarum in terra non veſtra*, Num. 14. 34. *Pro numero dierum quibus exploraſtis terram, quadraginta dierum, unoquoque die in annum verſo, feretis pœnam iniquitatum veſtrarum quadraginta annos : ut cognoſcatis abruptionem.*

*Uſus admonitionis*, ut prudentes eſſe diſcamus in judiciis Dei interpretandis.

XV. Judiciis hujuſmodi terrentur & humiliantur illi qui ſunt maxime impii, ex v. 20, 21.

*Ratio.* Quia conſcientia hoc pacto excitatur ad officium ſuum faciendum in accuſando & condemnandō.

QUÆSTIONES.

An non timor igitur Dei & coram ipſo humiliatio propriæ ſunt piorum ?

*Reſp.* Reverentialis timor qui conjungitur cum fiducia & amore, ſicut etiam humiliatiō illa quæ reſipiſcentiam efficit, cujus nunquam pœniteat, propria eſt fidelium : ſed horror coactus cum ſtupore & fuga Dei conjunctus, ſicut & humiliatio violenta potius quam voluntaria in improbis nonnunquam reperitur, Pſal. 78, 34, 35, 36, 37. 1 Reg. 27. 28, 29.

*Uſus Admonitionis*, ut nos igitur multo magis afficiamur, cum Deus iram ſuam ullo modo de cœlo revelat, idque animo recte & propoſito efficaci.

## PSALMUS DECIMUS.

QVare *Jehova abſiſtis in longinquo ?* quare *te occultas temporibus* quibus ſumus *in anguſtia* ?

2. *Superbia ſua improbus fervide perſequitur pauperem afflictum : deprehendantur in cogitationibus quas comminiſcuntur.*

3. *Nam laudat improbus animam ſuam in deſiderio ipſius : & quæſtum facienti benedicit, irritat Jehovam.*

4. *Improbi in elatione vultus ſui, non inquirere ; nullum* eſſe *Deum, hæ* ſunt *omnes cogitationes ejus.*

5. *Munitæ ſunt viæ ejus quocunque tempore, altiſſime* abſunt *judicia tua à conſpectu ejus : quicunque ſunt hoſtes ejus, in eos favilla incendium facit.*

6. *Dicit cum animo ſuo, non dimovebor ; ulla ætate ſe non* fore *in malo.*

7. *Execratione os ejus plenum eſt, fraudibuſque & dolo ; ſubeſt linguæ ejus moleſtia & vanitas.*

8. *Deſidet in ſpecu villarum, in latebris, occiſurus innocentem : oculi ejus contra defectum viribus deliteſcunt.*

9. *Inſidiatur in latibulo, ſicut leo in tugurio ſuo, inſidiatur ad rapiendum pauperem afflictum ; rapturus pauperem afflictum, trahendo eum in rete ſuum.*

10. *Atterit ſe, incurvat ſe ; & procidit* membris *robuſtis ſuis*, tanquam ſi eſſent *defecta viribus.*

11. *Dicit cum animo ſuo, oblitus eſt* Deus *fortis ; abſcondit faciem ſuam, non reſpicit unquam.*

12. *Surge Iehova,* Deus *fortis attolle manum tuam : ne obliviſcaris pauperum afflictorum.*

13. *Quam ob rem irritat improbus Deum? dicit cum animo suo te non repositurum esse?*

14. *Visum est tibi, quum tu molestiam & indignationem intueris, reponere manu tua: tuæ fidei committit se defectus viribus; pupilli tu es adjutor.*

15. *Frange brachium improbi, & mali: inquire in improbitatem ejus,* donec *non inveniás amplius.*

16. *Iehova rex sempiternus est, perierunt gentes è terra ipsius.*

17. *Desiderium mansuetorum exaudivisti Jehova: confirma animum horum, adverte aurem tuam:*

18. *Vindicando pupillum & attritum; ut non pergat amplius eum violenter exagitare mortalis è terra.*

## ANALYSIS.

PRopositum Davidis in istoc Psalmo, haud aliud est quam petitio in hanc sententiam concepta, *Perde improbos Ecclesiæ hostes ac oppressores (ô Iehova) & populum tuum serva.*

Prius membrum hujus petitionis, quod est de hostibus perdendis exprimitur, vers. 2. in fine, vers. 15. alterum autem membrum, quod est de Dei liberatione, exprimitur, v. 12. 17, 18.

Hujus autem petitionis occasio & causa 1. proponitur v. 1. sub forma querelæ & sanctæ cujusdam expostulationis, quod scilicet Ecclesia destituta jam videbatur in suo gravissimo tempore, omni ope divina; cujus querelæ hæc vis & mens est, *non potest consistere cum tua gloria & salute tuorum, ô Iehova, ut diutius te à populo tuo disjungas, quasi nullam ejus rationem habens, orandus igitur & exorandus es: ut hisce jam in tempore prospicere velis.* 2. Ejusdem petitionis persuasio urgetur duobus præcipuis argumentis ad finem usque Psalmi.

*Primum* argumentum petitur à causa perditionis illius quæ hostibus vovetur, eorũ nempe monstrosa impietate, quæ talis fuit, ut maturum & severum Dei judicium quasi magno clamore flagitasse videatur, v. 1. & v. 14.

Hæc autem impietas prolixa descriptione per gradus concatenatos in istis versiculis explicatur.

Primus gradus est *superbia*, quæ causa est cæterorum omnium scelerum, v. 2. 2. Est fervor animi in persecutionem bonorum, ibid. 3. Est securitas, qua sibimetipsi & sui similibus benedicit quod illustratur ab effecto, irritatione nempe Dei, vers. 3. 4. Est superbus Dei contemptus & abnegatio, blasphemia, v. 4. & 11. & 13. 5. Est confirmatio animi in impietate sua, per omnis metus Dei & hominum amolitionem, v. 5. cujus effectum est persuasio vel somnium de perpetuitate suæ conditionis optatæ, v. 6. 6. Est verborum fœditas, v. 7. 7. Est factorum rabies, v. 8. 9. 10.

*Secundum* argumentum petitur à causa liberationis, ac salutis fidelium, & principali, quæ est efficax & constans providentia, in malis coërcendis & piis tuendis, & etiam media vel ministrante, quæ est fides & fiducia piorum, quæ in illam providentiam tanquam fulcrum suum firmum recumbunt, v. 14, 16, 17.

### QUÆSTIONES.

I. Quomodo consistere potest cum

cum pietate expoſtulare cum Deo, id eſt, poſtulare cauſam facti, quod nihil aliud videtur eſſe quam accuſare ? ex v. 1.

*Reſp.* In iſtiuſmodi expoſtulationibus aliquando includitur accuſatio Dei, quaſi abſque cauſa iraſcentis, Jeſ. 58. 3. ſed alias vim habet graviſſimæ querelæ & lamentationis, Lam. 2. 1, 2. &c. ubi culpa quidem & meritum agnoſcitur, ſed gravitas tamen miſeriæ ſub iſta forma quaſi admirationis, exaggeratur: nonnunquam etiam fervida petitio in iſtiuſmodi quæſtione continetur, Pſalm. 42. 10. quæſtio enim vel interrogatio, cum ſententiæ affirmatæ adjungitur, vim ſæpe habet negationis, aut diſſuaſionis, Marc. 5. 35. cum Luc. 8. 49.

II. Quid eſt deprehendi in cogitationibus?

*Reſp.* v. 2. Nihil aliud eſt quam ut cogitationes illæ, quibus moliuntur perniciem aliorum, recidant in capita authorum, id eſt, ut ſint ipſis cauſa ruinæ, Pſalm. 9. 16, 17.

III. Quid eſt illud *non inquirit*? v. 4.

*Reſp.* Nihil omnino curat, utrum cogitationes & actiones ſuæ licitæ ſint an illicitæ, Jeſ. 8. 19

Quomodo poſſit in animum homini veniri non eſſe Deum? Rom. 11. 9. ex v. 4.

*Reſp.* 1. Quamvis quis hoc apud ſe non plane judicaverit, dicitur tamen ita cogitare, quum illud ſtatuit aut agit, quod manifeſte ſecum infert talem concluſionem, hoc eſt, quod dicitur, *interpretative* hoc aut illud dicere vel cogitare. 2. Communis illa impiorum cogitatio quæ in ſcripturis habetur pro abnegatione Dei, eſt quod putent ſe rationem actæ vitæ nunquam reddituros, verſ. 13. 3. Non deſunt etiam qui ut viam faciant huic illuſioni, conantur in animos ſuos inducere atheiſmum, ſunt ſtudioſi atheiſmi, Pſalm. 14. 1.

V. Quomodo improborum viæ dici poſſint *munitæ*, cum peccatum reddit homines nudos, & omni munimento deſtitutos? Exod. 32. 25. ex v. 5.

*Reſp.* Munitæ ſunt viæ impiorum non re ipſa, ſed opinione & imaginatione ſua, eodem igitur ſenſu à multis hic legitur, *proſperantur viæ ejus*, quia proſperum ſucceſſum ſibimet pollicentur improbi, utriuſque hujus interpretationis authores referunt hoc verbum ad radicem חיל. *ſtrenue agere* ſed eodem etiam redit, ſi referatur ad radicem חיל *parturire*, quia ſpes illa proſperi ſucceſſus ita munit animum ut vires conferat pariendi.

VI. Quo ſenſu dicantur improbi favilla incendium facere in hoſtes, ex v. 5.

*Reſp.* Rectius vertitur *ſufflat in eos* יפיח per contemptum ſcilicet, quaſi putet ſe vel ſpiritu uno poſſe ipſos diſſipare, ſed quia flatu excitatur incendium, idcirco idem verbum ſignificat aliquando inflammare, quam ſignificationem ſequuti ſunt Tremellius & Junius hoc in loco, ſenſu non multum diſcrepante.

VII. Qua ratione verba illa v. 7. *execratione os ejus plenū eſt*, Rom. 3. 14. eo accommodantur ab Apoſtolo, ut inde probet omnium hominū naturalem conditionem eſſe maxime depravatam, cum à ſpecie ad genus non ſequitur argumentatio generalis?

*Reſp.* 1. Quia ſcopus Apoſtoli in iſthoc & ſimilibus locis adducendis, fuit probare Iudæos æque ac gentes,

obnoxios

obnoxios esse huic pesti, apparet hoc ex illius capitis v. 19. 2. Quia omnium hominum naturalis conditio est una & eadem, quoad spiritualia: ita ut nullum unquam peccatum cuiquam fuerit dominatum quin ejusdem principium ad semen in omnibus reperiatur. 3. Quia sicut in Davidis persona proponitur nobis fidelium exemplar, sic in adversariorum ejus persona impiorum omnium imaginem habemus expressam, Versic. 10. acuratius vertitur à Piscatore quam à Junio. *Ruit robustus suis membris super inopes.*

VIII. Quomodo Deus surgere dicitur, & attollere manum suam? vers. 12.

*Resp. Surgere* dicitur cum accingit semetipsum ad opus aliquod insigne præstandum, & *attollere manum suam*, cum documentum aliquod exhibet sufficientiæ & efficientiæ suæ in illo opere perficiendo.

IX. Quid est frangere brachium improbi? v. 15.

*Resp.* Nihil aliud est, quam adimere improbo vim & facultatem nocendi; idem est quod confringere dentes, Psalm. 3. 8. & 58. 7.

X. Quomodo efficitur ut improbitas impiorum amplius non inveniatur? v. 15.

*Resp.* Per misericordiam Dei fit ut peccata fidelium non appareant amplius, ne quidem coram ipso Deo, Jer. 50. 20. sed per judicia Dei fit, ut infidelium peccata non appareant amplius coram hominibus ad alios vel inficiendos, vel infestandos Ezech. 23, 48.

DOCUMENTA.

I. Pii homines in suis angustiis maxime quærentur de absentia Dei à sese, ex v. 1. Psalm. 12, 2, 3.

*Ratio* 1. Quia in omnibus quæ ipsis contingunt, Deum & ejus providentiam præcipue spectandam esse norunt, Eccles. 7. 13, 14. 2. Quia Dei absentia conturbationis causa est omnibus creaturis, Psalm. 104. 29. 3. Quia Dei præsentia sufficientem consolationem adfert adversus omnia mala, Rom. 8. 31. Psal. 27, 1.

*Usus Informationis*, 1. Ut animos nostros exploremus, utrum similiter sint affecti necne. 2. Ut magis magisque nosmetipsos exerceamus ad Dei, vel præsentiam, vel absentiam in omnibus cum affectu congruo contemplandam.

II. Ad præsens Dei auxilium conciliandum fidelibus, plurimum valet impietas hostium, ex v. 2. &c. Deut. 32. 27.

*Ratio.* 1. Quia hæc impietas hostium interitũ ipsis adfert: & cum illorum interitu conjuncta est piorum liberatio, Proverb. 11. 8. 2. Quia Dei ipsius nomen aliquid patitur, dum illi, super quos nomen Dei vocatur, ab impiis hominibus opprimuntur, Jes. 48. 11. Psal. 8. 3, 17.

*Usus Informationis*, ut impietate eorum qui sunt Ecclesiæ hostes, non nimis conturbemur, sed eo magis quasi exerto capite observantes, liberationem Ecclesiæ per fidem expectemus, Genes. 15. 14, 15, 16.

III. Superbia impiorum est caput illius impietatis, quæ judicia Dei accelerare solet, Prov. 16, 18. 29, 23. Jes. 10. 12, 13.

*Ratio.* 1. Quia superbia hominis impii in sua impietate, est consummatio peccati, Prov. 2. 14. Phil. 3. 19. 2. Quia Dei gloriæ maxime adversatur, Jer. 50. 29, 30, 31, 32.

Hab. 1.

Hab.1.15,16. 3. Quia impietatem & crudelitatem proſequitur, ita ut non ſaturetur. Hab.2.5. & in textu.

*Vſus admonitionis*, ut ſuperbiam omnem fugiamus; 1 Pet. 5. 5.

IV. Nulla re magis exaggeretur impietas ſuperborum, quam quod ſibimetipſis & ſui ſimilibus plaudere ſolent in improbitate, ex verſ. 3. Deut. 29. 19, 20. Rom. 1. 32.

*Ratio* 1. Quia non tantum lex ipſa Dei, ſed & ſanctio ipſa legis hoc pacto contemnitur & irridetur, Deut. 29. 19. 2. Quia ebrietatem peccati addit ſiti: id eſt, viam facit ad inundationem omnis peccati Deut. 29. 19. Eph. 4. 19. 3. Quia contemptus eſt & irriſio quædam Dei ipſius, Gal. 6. 7. in textu hoc.

*Uſus admonitionis*, ne vel minimum quidem gradum hujus inſaniæ in cordibus noſtris admittamus, Gal. 6. 7. Eph. 5. 6.

V. Talis impietatis certiſſimum ſignum eſt *non inquirere*, nihil curare fas & nefas, ex v. 4. Pſalm. 119. 139, 153. Hoſ. 8. 12.

*Ratio*. Quia ſignum eſt reprobæ mentis, Rom. 1. 28.

*Uſus* 1. *admonitionis*, ne locum demus ſecuritati carnali. 2. *Exhortationis*, ut de lege Dei meditemur perpetuo, ad vias noſtras recte dirigendas, Pſal. 119. 5,6,9,11, 24, 59. &c.

VI. Qui non inquirunt in ſua propria conſilia ſecundum voluntatem Dei, ii Deum ipſum aliquo modo negant, ex v. 4, 11, 13. Pſal. 14. 2. Job 21. 14.

*Ratio* 1. Quia vivunt ſine Deo, Eph. 2. 12. 2. Quia iſtæ duæ impietates ſunt inter ſe mutuo cauſa & effectum; qui non inquirit in voluntatem Dei, libenter optaret non eſſe Deum, qui inquiret in ipſius vitam; & qui ſibimetipſi aliquo modo perſuaſit, vel Deum non eſſe, vel non talem Deum, qui repoſciturus eſt rationem vitæ, ille facile abjicit omnem curam inquirendi in voluntatem Dei.

*Vſus admonitionis*, ut caveamus nobis à prophanis iſtis moribus, ne ſimul impiis diaboli ſuggeſtionibus implicemur, & habeamur pro hoſtibus Dei, Luc. 19. 27.

VII. Securitas illa, qua, dum peccatis indulgetur, omnis mali metus amovetur, & perpetua proſperitas expectatur, eſt nota hominis profani, ex v. 5. 6. Pſalm. 14. 4. 1 Theſ. 5. 3, 6.

*Ratio*. Quia nullus eſt timor Dei in tali homine, Pſalm. 36. 2.

*Vſus admonitionis*, ne indormiamus unquam peccatis noſtris ex ſecuritate carnali.

VIII. In impiorum hominum verbis maxima impietas exercetur, ex v. 7. Jac. 3. 6.

*Ratio* 1. Quia expromitur lingua tota malitia cordis, Matth. 12. 34. 2. Quia nullum genus peccati eſt, quin ex parte ſaltem lingua ſoleat exerceri, Jac. 3. 8. 3. Quia lingua magis promptum eſt inſtrumentum ad exercendam nequitiam quam reliqua corporis membra, Jacob. 3. 5. adulter ſuam nequitiam non poteſt exercere, niſi conſortem invenerit, neque homicida, ſine telo : & ſic in cæteris : ſed maledico ſemper adeſt inſtrumentum, neque diu abeſſe poteſt occaſio. 4. Quia duplicatam habet malitiam; inflammatur, enim & inflammat, Jac. 3. 6. 5. Quia difficillime poteſt coërceri, Jac. 3. 8. 6. Quia maxime penetrat, Prov. 12. 18. & 18. 8. & 26.

& 26, 22. Psalm. 120. 3, 4. & 140. 2, 3. 7. Quia linguæ malitia ac morsus nullum admittunt remedium, Jac. 3. 8. Prov. 30. 14.

*Vsus admonitionis*, ut imprimis caveamus linguæ, Psalm. 39. 2. Jac. 3, 2. neque imponamus nobismetipsis, quasi leve quid esset quod in verbis peccatur, aut quasi cor bonum conservari possit, quamvis lingua sit mala.

IX. In impugnatione bonorum, præcipue exercetur tota illa malitia quæ vel in cordibus impiorum solet latere, vel in verbis eorum apparere ex v. 8, 9, 10.

*Ratio*. Quia inimicitia ista impiorum adversus pios, est ipsis maxime naturalis, Gen. 3. 15.

*Vsus* 1. *Informationis*, ne animis nimis conturbemur, quasi peregrinum aliquid esset, quum impios videmus in filios Dei furentes.

2. *Admonitionis*, ne quidquam commune habeamus cum illis in ista persecutione.

X. Constans Dei providentia fide apprehensa, & precibus imploratâ, sufficiens est ad confirmandos animos piorum adversus omnes impiorum nefarios conatus ex vers. 12, 14, 15, 16.

*Ratio*. Quia Deus omnia gubernat in bonum eorum qui diligunt ipsum, Roman. 8. 28.

*Usus exhortationis*, ut magis magisque ædificemus nosmetipsos in ista fide, & exerceamus nos etiam in hujusmodi precibus.

XI. In Dei providentia apprehendere debemus fide non tantum optatum responsum precibus nostris reddendum, sed etiam præparationem & confirmationem cordium ad preces pias habendas, ex v. 17. Rom. 8. 26.

*Ratio*. Quia alias consolationem firmam non possumus habere, Phil. 1. 6.

*Vsus Refutationis*, adversus eos, qui perseverantiam fidelium dubiam constituunt & incertam.

## PSALMUS VNDECIMUS.

*Magistro symphoniæ*, Ode *Davidis: Ad Jehovam me recipio, quomodo dicitis animæ, emigra è monte vestro avicula?*

2. *Nam ecce isti improbi adducunt arcum, aptant sagittam suam nervo; ad jaculandum in caligine contra* homines *rectos corde.*

3. *Quum fundamenta ipsa destruentur, quid fuerit operatus justus?*

4. *Jehova in templo sanctitatis suæ, Jehova, cujus solium est in cælis; cujus oculi vident, cujus palpebræ explorant filios hominum:*

5. *Jehova justum explorat, improbum vero & amantem violentiæ odit animus ipsius.*

6. *Depluet super improbos prunas, ignem & sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis eorum* futurus est.

7. *Nam justus Jehova quæ justa sunt, diligit; rectum aspicit vultus ipsius.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in istoc Psalmo, est profiteri consolationem illam quam habuit & magis magisque habere studuit, adversus omnes

tentationes illas, quibus undequaque percellebatur.

Summa tentationum fuit deſperationis perſuaſio v. 1. *quomodo dicitis animæ, &c.* ita ut hæc ſit quæſtio in toto Pſalmo diſceptata, An David in ſuis cedere debuerit deſperationi? Hujus quæſtionis partem affirmativam urgebant adverſarii; negativam autem David conſtanter defendit. Argumenta quibus illi deſperationem ſuadebant, duo fuerunt. 1. Periculi magnitudo ſimilitudine illuſtrata verſ. 2. & 2. Subſidii vel auxilii deſtitutio. v. 3. Iſtam ſententiam & ſuaſionem ejus refutat David ad firmam ſui animi conſolationem, unico argumento quod petitur ab adverſis, à ſpe ſua & fiducia firma in Deo collocata: Si in Jehova & ejus promiſſis confido, tum nulla eſt cauſa quare cum deſperatione iſtis malis ſuccumbam, ſed in Jehova & ejus promiſſis confido, Ergo, proponitur hoc argumentum v. 1. & confirmatur v. 4, 5, 6, 7.

In confirmatione tractatur tantum propoſitionis conſequentia (*ſi in Iehova confido, tũ nulla ſubeſt cauſa deſperationis*) quia aſſumptio, (*ego confido in Iehova*) in ipſo actu fidei ac ſpei conſiſtit, cujuſmodi actum ſufficit fideli in corde ſuo ſentire, quamvis aliis non poſſit demonſtrare.

Confirmatur autem propoſitionis conſequentia à ſufficientia & efficientia Dei, (in quibus formalis ratio veræ fiduciæ conſiſtit) in hanc ſententiam: Si Deus ſit omni majeſtate & potentia glorioſus, atque etiam efficaciter & juſte omnia providentia ſua gubernat, tum utcunque mihi immineat maximum periculum, & ego etiam ſim omni humano auxilio deſtitutus; nulla tamen ſubeſt deſperandi cauſa, dum in Jehova confido, ſed verum prius; Ergo.

Aſſumptio de ſufficientia & efficientia Dei primo univerſaliter v. 4. ſufficientia in prima parte verſiculi, & efficentia in altera, deinde in partibus explicatur: & piorum reſpectu & etiam impiorum, partes iſtæ primo conjunctim & generalius notantur v. 5. ubi Deus dicitur pios explorare vel amare: impios autem odio habere: & poſtea ſeparatim & particularius deſcribuntur. Primo de impiis, quod pœnæ graviſſimæ illis deſtinantur, tanquam odii divini effecta, verſ. 6. & ſecundo de piis, quod certiſſima conſervatio ipſis paratur, tanquam dilectionis Dei effectum v. 7.

## QUÆSTIONES.

I. Utrum legendum ſit v. 1. emigra è monte, vel migra in montem, cum alterutrum admittunt voces Hebrææ?

*Reſp.* Non multum intereſt quoad ſententiam ipſam: quia utraque phraſi notatur trepida quædam vagatio ſed magis eſt conſentaneum ut legatur, *in montem.* 1. Quia aves trepidantes in montes ſolent ſe conferre tanquam in tutiora loca. 2. Quia *mons* in Scripturis ſempe fere perfugii locum ſolet notare, non illum ex quo fugitur. 3. Quia David ipſe expreſſe affirmat ſe in montes fugiſſe tanquam aviculam, & ibi etiam quæſitum fuiſſe ab hoſte, 1 Sam. 26. 20. *Procedit rex ad quærendum pulicem unum, ac ſi perſequeretur perdicem in montibus.*

II. Quare migrationis vagæ fit mentio?

*Resp.* Quia crebrò hoc accidit Davidi, postquam enim Saulis furorem coactus est fuga declinare, duo-decies ad minimum locum fugæ mutavit. j. ad Achiscum venit regem Gath, 1 Sam. 21. 11. ij. Proripuit se in speluncam Aullami. cap. 22. 1. iij. In Mitspam Moabitarum, ibid. v. 3. iv. In silvam Cherethæ, ibid. v. 5. v. Kehilam petiit, c. 24. 5. vj. In propugnacula deserti, & vij. in montem quendam, qui fuit in deserto Ziphic. 23. 14. viij. In desertum Mahonis, ibid. v. 25. ix. Ad propugnacula Hen-Gedin, cap. 24. 1. x. In desertum Paran c. 25. 1. xj. In collem Cacilæ, c. 26. 1. xij. Ad Achiscum regem, Gath. c. 27. 2.

III. Cum v. 2. & 3. adversarii Davidis introducuntur loquentes, quomodo congruit, ut vocentur illi improbi, & Davidi cum suis tribuatur innocentia?

*Resp.* 1. In Scripturis introduci solent impii loquentes, non plane, ut sentiunt ac loqui solent, sed ut res ipsa fert quam faciunt, sic Prov. 1. 11. se insidias innocenti structuros: cum tamen non solent cogitare de innocentia eorum quibus insidiantur: ne dum ut innocentiæ mentionem faciant, cum alios pellicere student in facinoris consortium. 2. Tentatio ista videtur ab iis esse profecta, qui fuerunt amici Davidis, sed diuturnitate malorum fracti, & in diffidentiam inclinantes, iis autem maxime convenit hostes improbos appellare, & Davidem innocentem.

IV. Quid per fundamentorum destructionem intelligitur? v. 3.

*Resp.* Phrasis est metaphorica, quia significatur, media rem bene gerendi ut in proposito persistendi causam, ac spem successus funditus esse disjectam & eversam.

V. Illa phrasis, *qui fuerit operatus justus*, quem sensum habet?

*Resp.* Plerique omnes accipiunt pro vehementi innocentiæ protestatione: *quid feci? quid commerui?* sed cum versus iste tertius æque ac secundus incipit à causali particulâ, & reddit rationem consilii dati, v. 1. sicut in analysi monstravi; maxime consentaneum est, ut hæc interrogatio accipiatur pro voce desperationis, sicut homines ad incitas redacti solent exclamare, *quid agam? quò me vertam?* &c.

VI. Quænam est ratio phraseos illius, v. 6. *depluet prunas, ignem & sulphur?*

*Resp.* Ingens vis ultionis maxime diræ hac phrasi indicatur; solemne enim est in Scripturis Sodomæ & Gomorræ destructionem, quasi exemplar ponere gravissimarum pœnarum peccatoribus infligendarum, Jes. 13. 19. Jer. 49. 18. Am. 4. 11. Zeph. 2. 9.

VII. Quid significatur ibidem per portionem calicis?

*Resp.* Significat in genere partem statutam, atque adeo hic & alibi sæpe, pœnas à Deo peccatoribus constitutas, ac præparatas, Jer. 25. 15. Apoc. 14. 9.

DOCUMENTA.

I. Tentatio illa, quæ tendit ad desperationem, est omnium gravissima, colligitur ex vers. 1. ubi 1. Penetrantem esse hanc tentationem, usque ad *animam* ostendit. 2. Eandem etiam abominatur, ut nefandam, *quomodo dicitis?* Psal. 71. 11. & 22. 8.

*Ratio* 1. Quia immediate petit

vitam ipſam hominis fidelis, Pſ. 27. 13. 2. Quia galeam nobis eripit, qua munire nos debemus adverſus tentationes atque adeo nudos & inermes nos reddit, 1 Theſ. 5. 8. 3. 3. Quia non ad peccatum tantùm tendit, ſed ad graviſſimum peccatum quod reddit homines planè deploratos, Jer. 18. 12.

*Uſus admonitionis*, ut caveamus nobis maxime ab iſta tentatione.

II. In magnis periculis, & perturbatione omnium rerum, optimi Dei ſervi aliquando hujuſmodi tentatione percelluntur, Pſalme 77. 1 Sam. 27. 1.

*Ratio* 1. Quia aliquid infidelitatis manet etiam in fidelibus. dum iſtic vivunt. 2. Quia Diabolus illam gratiam imprimis ſolet impugnare, in qua vis ac robur fidelium maxime conſiſtit, ut Philiſtæi fecerunt cum Samſone, Jud. 16. 5. 3. Quia Deus ipſe tentat ſuos maxime in eorum fide & ſpe, ſicut in Abrahamo videre eſt, Heb. 11. 17.

*Uſus admonitionis*, ne unquam ſecuri evadamus, quaſi plane immunes eſſemus ab iſtis periculis.

III. Unica ratio hujuſmodi tentationem repellendi, eſt ad Deum confugere per fidem, ex v. 1. Eph. 6. 16.

*Ratio* 1. Actio ipſa confugiendi ad Deum eſt directe contraria huic tentationi 2. Quia gratia illa, quæ impugnatur, maxime hoc pacto confirmatur. 3. Quia Deus hoc pacto maxime glorificatur, cum contra ſpem ſub ſpe credimus, Rom. 5. 18, 20.

*Uſus Exhortationis*, ut quotidie noſmetipſos exerceamus in apprehenſione Dei: neque deſinamus hoc facere propter ullam tentationem, ſed eo magis adhærere ipſi omnibus viribus nitamur, Jeſ. 8. 17. Hoſ. 12. 7.

IV. Fides hæc ſummopere confirmatur per meditationem majeſtatis & perfectionis divinæ, ex v. 4. 2 Tim. 1. 12. Rom. 4. 21. Jer. 32. 17, &c. 27. hinc eſt quod ubi agitur de maximis Dei promiſſionibus, ibi ſæpius repetitur & inculcatur, *ſic ait Jehova, verbum Jehovæ, ſic ait Dominus Jehovi*, vigecies fere reperitur iſta præfatio in uno & eodem cap. ut Jer. 31. Ezech. 36. neque hæc eſt orioſa repetitio, ſed efficax ratio ad fidem populi confirmandam in iis, quæ à tali Deo proponebantur credenda.

*Ratio* 1. Quia omniſufficientia Dei eſt fidei noſtræ fundamentum, Gen. 17. 1. 28. 3. 2. Quia ſuper hoc fundamentum magis magiſque ædificatur fides per ejus meditationem, ibid, 1 Tim. 4. 15.

*Uſus eſt Exhortationis*, ut ſæpe multumque de iis meditemur, quæ Dei perfectionem declarant.

V. Providentiæ divinæ agnitio & conſideratio neceſſario conjungenda eſt cum majeſtatis eius contemplatione ad fiduciam noſtram confirmandam, ex v. 45.

*Ratio*. Quia fiducia noſtra non reſpicit rem expectatam, ut poſſibilem tantum, ſed etiam ut futuram ſicut autem ſufficientia Dei oſtendit omnia ipſi eſſe poſſibilia, ſic efficacia ejus providentiæ omnia illa futura declarat, quæ propoſuit nobis expectanda.

*Uſus exhortationis*, ut ædificemus noſmetipſos in providentiæ divinæ apprehenſione.

VI. Tam ſufficiens Dei perfectio quam efficiens ejus providentia tota

tendit ad impiorum confusionem, & ad salutem piorum, ex vers. 5,6, & 7.

*Ratio* 1. Quia operatio Dei est secundum sanctitatem ejus naturæ, v. 5. à qua alieni sunt improbi; pii autem ad imaginem & participationem ejus renovantur. 2. Quia fœdus & fides ejus illud postulat. 3. Quia hæc est illa singularis cura quam habet Deus circa homines, Prov. 5. 21. & 15. 3.

*Usus est terroris*, in impios, & *consolationis* erga pios.

## PSALMUS DUODECIMUS.

M*Agistro symphoniæ ad gravem* symphoniam, *Psalmus Davidis.*

2. *Da salutem, Jehova, nam desiit beneficus nam defecerunt veraces ex filiis hominum.*

3. *Vanum loquuntur alter cum altero; labio blanditiarum* artifice, *duplice corde loquuntur.*

4. *Exscindet Jehova omnia labia blanda: linguam grandiloquam:*

5. *Eos, qui dicunt, linguæ nostræ jus obtinebimus, labia nostra penes nos* sunt: *quis* esset *Dominus nobis?*

6. *A vastatione pauperum afflictorum, ab exclamatione egentium jam exsurgam, dicit Iehova: locabo in salute* illum *in quem favillæ incendium* improbus *fecerit.*

7. *Dicta Jehovæ dicta pura* sunt; *argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies.*

8. *Tu Jehova servato eos: custodito eorum quemque à generatione ista in seculum;*

9. In qua *circumquaque improbi obambulant; quum extollitur res vilis inter filios hominum.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Psalmi proponitur, v. 2. & 8. est enim petitio, ut Deus velit servare Davidem cum aliis bonis ab iniquis machinationibus improborum.

*Primum* argumentum, quo ista petitio suadetur, petitur ab ejus necessitate v. 2, 3. necessitas autem hæc ostenditur. 1. Ex paucitate vel defectu bonorum. qui velint opem ferre v. 2. & 2. Ex multitudine improborum, qui omni vi impugnant, vers. 3.

Ubi boni illi, qui desiderantur ex duplici adjuncto describuntur, *beneficentia* & *veracitate*, v. 2. & improbi ex adverso denotantur ex verborum fallacio, & corde malo v. 3.

Isthoc argumento concludit Propheta, Deum saluti bonorum prospecturum exitium improbis adferendo, v. 4. cui conclusioni alia ratio subjicitur, ab eorum superbia desumpta, v. 4. quæ superbia per prosopopeiam explicatur v. 5. ex licentia quam sibi arrogabant, & successu quem sibimetipsis promittebant, vers. 5.

*Secundum* suasionis argumentum principale petitur à testimonio vel pro-

promiſſione Dei, v. 6, 7. ubi talis formatur ſyllogiſmus, quicquid Deus promiſit id certo præſtabit, ſed piorum conſervationem ab impiorum oppreſſione Deus promiſit, ergo conſervabit, propoſitio ponitur, v. 7. ab excellenti & certiſſima veritate promiſſionum & eloquiorum omnium Dei: quæ illuſtratur per ſimilitudinem argenti puriſſimi.

Aſſumptio habetur v. 6. ubi etiam amplificatur illa promiſſio. 1. A cauſis ejus quaſi impellentibus, vaſtatione nempe & gemitu afflictorum: & 2. Ab adjuncta temporis circumſtantia, *jam*, id eſt, mature & opportune.

Concluſio eſt v. 8. ubi ſalus Dei illuſtratur & amplificatur, à magnitudine periculi *generationis* titulo indicata, & ab adjuncta duratione ipſius conſervationis *in ſeculum*. Periculi autem magnitudo, quæ in concluſione notatur, explicatur verſ. 9. ab ejus cauſa, inſolentia nempe impiorum paſſim bacchantium: cujus rei etiam ratio redditur ab exaltatione hominum viliſſimorum.

### Quæstiones.

I. Quænam eſt ratio cur ſimulatores in Scripturis explicantur à duplici corde? ex v. 3.

*Reſp.* Quia veracitas hominis in eo conſiſtit, quod verba ejus externa conſentiunt cum interna animi ſententia: & prava ſimulatio in eo, quod aliud ſentit & aliud loquitur; quia vero ille, qui contra quam ſentit loquitur, duas habet intentiones inter ſe oppoſitas, unam faciendi, & alteram loquendi, quod facere non intendit, idcirco aptiſſime dicitur habere cor & cor, id eſt, duplex, varium & verſutum animum; ſimilis eſt phraſis illa, Deut. 25. 13, 14. ſicut enim homines doloſi, pondus aut menſuram unam habent qua ſibi conſulunt, & aliam qua aliis imponunt, ſic etiam ſimulator unam intentionem habet ſibi ſapiendi, & alia proximum fallendi.

II. Quare verbum Dei comparatur argento ſæpius defæcato? v. 7.

*Reſp.* Non tantum propter excellentem veritatis puritatem, qua pollet, ſed etiam propter variam probationem & experientiam, qua manifeſta facta eſt iſta veritas, in ſingulis enim Eccleſiæ & fidelium Dei ſervorum gravioribus anguſtiis, promiſſiones Dei tranſiunt quaſi per ignem, veritatem ac firmitatem ſuam retinentes.

III. Qua ratione dicuntur improbi circumquaque ambulare? v. 9.

*Reſp.* Partim, quia omnia occupant & ubique occurrunt, magis magiſque invaleſcentes: & partim, quia magnifice ſeſe jactant in improbitate ſua.

IV. Vtrum res vilis, an perſonæ viles dicuntur extolli? v. 9.

*Reſp.* Iſta duo ſimul neceſſario conjunguntur, ſed tamen perſonæ hominum maxime proprie deſignantur hoc in loco. 1. Quia per totum Pſalmum agitur de elatione improborum, ut verſ. 5. 2. Quia vilitatum exaltatio dicitur hic proprie eſſe in, aut ſupra filios hominum.

### Documenta.

I. Quo magis deficiunt boni, & redundant mali, eo magis debent pii recipere ſe ad Deum, ex v. 2, 3.

*Ratio* 1. Quia Dei ſalus tum eſt maxime propinqua piis, Jeſ. 59. 15, 16. 2. Quia tum, in rebus quaſi dubiis & incertis, maxime probatur fides

des & fidelitas piorum, Gen. 6. 9. Jos. 24. 15. 3. Quia tum vocantur pii ad singularem professionem, Marc. 8. v. 38. 4. Quia nisi hoc faciunt, sunt in periculo defectionis, Matth. 24. 12.

*Usus* 1. *Reprehensionis*, adversus eos, qui à paucitate bonorum, & multitudine improborum, suam tepiditatem excusant. 2. *Exhortationis*, ut in istis miseris temporibus excitemus nosmetipsos ad majori cum zelo Deum quærendum.

II. Simulationis exercitatio est nota certissima malitiæ redundantis, ex v. 3. Prov. 26. 25.

*Ratio* 1. Quia simulatio contraria est veracitati, quæ pars est imaginis Dei, v. 2. 2. Quia simulator semper peccat adversus conscientiam. 3. Quia hominibus est maxime periculosa: dum iis nocere studens, cavendi, curam adimit, Prov. 26. 24, 26. 4. Quia Deum irritat, ipsius omniscientiam vel negando, vel contemnendo, unde etiam est quod Deus dicitur odisse linguam fallacem, Prov. 6. 17. & exitium ipsi parare, hic v. 4.

*Usus admonitionis*, ut fugiamus igitur & simulationem & simulatores.

III. Sicut alia peccata, sic etiam simulatio perficitur in superbia, v. 5.

*Ratio* 1. Quia præsumptionem & manum elatam in peccando ostendit, Numer. 15. vers. 30, 31. 2. Quia abjicit omnem timorem & curam Dei. 3. Quia resipiscentiam excludit.

*Usus admonitionis*, ut fugiamus superbiam.

IV. Unica ratio consolationis fidelium adversus hujusmodi impietates prævalentes ad oppressionem eorum, est in promissionibus Dei cum verâ fiduciâ apprehendendis, v. 6. Psalm. 119. 50, 92. Jes. 30. 45.

*Ratio* 1. Quia salus est Jehovæ, Psal. 3. 9. 2. Quia robur etiam animi fidelium est Jehova solus, Psalm. 73. 25, 26. 3. Quia in istum finem permittitur improbis ad tempus vexare fideles, ut magis vividâ fiduciâ adhæreant Deo, Psal. 57. 2. 2 Cor. 1. 9.

*Usus exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos in sancta nostrâ fiducia.

V. Ad consolationem istam confirmandam, necessaria est meditatio frequens excellentissimæ veritatis verbi Dei, v. 7.

## PSALMUS DECIMUSTERTIUS.

*MAgistro symphoniæ, Psalmus Davidis.*

*2. Quousque Iehova? obliviscereris mei in æternum? quousque abscondes faciem tuam à me.*

*3. Quousque repositurus sum consilia in animo meo, mærorem in corde meo de die? quousque attollet se inimicus meus contra me?*

*4. Intuere, exaudi me Iehova Deus mi: illustra oculos meos: ut non dormiam* dormitione *mortis:*

*5. Ut non dicat inimicus meus, prævalui ei: hostes mei exultent, quum dimotus fuero.*

*6. Ego enim in benignitate tua fiduciam habeo, exultet animus meus in salute tua: cantabo Iehovæ, quum bono affecerit me.*

ANA-

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt petitio liberationis ab urgentibus malis verſ. 4. liberatio autem petita tribus quaſi gradibus deſcribitur & illuſtratur, ibidem.

Primus gradus eſt reſpectus Dei ad conditionem illam in qua fuit Propheta, *intuere*. Secundus eſt attentio ejus ad ſupplicationem quam de illa conditione proponebat, *exaudi me*. Tertius eſt miſeriæ ſublevatio, *illuſtra oculos meos*.

Argumenta, quibus iſta petitio ſuadetur, ſunt ſex. Primum petitur à gravitate mali quod urgebat, v. 2, 3. ubi ſub querelæ aut expoſtulationis forma gravitas mali explicatur. 1. Ab auxilii & opis divinæ defectu vel dilatione, v. 2. 2. Ab effecto conſequente in ipſo Propheta & mœrore nempe, ægritudine animi gravi, v. 3. in principio. & 3. Ab effecto conſequente in ejus inimicis, ſuperbia nempe & inſultatione inimicorum, in fine: quarum omnium rationum amplificatio petitur ab adjuncto temporis vel à duratione omnium horum malorum, *quouſque, quouſque, quouſque, quotidie in æternum.*

*Secundum* argumentum petitum à cauſa principali aut fundamento liberationis quæſitæ, id eſt, à relatione illa quæ inter Deum & Davidem intercedebat, v. 4. *Jehova Deus mi.*

*Tertium* argumentum petitur ab eventu acerbiſſimo, qui petitionis repulſam aut liberationis diuturniorem dilationem inſequeretur, v. 4. in fine, *ut non dormiam dormitione mortis.*

*Quartum* petitur ab effectis quæ interitum Davidis ſequutura erant in impiis ejus inimicis, v. 5. gloriatio nempe & inſultatio, adverſus piorum expectationem, & Dei ipſius gloriam.

*Quintum* petitur à conditione illa præſcita quæ preces efficaces comitari, & liberationem antecedere debet ex fœdere Dei, v. 6. in principio: *ego in benignitate tua fiduciam habeo.*

*Sextum* & ultimum argumentum petitur ab effecto quod liberationem erat conſequuturum, gratitudo nempe debita v. 6. in fine, *cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me.*

### QUÆSTIONES.

I. Quomodo Deus dicitur oblviſci hominum, & abſcondere faciem ab iis? v. 2.

*Reſp.* Metaphorice per ſimilitudinem effectorum, in divinæ bonitatis cohibitione, & hominum negligentia, aut deſertione eorum qui indigent eorum ope.

II. Qua ratione dicitur David poſuiſſe conſilia in animo ſuo, & mœrorem in corde? v. 3.

*Reſp.* Quia omni mentis agitatione ſatagebat invenire quemadmodum declinare aut depellere poſſit ſuas ærumnas: ſed ex illa deliberatione varia nihil aliud eſt aſſequutus quam fatigationem & excruciationem animi.

III. Quo ſenſu conqueritur ſe de die ſenſiſſe mœrorem? ibidem.

*Reſp.* Non quia gravius eſt de die vexari quam de nocte (ut quidam volunt) ſed quia perpetuis & cunctis diebus conflictabatur cum animi doloribus.

IV. Quid intelligitur per illuſtrationem oculorum? v. 4.

*Resp.* Non proprie spectatur hic spiritualis mentis illustratio, ( ut multis aliis in locis, ubi similis phrasis adhibetur) sed recreatio tam animi quam corporis, quia sicut debilitatio naturæ & animi tristitia statim apparet in oculorum caligatione; sic virium & animi reparatio vivacitate quadam oculorum solet indicari, Prov. 15. 30. 1 Sam. 14. 27, 29. Ezek. 9. 8.

### DOCUMENTA.

I. Inter omnes afflictiones piorum nulla est gravior, quam cum videntur sibi negligi à Deo, ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia beatitudo fidelium ponitur in communione quam habent cum Deo, Psal. 4. 7. 2. Quia hujus communionis sensus, eorum consolatio est unica adversus quaslibet afflictiones, Psal. 27. v. 1. atque adeo privatio ejus consolationem excludit 3. Quia Dei bonitate cohibita omnia alia consilia & media quæcunque sunt imparia nostris miseriis cavendis aut propulsandis, v. 3.

*Usus* 1 *Exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos in apprehensione divinæ circa nos curæ. 2. *Admonitionis*, ut caveamus à peccatis quæ separant inter nos & Deum, ac abscondunt faciem ejus à nobis, Jes. 59. 2.

II. Hujusmodi desertionibus ad tempus etiam longinquum obnoxii sunt optimi Dei servi, v. 2.

*Ratio* 1. Quia peccatis gravibus sunt obnoxii. 2. Quia Deus vult ipsos hoc modo tentare. 3. Quia non satis æstimant benignitatis Dei sensum, nisi ex privationis ejus sensu.

*Usus* 1. *Institutionis*, ne temere quemquam judicemus propter hujusmodi desertiones. 2. *Admonitionis*, ne immunitatem ab iisdem perpetuam nosmetipsis polliceamur: sed caute ambulemus, & fide semper vivamus, sive sensus adsit, sive aliquandiu absit.

III. Pii cum deseri videntur à Deo, Deum tamen non deserunt, sed ad eum eo magis confugiunt, ex v. 4. Job 13. 15.

*Ratio* 1. Quia fides & fiducia piorum non pendet ex eorum sensu, sed ex Dei promissione. 2. Quia fides eorum hujusmodi tentationibus probatur, & redditur magis pretiosa, 1 Pet. 1. 7. Quia Deus ideo deserit ad tempus ut eo magis ad ipsum confugiamus, Hos. 5. 15.

*Usus exhortationis*, ut in omnibus angustiis Deo per fidem adhereamus.

IV. Primarium fundamentum Deo adhærendi, & consolationem in ipso apprehendendi est fœderis gratiæ recordatio, ex v. 4. *Deus mi.*

*Ratio* 1. Quia omnia bona communicantur nobis virtute hujus fœderis.

*Usus exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos in hujus fœderis apprehensione.

V. Gravitas ipsa periculi in quo versamur, & acuere nos debet ad Dei opem implorandam, & spem etiam erigere ad eandem expectandam, Jon. 1. Psalm. 130. 1. & 69. 2. &c.

*Ratio* 1. Quia in extremis periculis, nisi fides excitetur desperatio necessario sequetur. 2. Quia tum temporis momentum ipsum quasi indicatur, in quo Deus succurrere nobis debet ut fœdus ejus constet, Jes. 49. 8. 3. Quia maxime

maxime glorioſum eſt Deo, in maximis noſtris infirmitatibus ſuam potentiam manifeſtare, 2 Cor. 7.6. & 12.9. 4. Quia ſic Deus ſolet agere cum ſuis.

*Uſus Admonitionis*, ne deſpondeamus animos in ullis periculis.

VI. Ex impiorum ipſorum protervia in miſeriis piorum inſultando, confirmatur ſpes liberationis divinæ, ex verſ. 5.

*Ratio* 1. Quia hoc Deus in ſe ſuſcepit compeſcere impiorum inſolentiam. 2. Quia non poſſunt impii de piis triumphare in cauſa bona, quin ſimul etiam triumphent de ipſo Deo.

*Uſus eſt conſolationis*, adverſus jactantiam hoſtium Eccleſiæ.

De iis quæ ſunt in verſ. 6. ſæpius actum eſt, & poſtea etiam erit agendi locus.

## PSALMUS DECIMUSQUARTUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ*, Ode *Davidis* : *Dicit ſtultus cum animo ſuo, non* eſt *Deus* ; *corrumpunt, abominandam* quamque *actionem perpetrant, non* eſt *qui facit bonum* :

2. *Iehova è cœlis proſpectat ſuper filios hominum*; *ut videat an ſit* ullus *qui intelligat, qui exquirat Deum.*

3. *Unusquiſque receſſit,* omnes *ſimul putidi facti ſunt* ; *non eſt qui faciat bonum, non* eſt *vel unus.*

4. *An non ſibi ſunt conſcii omnes qui operam dant iniquitati, quod exedentes populum meum edunt panem, Jehovam non invocant?*

5. *Ibi expaveſcunt pavore* : *quia Deus adeſt generationi juſtæ,* dicens,

6. *Conſilium pauperis afflicti pudefacietis ſcilicet, quia Jehova* eſt *receptus ejus.*

7. O ſi *quis det è Tzione ſalutem Iſraelis* : *reducente Iehova reducem turbam populi ſui*; *exultabit Iahakob, lætabitur Iſrael.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt petere à Deo liberationem Eccleſiæ à tyrannica oppreſſione improborum, verſ. 7.

Argumenta principalia, quibus hæc petitio ſuadetur, duo ſunt, quorum *Primum* petitur ab deteſtanda nequitia improborum Dei gloriam lædente, ſex primis verſiculis: *Secundum* à pia illa affectione & promptitudine animi quæ fuit in Eccleſia, ad Dei gloriam celebrandam, verſ. 7.

Summa improborum nequitia primo deſcribitur, verſ. 1. & poſtea demonſtratur ſequentibus quinque. Deſcribitur primo ab interna prophanitate cogitationum, *dicit in corde*. 2. Ab externa corruptione & abominatione actionum, *corruperunt, abominandam quamque actionem perpetrarunt*, quæ illuſtratur etiam ab univerſali negatione bonitatis, *Non eſt qui faciat bonum.*

Demonſtratur hæc nequitia teſtimonio ipſius Dei, ubi primo deſcriptio teſtis habetur v. 2. & tum ipſum teſtimonium declaratur ſequent.

Deſcriptio

Descriptio testis talis est ut ostendat Deum non nudum & simplicem testem esse, sed simul etiam judicem accurate omnia observantem, quod ostenditur. 1. A loco unde omnia possit intueri, *è cælis*. 2. A modo intuendi cum omni scilicet diligentia *prospectat*. 3. Ab objecto hujus diligentis intuitus: *super omnes filios hominum*. 4. A fine, inquisitione nempe in ipsorum religionem, *ut videat an sit ullus qui intelligat, qui exquirat Deum*.

Testimonium ipsum. 1. Generaliter proponitur, v. 3. ubi omnes convincuntur universalis apostasiæ, & corruptionis. & 2. Specialiter illustratur & partium inductione, & circumstantiarum notatione.

Partes nequitiæ sunt injustitia erga homines, & impietas erga Deum, injustitia explicatur ex sævitia quam exercebant erga populum Dei: *exedunt populum meum*, impietas ex rejectione omnis invocationis Dei: *Jehovam non invocant*.

Circumstantiæ quibus amplificatur hæc nequitia, sunt duæ. 1. Quod non ex ignorantia aut infirmitate peccabant, sed malitiose contra conscientiam: *an non sibi sunt conscii*, ? 2. Quod cum omni aviditate faciebant: *sicut edunt panem*.

Prior autem circumstantia, quod contra conscientiam agebant, arguitur ex effecto, conscientiæ nempe terrore, v. 5. qui illustratur etiam, 1. a causa: ibid. & 2. à dissimili illorum consilio & proposito, qui ridebant simplicem fidelium pietatem, spem suam in Deo collocantium, v. 6.

QUÆSTIONES.

I. Qua ratione vocetur impius stultus? v. 1.

*Resp.* Stultus dicitur & privative & positive.

*Privative*, non quia destituitur facultate ingenii & prudentiæ naturalis.

Sed 1. Quia deesse solet ipsi divinæ voluntatis cognitio, 2 Cor. 2. 14. 2. Quia illorum quæ cognoscit, efficax illa approbatio, qua saperent ipsi spiritualia, deest Rom. 8. 5. 3. Quia deest illi subjectionis & obedientiæ affectus, etiam in iis quæ aliquo modo probat, Rom. 8. 7. 4. Quia non cavet sibi à periculis maximis, Pro. 7. 7. & 22, 23. c. 14. v. 15. 16. 5. Quia non tantum destitutus est sapientia vera, sed ejus etiam incapax est, Pro. 17. 10, 16, 27, 22.

*Positive* 1. Quia pravis & perversis opinionibus est imbutus, non enim abrasa tabula est mens ejus, sed quasi atramento omnium errorum obducta, Pro. 24. 9. 2. Quia hac sua conditione delectatur, & in illa sibimet placet, Prov. 1. 20, 8, 5, 9. 6, 12, 15. 3. Quia oblatam sapientiam repellit & odit, Prov. 13. 19. 4. Quia exercitiis stultitiæ delectatur, Pro. 10. 23. 5. Quia stultitiam suam spargere & aliis communicare amat, Prov. 12. 23. & 13, 16. 6. Quia contemnit & opponit sese mediis instructionis, Prov. 15. 5. 7. Mediis illis quæ maxime faciunt ad sapientiam abutitur, Prov. 26. 9. 8. Omnes suas facultates applicat ad nequitiam exercendam & manifestandam, Prov. 6, 12, 13, 14.

II. Quid est corrumpere? v. 1.

*Resp.* Corruptio in physicis opponitur generationi, sicut igitur in generatione forma & perfectio rei ingeneratur, sic in corruptione, eadem

dem forma & perfectio deperditur, forma autem & perfectio hominis, quæ moralis est & spiritualis, consistit in conformitate debita ad imaginem & voluntatem Dei, ad quam in creatione prima fuimus generati, & in vocatione sumus regenerati, mutatio igitur ab isthac perfectione ad peccati deformitatem & confusionem, recte ac proprie dicitur corruptio, Gen. 6. 12. Exod. 32. 7. Deut. 31. 29. & 32. 5. Jes. 1. 4.

III. Quare abominatio conjungitur cum corruptione? ibidem.

*Resp.* Quia sicut ex corruptione humani corporis aut animalis alicujus, putredo illa sequi solet, quæ sensus humanos maxime offendit; sic ex corruptione ista morali maxime offenditur Deus, 1 Reg. 21. 26.

IV. Quare putridi vel putridi facti dicuntur ex ista corruptione abominanda? v. 3.

*Resp.* Quia impuritas & depravatio ita eos occupavit, ut fiant inutiles vel inepti ad officia illa pietatis & justitiæ, quæ ex Dei mandato ipsis incumbunt, Rom. 3. 11. Job 15. 16.

V. Qua ratione citantur verba hujus Psalmi ab Apostolo, Rom. 3. 10, 11, 12. ad communem Judæorum sicut & aliorum corruptionem naturalem arguendam?

*Resp.* Quia Psalmista hic omnes expresse arguit corruptionis abominandæ, qui sunt irregeniti, licet in Ecclesiam visibilem cooptentur, compara cum v. 5.

VI. Quare salus Ecclesiæ optatur è Tzione? v. 7.

*Resp.* Quia Tzion fuit quasi habitaculum Dei, idem est igitur è Tzione provenire salutem præsentia Dei. 2. Quia Tzion fuit typus Ecclesiæ: omnis autem salus expectari debet virtute fœderis promissionis Ecclesiæ Dei factæ: & illa ratione dicitur ex Ecclesia ipsa provenire. 3. Quia Christus Salvator ac Redemptor ex Tzione expectabatur, Rom. 11. 26.

VII. Quomodo conveniat Tzionis nominatio temporibus Saulis, cum arca fœderis non fuit in Tzione collocata, nisi post Saulis mortem?

*Resp.* Quamvis precatio hæc instituta fuit ex occasione oppressionis illius quæ fuit sub Saule, videtur tamen à Davide postea solemniter consignata in usum posterorum.

VIII. Qualis est captivitas cujus mentio fit, v. 7?

*Resp.* 1. Captivitas oppressionis ac tyrannidis cujuscunque externæ, ex occasione enim oppressionis piorum sub Saule, instruxit Ecclesiam Propheta in similes quaslibet occasiones. 2. Captivitas sub peccato, Satana, & morte, à qua liberamur per Christum, Luc. 4. 18. Eph. 4. 8. hujus enim præcedentes omnes fuerunt umbræ.

DOCUMENTA.

Docum. I. Insana quædam prophanitas occupare solet animos improborum, ex v. 1. Gen. 6. 5.

*Ratio* 1. Quia homines irregeniti alieni sunt & aversi à Deo, Rom. 1. 30. Eph. 2. 12. & Rom. 3. 22. 2. Quia alienatio hæc à Deo crescit & augetur ex stultitia.

*Usus* 1. *Admonitionis*, Ut abhorreamus igitur ab improborum statu ac moribus. 2. *Admonitionis*, Ut studeamus sedulo mortificationi reliquiarum omnium impietatis in

nostris cordibus remanentium.

II. Insana ista prophanitas cordis apparere solet in abominatione actionum, ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia effectum etiam est hujusmodi actionum: dum removet causam prohibentem, timorem scilicet Dei. 2. Quia effectum etiam est hujusmodi improbitatis vitæ. 3. Quia improbitas non potest esse secura, nisi prophanitas animi accedat, 2 Pet. 3. 3. 2. Quia Deus hoc modo arcano sub judicio improbitatem hominum vindicat, dum tradit ipsos in reprobum sensum, Rom. 1. 28.

*Usus* 1. *Informationis*, ne quisquam putet se posse moribus improbis indulgere, salva pietate & religione. 2. *Admonitionis*, ut si nolumus esse plane prophani, caveamus nobis ab improbitate vitæ.

III. Deus est testis & judex omnis prophanitatis cordis & improbitatis vitæ, ex v. 2.

*Ratio est*, scientia & providentia Dei ad vias hominum singulariter attenta, Proverb. 5. 21. & 15. 3. Psalm. 33. 13, 14, 15.

*Usus Admonitionis*, ne peccatum ullum latere posse aut occultari putemus, Psalm. 139. 12, 13.

IV. Qui illam non habent intelligentiam, qua moventur ad Deum quærendum, ii coram Deo habentur prophani, ex v. 3. cum primo compara.

*Ratio*. Quia convictio illa mentis quæ voluntatis inclinationem non habet conjunctam, non minuit sed auget peccatum.

*Usus Admonitionis*, ne quisquam immunem se esse putet à crimine prophanitatis, propter opinionem aut professionem aliquam, nisi applicet se ad praxin religionis.

V. Qui Deum non quærunt, sunt inutiles & putidi homines, nihil boni facientes, v. 3.

*Ratio*. Quia omnis boni fons & author est Deus.

*Usus Exhortationis*, ut eo magis applicemus nosmetipsos ad Deum quærendum.

VI. In gravioribus flagitiis, conscientiæ hominum, etiam impiorum adversus ipsos testantur; v. 4. Interrogatio enim illa negativa vim habet vehementis affirmationis.

*Ratio* 1. Quia conscientia quasi judex pedaneus constituitur in pectore hominis: & quamvis de omnibus peccatis propter cæcitatem suam non semper arguit, de gravioribus tamen sceleribus naturæ lumini adversantibus, nonnihil subinde monet, etiam in maxime profligatis, Rom. 2. 15. *Ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus.* 2. Quia Deus vult omnes homines peccatores esse ita convictos, ut sint confessi, & inexcusabiles, Rom. 1. 20. & 2. 1. & 3. 19.

*Usus Institutionis*, 1. Ut hinc intelligamus quale & quantum sit dominium peccati in hominibus improbis, Rom. 1. 32. *Qui Dei jure agnito, tamen non solum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt ultro.* 2. Ut simul etiam intelligamus quam grave judicium Dei sit ipsis expectandum, 1 Ioh. 3. 20.

VII. Conscientiæ testimonium negligere proprium est hominum impiorum, ex eodem versiculo, cum enim quærit an non sibi sint conscii, innuit conscientiam istam apud ipsos

ipſos plurimum valituram ad hujuſmodi peccata prohibenda, ſi non eſſent plane perditi, ut 1 Cor. 6. 9. *An ignoratis injuſtos non eſſe Dei hæreditatem poſſeſſuros?* Alioqui ex eorum numero cenſendi, de quibus Apoſt. 1 Tim. 4. 2. *Quorum conſcientia cauterio reſecta eſt.*

*Ratio.* Quia conſcientiam negligere aut contemnere, eſt judicium Dei negligere & contemnere: conſcientia enim judicat loco Dei.

*Uſus admonitionis*, ut bonam & teneram conſcientiam ſedulo ſtudeamus conſervare.

VIII. Terror conſcientiæ ſequitur conſcientiæ neglectum, ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia conſcientia & monet officii & minatur pœnam officii neglecti, neglecta igitur conſcientiæ admonitione naturaliter ſequitur terror ex apprehenſione pœnæ, quam eadem conſcientia comminabatur. 2. Quia nihil magis exaggeras peccatum, & ejus reatum, quam conſcientiæ admonitio præcedens.

*Uſus admonitionis*, ut ſi infernales conſcientiæ cruciatus cupiamus vitare, caveamus diligenter ne conſcientiam admonentem contemnamus.

IX. Conſcientiæ impiorum maxime ſolent agitari ex iis peccatis quæ maxime Deum attingunt, ex v. 5, 6.

*Ratio.* Quia conſcientia Deum ſolum reſpicit ut judicem & vindicem.

*Uſus admonitionis*, ut maxime igitur caveamus ab illis peccatis quibus religio violatur.

X. Una cum impiorum hoſtium exagitatione expectanda eſt piis Eccleſiæ ſalus, ex verſ. 7.

*Ratio.* Quia repreſſio impiorum eſt principium hujus ſalutis.

*Uſus conſolationis*, ut cum certa ſpe ſalutem iſtam expectemus.

## Psalmus Decimusquintus.

*Psalmus Davidis: Jehova quis commoraturus eſt in tentorio tuo? quis habitaturus in monte ſanctitatis tuæ?*

2. *Qui ambulat integre, exercetque juſtitiam: ac loquitur veritatem ex animo ſuo:*

3. *Non obtrectat lingua ſua, non afficit proximum ſuum malo; & opprobrium non effert in propinquum ſuum:*

4. *In cujus oculis contemptus eſt reprobus; timentes vero Iehovæ honorat: juratus in damnum ſuum, non tamen mutat.*

5. *Pecuniam ſuam non exponit fœnori, & munus contra innocentem non accipit; qui facit iſta, nunquam dimovebitur.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Pſalmi eſt excitare homines ad bene vivendum. Argumentum quo ſuadetur bene vivendi ſtudium petitur ab adjuncta beatitate quæ talem vitam conſequetur, v. 1. & 5. in fine.

Beatitas autem ſumma 1. metaphorice definitur per eſſentialem ejus cauſam, quæ eſt in ſpirituali & conſtanti communione cum Deo, verſ. 1. & poſtea probatur ad eos omnes & ſolos pertinere qui

bene

bene vivunt, reliquo Psalmo. Probationis argumentum petitur à testimonio Dei, qui à Propheta hac de re consulitur v. 1. & responsum dat in reliquis versiculis.

In responso autem & testimonio Dei, de gravissima ista quæstione; non simplex & nuda proponitur ejus affirmatio, sed simul etiam cavetur ut recte possit res tota intelligi. Insignis igitur descriptio proponitur hominis bene viventis, ex qua omnes possint percipere, quid sit bene vivere, ne sibimet ipsis imponant, dum se bene vivere, & ad beatitudinem tendere falso judicarent.

Describitur vero bene vivens ab ejus effectis. 1. Generaliter v. 2. & postea specialiter, in sequentibus. Generalis descriptio est à synceritate vitæ, *qui ambulat integre*, quæ synceritas explicatur per distributionem, in factorum justitiam & sermonis veritatem, *exercet justitiam, ac loquitur veritatem.*

In speciali descriptione vitia illa de bene vivente negantur quæ virtutibus illis generalibus opponuntur; & in impiorum vulgo maxime solent grassari, & virtutes contrariæ tacite affirmantur: sunt autem præcipue vitia illa quatuor. 1. In fama aliorum lædenda, v. 3. 2. In personis aliorum indigne æstimandis, v. 4. in principio. 3. In promissionibus ac juramentis violandis, v. 4. in fine. 4. In turpi lucri cupiditate, v. 5.

QUÆSTIONES.

I. Quid intelligitur per commorationem in tentorio, & habitationem in monte Dei? ex v. 1.

*Resp.* Plerique his phrasibus explicari dicunt statum fidelium, qui membra sunt primo Ecclesiæ præsentis aut militantis tentorio adumbratæ, & postea triumphantis aut sempiternæ, montis nomine designatæ; neque rejicienda plane est hæc interpretatio, sed præter statum ipsum felicitas aut beatitudo eorum qui sunt in illo statu significatur his phrasibus ex communione illa quam habent cum Deo; sicut apparet ex Psalm. 23. 6. & 26. 8. & 27. 4, 5, 6. & 65. 5.

II. Quare eadem ista felicitas explicatur in fine Psalmi, per *dimotionis* negationem ex v. 5.

*Resp.* Quia completa ratio hujus felicitatis est in ejus perpetua duratione, in æternum sine expiratione aut intercisione, Joh. 4. 14. & 6. 27.

III. Quare describitur hæres beatitudinis hujus per officia erga proximum? v. 3, 4, 5.

*Resp.* Quia præsupponitur hic professio fidei ac religionis veræ, & cultus externi observatio, veritas autem hujusmodi professionis maxime apparet in iis fructibus qui spectant ad charitatem erga proximum, Jac. 1. 27. & 2. 18.

IV. Quare hæc officia fere omnia per negationes designantur?

*Resp.* 1. Quia Propheta voluit hoc pacto sceleratis hypocritis indicare quam procul abessent a regno Dei. 2. Quia generalis negatio vitiorum oppositorum, perfectionem majorem notare solet quam simplex affirmatio officii præstiti.

DOCUMENTA.

Quæstio est omnium gravissima & de qua omnes homines debent esse maxime sollicitii, quales illi sint qui cum Deo vivent in æternum, ex vers. 1.

Ratio 1.

*Ratio* 1. Quia hujus quæſtionis ſolutio eſt omnibus hominibus maxime neceſſaria. 2. Quia cæteræ omnes quæſtiones, niſi ad iſtam aliquo modo faciant, ſunt inutiles & vanæ 3. Quia maximæ controverſiæ circa iſtam quæſtionem agitantur, idque cum maximo periculo humanæ ſalutis. 4. Quia ſtudium ipſum & cura ſeria, circa hujus quæſtionis determinationem rectam, indicium eſt alicujus gratiæ ac vitæ ipſius, de qua agitur, aliquo modo participatæ.

*Vſus increpationis*, adverſus eos, qui circa alias multas quæſtiones & controverſias inſaniunt: ſed de iſta una ſunt ſecuri.

II. Deus ſolus de iſta quæſtione poteſt reſpondere, ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia pendet ex Dei voluntate, quam nemo novit niſi ipſe Deus, & quibus ipſe revelat. 2. Quia homines ſibimetipſis in erroribus & vitiis blandiuntur. 3. Quia præter Deum nemo poteſt mentes noſtras illuſtrare ad hujus quæſtionis veram ſolutionem intelligendam, & recipiendam.

*Uſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eos, qui conſuetudines & exempla aliorum, vel ſuas proprias imaginationes de iſthoc negotio conſulere ſolent. 2. *Exhortationis*, ut in ſacris ſcripturis Dei voluntatem de iſta quæſtione diligenter quæramus.

III. Tertium argumentum aut medium unicum quo quis poſſit quæſtionem iſtam dirimere ad ſuam conſolationem, eſt *integritas vitæ*, ex v. 2. Gen. 17. 1.

*Ratio* 1. Quia integritas iſta complectitur in ſeſe univerſalem obedientiam, obedientia autem eſt fructus & ſignum fidei, in qua vita ſpiritualis conſiſtit. 2. Quia præter ſubſtantiam obedientiæ, ejus etiam modum illum denotat, qui maxime gratus eſt Deo.

*Uſus* 1. *Exhortationis*, ut integritati ſtudeamus. 2. *Conſolationis*, adverſus multas noſtras infirmitates, ſi ſtudium integritatis adſit.

IV. Integritas vitæ, non in eo tantum conſiſtit, ſi quod bonum eſt faciamus, aut ſi quod malum eſt fugiamus, ſed in utroque conjunctim, ex v. 2, 3, & ſequent. Pſalm. 34. 15. Jeſ. 1. 16, 17. 1 Pet. 3. 11.

*Ratio* 1. Quia integritas vitæ conſiſtit in vera converſione à malo ad bonum. 2. Quia duo hæc ſunt inter ſe neceſſario conjuncta, ſi ſint ſyncera, ſicut lucis præſentia & tenebrarum depulſio, Eph. 5. 8, 11.

*Uſus Redargutionis*, adverſus eos, qui in ſpecie vel umbra quadam alterutrius horum acquieſcunt.

V. In malorum fuga in eo præcipue integritas elucet, ſi ab illis peccatis abſtineamus, quæ vulgo ſolent graſſari, ex v. 3, 4, 5. Rom. 12. 2. 1 Pet. 3. 4.

*Ratio* 1. Quia ad iſta peccata plura ſunt illicia & incitamenta quam ad alia. 2. Quia nihil eſt quod ab iſtis peccatis homines revocare poſſit, præter ſyncerum Dei timorem. 3. Quia in abſtinendo ab iſtis peccatis, mundum ipſum abnegamus.

*Vſus* 1. *Increpationis*, adverſus eos, qui in multis vitiis tanquam pecudes gregem antecedentium ſequuntur. 2. *Informationis*, in nobiſmetipſis & integritate noſtra exploranda ſecundum iſtam regulam.

VI. Linguæ petulantia eſt vitium maxime vulgare & quaſi epidemicum, excludens à regno Dei,

Dei, vers. 3. Jacob. 3. 2.

*Ratio* 1. Quia maxime prompta & universalis est peccandi ratio. 2. Quia verba minus nocere videntur, quam facta. 3. Quia simulatas excusationes magis admittit, quam alia multa peccata.

*Usus Admonitionis*, ad coërcendam linguam justitiæ & charitatis repagulis, Jac. 3.

VII. Acceptio personarum est aliud vitium nimis vulgare, excludens etiam à regno Dei, ex vers. 4. in principio, Jac. 2. 1, 2, &c.

*Ratio* Quia externis & sensibilibus rebus magis affici solent homines, quam spiritualibus.

3. *Usus admonitionis*, ut caveamus nobis sedulo, ne vel peccatum ulla ratione foveamus, propter peccatorum personam, vel propter piorum personam pietatem ipsam lædamus.

VIII. Avaritia est etiam commune peccatum, excludens à regno Dei, ex v. 4, & 5. 1 Tim. 6. 9, 10.

*Ratio* 1. Quia quicquid fere cupiditatum est in aliis peccatis, id aliquo modo in avaritia continetur, quatenus omnia fere externa comparari possunt pecunia. 2. Quia maxime convenit cum illa φιλαυτίᾳ quæ omnibus est maxime naturalis.

*Usus Admonitionis*, ut maxime caveamus nobis ab isto morbo.

Duæ hic nobiles & arduæ quæstiones occurrunt breviter perstringendæ: quarum prima est de juramento facto in damnum, v. 4. in fine: altera vero de fœnore, vers. 5.

Ad primam quod attinet, quæritur. *An fides data latroni sub jurisjurandi præsertim religione de redemptionis pretio ipsi solvendo sit præstanda, necne.* Variant hic doctissimi viri: negant nonnulli, quia hoc esset communem humani generis hostem, non sine publica pernicie sumptibus suis alere. Affirmant autem alii, propter sanctissimam juramenti religionem, quæ & in aliis locis Scripturæ, & in hisce Psalmistæ verbis indicatur; vera autem solutio paucis thesibus explicari posse videtur.

1. Fides juramento licito confirmata, iisdem circumstantiis manentibus, debet semper servari; si enim illicitum sit præstare quod fuit promissum, tum illicitum fuit etiam ipsum promissum, si eædem circumstantiæ tum temporis notæ fuerunt promittenti. 2. Nefas est ullo modo ludere juramentis, per simulationem, aut nomen Dei propter nostra commoda, aut vitam ipsam prophanare. 3. Res est in sese licita jacturam facere pecuniæ, ad vitæ redemptionem, possumus enim rem corporalem ex occasione relinquere sine peccato. 4. A redemptionis igitur pretio solvendo damnum ipsum aut jactura non debet quenquam impedire. 5. Neque ex ipsa solutione in sese læditur respublica: quia solvens pecuniam in eo facto patitur tantum, non facit illud quod bono publico repugnat. 6. Si vero præter solutionem pretii, silentium etiam (ut fere fit) promittatur, quod scilicet nemini latronem illum sit proditurus is quem ad pretium promissum adferendum dimisit, hæc silentii promissio (nisi certa spes fuerit latronem illum ulterius latrocinium non exerciturum) neque potest licite fieri, neque si facta sit, licite potest præstari; hoc enim esset silentio suo prodere aliorum salutem, qui postea iter facerent per locum illum à latrone obsessum. 7. Quia igitur ubi magistratus facit officium

cium, solutio ipsa semper fere pendet ex silentii fide, nō est magnopere metuendum, ne ad latrones ex religione fidei datæ de solutione, si silentii fides ab illa, sicut dictum est, separetur.

*Quæstio* altera sequitur, ex v. 5. an peccatum sit pecuniam exponere usuræ, quomodocunque illud fiat?

*Resp.* Ut planius res explicetur, assertiones quasdam proponemus, controversiam hanc totam perspicue & breviter expedientes.

1. Si sit hoc peccatum, debet necessario incurrere in præceptum aliquod tabulæ secundæ: immediate enim non spectat Deum, sed proximum, quod in hujusmodi contractibus patratur. 2. In secundam tabulam non peccatur, nisi quum vel justitia, vel charitas erga proximum violatur.

3. Nihil est in ipsius pecuniæ natura, quod impedit, quo minus (justitia & charitate salva) possit ex ejus usu fructus aliquis percipi, quemadmodum ex aliarum rerum usu quæ pertinent ad hujus vitæ subsidium: pecunia & cibaria omnia conjunguntur, tanquam hoc respectu paria. Levit. 25. 37. cibariis etiam aliæ res omnes homogeniæ adjunguntur. Deutro. 23. 19. 4. Rationes quæ in contrarium ex natura pecuniæ adferuntur, sunt nullius momenti. Usum pecuniæ dicunt esse ipsam absumptionem, atque adeo non posse vendi aut elocari: sed experientia ostendit ex recto usu pecuniæ magnas utilitates comparari, atque adeo usum pecuniæ non consistere proprie in distractione vel expensa, sed in utilitate rerum quæ inde comparantur vel acquiruntur. Usus rei non tam est in *motu*, quam in re *motu facta*; distractio autem est motus: res ex illa disparatione comparata vel facta, est res motu facta: pecunia igitur quatenus est bonum possessoris, non consumitur usu, sed augetur. Solent etiam objicere, pecuniam non parere aut generare pecuniam, id est, non esse rem fructificantem, sicut ager, & animalia sunt. Quamvis autem pecunia per se & immediate sit infrugifera, mediante tamen hominis industria, manifestum est fructum afferre, vacua etiam domus non magis est utilis quam pecunia vacua: accedente autem utentis industria, pecunia omnes illos fructus parit, qui ex rebus illis oriuntur quæ pecunia possunt acquiri. Addunt denique pecuniam non esse inventam ut sit merx, sed ut sit medium acquisitionis vel pretium. Sed ista duo non pugnant inter sese, ut una & eadem res sit aliquando merx, aliquando pretium mercis: nam antequam pecunia fuit inventa, pretii loco, pecudibus & aliis rebus emptiones peragi solebant, & adhuc sæpe peraguntur, quas tamen merces esse nemo negabit: præterea non venditur hic pecunia tanquam merx, sed realis ejus utilitas, quæ creditori abest, & debitori adest, sicut in locatione domus. Quum igitur nulla ratione possit ostendi, omnem usuram pecuniæ (ex sese & sua natura) pugnare cum justitia, charitate, vel speciali alicui virtuti in decalogo præceptæ adversari, fieri non potest ut ex intrinseca sua natura, sit morale peccatum. 5. Dantur etiam casus varii, in quibus manifesto apparet usuram pecuniæ, ejusdem plane rationis esse cum aliarum rerum elocatione: exempli gratia: Titius mediocris fortunæ homo, libenter

Vellet agrum aliquem conducere, quem possessor elocare non vult, sed vendere paratus est: Titius igitur petit à Cajo, homine bene nummato, ut vel emeret ille hunc agrum & sibi certo pretio annuo addiceret, vel ut mutuam sibi daret pecuniam, unde agrum sibimet comparare possit, idem illud pretium annuum solvens ipsi, donec pecuniam suam ipsi redderet. Eadem hic justitia, eadem charitas exercetur, sive Cajus fundum emerit sive Titius pecunia Caji. 6. Omnis usura pecuniæ non simpliciter damnatur, Luc. 6. 34, 35. Quia 1. non agitur ibi magis de pecunia, quam de domo, jumento, aut alia re quacunque cum aliis communicabili. 2. Non agitur ibi de contractibus illis qui pertinent ad justitiam, sed de gratuitis officiis ex charitate fluentibus. 3. Non usuræ tantum & accessionis, sed & sortis ipsius restituendæ expectatio aliquando repugnat illi charitati. 4. Gratuitum illud officium mutuo dandi, non est omnium hominum, neque in omnibus rebus & contractibus, neque denique locum habet erga omnes homines: ut ex eo ipso textu apparet, v. 34. similis est præceptio de conviviis, Luc. 14. 12. 7. Quod prohibetur Exod. 22. 25. Levit. 25. 35. respicit solummodo pauperes & attenuatos. 8. Lex illa quæ statuitur Deut. 23. 19. expresse restringitur (ut pollicica) ad Israëlitas, illa igitur non tenentur Christiani ultra quam justitia & charitas ferat. Quamvis enim conjunctio nostra spiritualis non minus arcta sit, quam illa fuit inter Israëlitas, in civili tamen conjunctione magnum reperitur discrimen. Quum vero extraneo ideo licebat in usuram dare, quia negotiationis & commercii causa, non propter egestatem, contrahebat; sequitur necessario usuram aliquam esse licitam, si eadem conditio sit contrahentium. Ezechielis verba cap. 18. 13, 17. & 22. 12. secundum legis mentem sunt explicanda: quia Prophetarum sermones nihil aliud sunt quam legis interpretamenta. 9. Summa est, usuram mordentem, rodentem aut gravantem esse illicitam: usuram autem adjuvantem & sublevantem, justitiæ & charitati consentientem, nusquam nobis prohiberi. Illa autem est mordens & rodens usura, cum lucrum quæritur ex alterius damno: & contra adjuvans est, quum lucrum paratur ex alterius lucro. 10. Hæc autem æquitas non potest aliter observari, nisi per societatem aliquam, aut communicationem damni sine culpa contracti æque ac lucri. 11. Talis autem moderatio charitatis si teneatur, cum æquitate Christiana magis consentit usuræ stipulatio, quam vel interusurium aut interesse, id est, lucri cessantis aut emergentis damni compensatio: vel emptio annui reditus: quæ tamen apud omnes recipiuntur & approbantur.

## PSALMUS DECIMUSSEXTUS.

INsignis Ode *Davidis: serva me* Deus *fortis; nam in te confido:*

2. *Dicis Iehovæ, Dominus meus es: bonum meum non* es conditurus *penes te:*

3. *Sanctis qui in terra* sunt *& magnificis* collaturus es; *iis in* quibus est *tota oblectatio mea.*

4. *Horum multiplicant dolores,* qui *alium dotant: non sum libaturus libamina istorum ex sanguine, neque assumpturus nomina eorum in labiis meis.*

5. *Jehova portio prædii mei, & poculi mei; tu sustentas sortem meam.*

6. *Funiculi acciderunt mihi in locis amœnissimis, etiam possessio est elegantissima, quæ obtigit mihi.*

7. *Benedicam Jehovæ qui dedit consilium mihi:* quo auctore *etiam per noctes erudiunt me renes mei.*

8. *Propono mihi Iehovam jugiter: quia à dextera mea* est, *non dimovebor.*

9. *Id circo lætatur animus meus, & exsultat gloria mea: etiam caro mea habitat secure.*

10. *Quia non es derelicturus animam meam in sepulcro: neque expositurus eum quem benignitate prosequeris ut videat corruptionem.*

11. *Notam facis mihi semitam vitæ? satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum: dextera tua, in æternitatem.*

## ANALYSIS.

PSalmi hujus insignis vel aurei (sicut in titulo vocatur propter mirificam ejus excellentiam) scopus exprimitur, verbis ejus primis, petitio videlicet solidæ salutis, *serva me Deus fortis.*

Petitionis hujus suasio argumento uno primario perficitur, quod petitur à fiducia in Deum collocata v. 1. *in te confido,* cujus consequentia nititur fœdere & promissione Dei omnibus iis facta qui in eum confidunt.

Repetitur autem & explicatur idem argumentum vers. 2. *Dominus meus es;* quibus verbis comprehenditur professio fiduciæ in Deum repositæ, & relationis illius quæ ex tali fiducia exsurgit inter Deum & hominem, quasi inter Dominum & servum.

Cum ista repetitione illius argumenti conjungitur. 1. Ejus confirmatio per testimonium exhibitum ab anima & conscientia Prophetæ, ibidem: *dicis Jehovæ* ô anima mea. 2. Adjicitur etiam ejus illustratio ab effecto, quod est studium omnis boni quod ab homine provenire potest Deo ut Domino suo deferendi.

Ratio autem boni omnis deferendi explicatur primo v. 2, 3. & deinde illustratur, v. 4. & postea amplificatur ad finem usque Psalmi.

Explicatio actionis est per diversa ejus subjecta, Deum scilicet ad quem ut in sese existit fructus benignitatis humanæ non potest pervenire v. 2. in fine: & Dei cultores ad quos perveniet v. 3. ubi pars ista posterior declaratur. 1. Descriptione culto-

cultorum Dei ab adjunctis titulis quibus merito ornantur cum *sancti* & *magnifici* appellantur. 2. commemoratione causæ qua inductus fuit Propheta ad iis benefaciendum, quia nempe fuerunt ipsi in amoribus & deliciis, in iis *oblectatio mea* est.

Illustratur hoc studium Davidis erga Dei cultores à contrario affectu odii quo omnes idololatras prosequebatur: quibuscum se nullam societatem aut communionem admissurum profitetur, v. 4. quæ alienatio animi illustratur ab effecto, idololatriæ dolore scilicet & angore, ibidem.

Amplificatur hoc studium erga Deum & Dei cultores, ab ejus causa primaria, maxima nempe Dei erga Prophetam beneficentia, quæ declaratur. 1. Generaliter v. 5. & 6. 2. Specialiter per enumerationem benedictionum in ipsum à Deo collatarum, quæ sunt:

1. Illuminatio mentis ad intelligendum ea quæ recta sunt v. 7. in principio. 2. Sanctificatio cordis, ibidem in fine. 3. Confirmatio & protectio in omni bono, v. 8. 4. Resuscitatio à mortuis v. 10. quæ illustratur per ejus causam, resurrectionem scilicet Christi, ibidem. 5. Vita gloriosa v. 11. ubi etiam ejus illustratio adhibetur. 1. Ab adjuncta quantitate, *satiatus*. 2. A qualitate, *gaudia*, *amœnitates*. 3. A duratione, *in æternum*. 4. Ab efficiente causa, *conspectus & dextra Dei*, ibid.

Istæ autem benedictiones illustrantur per effectum earum aut fructum qui Deo earum nomine debetur, affectum scilicet benedicendi Deo cum omni lætitia, exultatione, & placida quiete, vers. 7. & 9.

QUÆSTIONES.

I. Vtrum David sit qui in toto hoc Psalmo loquitur, an Christus?

*Resp.* Christo non possunt omnia incommode tribui quæ in Psalmo dicuntur. Quia 1. beneficentia Christi non ad sanctos tantum spectat (quod hic affirmatur v. 3.) sed primo & præcipue ad peccatores. Luc. 19. 10. Mat. 9. 13. & 18. 11. 2. Renunciatio Idololatriæ, & communionis cum idololatris, prout exprimitur vers. 4. non convenit Christo, qui positus fuit semper extra omne periculum hujusmodi contagionis. 3. Eruditio illa vel castigatio renum, cujus mentio fit, v. 7. imperfectior est institutio quam ut illi tribuatur qui Spiritum acceperat sine mensura. 4. Phrasis illa *notam faciendi semitam vitæ* quæ v. 11. habetur, non satis congruit Christo, qui neque præcipue suam propriam vitam quærebat, neque semitam ejus unquam ignoravit.

Davidi non possunt omnia plene & accurate tribui, sicut de iis quæ habentur v. 10. sicut Petrus testatur & ad oculum demonstrat, Actor. 2. 29, 30, 31. & Paulus etiam Act. 13. 35, 36, 37.

Concedendum igitur Davidem in sua persona loqui per totum Psalmum: sed simul etiam, & præcipue & maxime proprie de Christo v. 10.

*Obj.* Qui loquitur v. 10. idem loquitur per totum Psalmum. Atqui Christus loquitur, v. 10. Act. 2. 31. ergo idem loquitur per totum Psalmum.

*Sol.* Assumptio manifeste negatur, Act. 2. 31. unde petitur ejus probatio, *Propheta David præscius loquutus est de resurrectione Christi*.

*Obj.* Qui ibi loquitur, loquitur de se.

*Sol.* Hæc duo optime ſimul conſiſtunt, ut David loquatur ibi de ſemetipſo, ut de typo Chriſti, & ſimul etiam de Chriſto, idque illa forma ſermonis, quæ acurate non convenit, niſi ſoli Chriſto, ratio redditur à Petro, Act. 2. quia Chriſtus in Davide non tantum ut in typo figurabatur, ſed etiam in ipſo, ut in radice continebatur, utpote qui ex fructu lumbi ipſius erat ſuſcitandus, v. 30. ſimilis eſt loquendi phraſis de Abrahamo Gen. 11. 35. & 18. 18.

II. Quo ſenſu accipienda ſit illa phraſis de Chriſto, v. 19. *derelicturus animam meam in ſepulchro?*

*Reſp.* Per animam intelligitur perſona quatenus fuit animata, id eſt, quoad naturam humanam, per ſynecdochen membri, ſic enim frequenter in Scripturis anima ponitur pro perſona, Actor 7. 14. 1 Pet. 3, 3. Per ſepulchrum etiam eodem tropo intelligitur totus ſtatus & dominium mortis, Actor. 2. 24. ſed quia mors ipſa præcipue occupaverat & affecerat corpus, & reſurrectio maxime proprie convenit corpori, idcirco maxime proprius horum verborum ſenſus eſt, ut reſurrectionem corporis deſignent.

DOCUMENTA.

I. Salus omnimoda à Deo eſt petenda, ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia Iehovæ eſt ſalus, Pſal. 3. 10. 2. Quia petentibus paratur & promittitur, Rom. 10. 13. 3. Quia ipſa petitio ſalutis à Deo, ſi ſit animi ſincere ad Deum confugientis, principium & pars eſt ſalutis, Pſal. 20. 7.

*Uſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eos, qui ſalutem non petunt. 2. *Refutationis*, & *Correctionis*, adverſus Pontificios, qui non à Deo ſolo, ſed ab Angelis & ſanctis petunt ſalutem. 3. *Conſolationis*, erga pios, qui dum ſalutem petunt a Deo, ne hinc ſcire poſſint ſeſe illam ſalutis, viam ſequi, quæ a Deo probatur, & ad eam certo ducet.

II. Ut recte quis petat ſalutem à Deo, neceſſarium eſt, ut ad eum ſe totum recipiat cum fiducia, tanquam ad Dominum ſuum ex v. 1. & 2.

*Ratio*, 1. Quia ſolida & vera ſalus Dei pertinet proprie ad fideles, 1 Tim. 4. 10. 2. Quia fiducia eſt petitionis legitimæ fons & forma, Rom. 10. 14. Jac. 1. 6. 3. Quia fiducia in Deum tanquam in Dominum, protectionem illius Domini ſuis ſervis reddit certam, Pſalm. 116. 16.

*Uſus exhortationis*, ut magis magiſque ſtudeamus in Deo fiduciam noſtram collocare, & ab eo plane pendere tanquam à Domino noſtro.

III. Fiducia illa quæ conſolationem adfert in expectatione ſalutis, teſtimonium debet habere animæ & conſcientiæ propriæ, ex v, 3. 2 Tim. 1, 12.

*Ratio* 1, Quia nulla eſt vera fiducia, niſi totius animæ & cordis, Rom. 10. 9, 10. 2. Quia conſolatio pendet ex ſenſu, vel perceptione hujus fiduciæ in anima. 1 Ioh. 3. 19, 20, 21, 22, 23. 3. Conſcientia bona ad petitionem validam & conſolationem eſt neceſſaria, Heb. 10, 22, 23.

*Uſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eos, qui in externa profeſſione & aliorum hominum teſtimoniis acquieſcunt. 2. *Exhortationis*, ut conſcientias excutiamus diligenter, neque unquam ab iſta cura deſiſtamus, antequam certum conſcientiæ teſtimonium percipiamus de ſolida noſtra fiducia in Deum.

IV. Fiduciæ veræ fructus est serium studium omnis boni ad Deum referendi, ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia per fiduciam nos totos & totum illud quod nostrum est Deo dedimus. 2 Cor. 8. 5. 2. Quia gratitudo illa, quæ fiduciam comitatur hoc effectum producit. Ps. 116, 12. 3. Quia non agnoscitur Deus pro absoluto nostro Domino, nisi omnia nostra ipsi deferantur, 1 Cor. 6. 19, 20.

*Usus* 1. *Institutionis*, ut nosmetipsos & fiduciam nostram exploremus ad istam regulam. 2. *Exhortationis*, ut studium istud in nobilsmetipsis excitemus & foveamus.

V. Bonum nullum nostrum ad Deum ipsum in sese pertingere potest, ex v. 2. Iob 22. 2. & 35. 7. Psa. 50. 10. Rom. 11. 35.

*Ratio* 1. Quia Deus in seipso & à seipso perfecte beatus est. 2. Quia nihil habemus Deo dignum. 3. Quia lucem inhabitat inaccessibilem.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus arrogantiam illam, quæ est in doctrina Pontificiorum de suis meritis. 2. *Institutionis*, ut eo nomine Deo maxime benedicamus, quod à nobis accipere dignatur, quod offerimus ipsi animo bono, secundum ejus voluntatem. 1 Cro. 29. 10, 11, 12, 13, 14, 15, &c.

VI. Quicquid boni habemus cum omni delectatione communicari debet cum fidelibus Dei servis, ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia in ipsis aliquo modo cum Deo ipso communicatur, Pro. 14. 31. & 19. 17. Matth. 25. 40. Heb. 6. 10. 2. Quia digni sunt ipsi omni benevolentia & beneficentia; sunt enim *sancti & magnifici*, ut est in textu. 3. Quia ista communicatio pars est illius communionis, quam omnes sancti colere debent cum sanctis. Galath. 6. 10. Ephes. 1. 15. Colos. 1. 4. Jes. 23. 18.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ut ad istud officium ex conscientia erga Deum nos serio dilatemus. Heb. 13. 16. 2. *Consolationis*, erga pauperes fideles, quod Deo tantæ sunt curæ, ut omnibus suis eos commendaverit, & dignos etiam pronunciaverit, qui ab omnibus juvarentur.

VII. Cum impiis idololatris in sua idololatria, & superstitione, nullo modo debemus communicare, ex vers. 4.

*Ratio* 1. Hoc enim ex natura sua est renunciare communioni cum Deo & consortium inire cum diabolo. Iob 31. 28. 1 Cor. 10. 20, 21. 2. Hoc est fideles quantum in nobis est perdere, & infideles obdurare. 1 Cor. 8. 10, 11. 3. Hoc est multiplicare nobis dolores, ut est in textu, id est, tanquam thesaurum recondere iram in diem iræ, & revelationis justi judicii Dei. Rom. 2. 5. Psal. 73. 27.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut fugiamus igitur vel minimam speciem idololatriæ, qualis hæc est cujus mentio fit in textu, *assumere nomina idolorum in labiis nostris*. Exod. 23. 13. Ios. 23. 7.

VIII. Præcipuum argumentum quo excitantur fideles ad pium studium erga Deum, & Dei cultores cum zelo, est Dei amoris erga se perceptio, ex v. 5. 6. 2 Cor. 5. 14. Rom. 12. 1.

*Ratio* 1. Quia charitas Dei effusa in cordibus fidelium, imbuit illa charitate. Rom. 5. 5. Gal. 2. 20. 1 Ioh. 4. 10, 11. 2. Quia eadem charitas quæ negligentes & alienos primo est complexa, studientibus Dei gloriæ, amplam spondet mercedem. Rom. 5. 10. 3. Quia studium illud quo fideles erga Deum feruntur, est filiorum,

rum, non mercenariorum. Gal. 4. 6, 7, 9.

*Vſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eos, qui amore & benignitate Dei non afficiuntur. Rom. 2. 5. 2. *Exhortationis*, ut ſtudeamus aſſequi plane percipere, & perpetuo contemplari charitatem iſtam Dei. Ephe. 3. 18, 19

IX. Charitas iſta tum demum percipitur cum in Deo ſolo acquieſcimus ad omnem felicitatem, ex v. 5, 6. Gen. 15. 1. *Ne timeas Abram, ego clypeus ſum tibi, merces tua ampla valde*. Pſa. 37. 4. & 73. 26. & 119. 57. Lam. 3. 24. *Portio mea Deus eſt*.

*Ratio* 1. Quia Deus non apprehenditur, ut Deus noſter, niſi apprehendatur ut ſummum noſtrum bonum. 2. Quia Deus ſolus eſt ſufficiens, & ſolus vult agnoſci. Deut. 32. 12. Pſal. 73. 25. 3. Quia ad alia reſpicere, eſt à Deo diſcedere. Ierem. 17. 5.

*Vſus* 1. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ſedulo ne fiduciam collocemus in ulla creatura. 2. *Exhortationis*, ut magis magiſque adhærere Deo ſtudeamus, & in eo noſmetipſos delectare.

X. Charitatis Dei, & fœlicitatis noſtræ perceptio, præcipue pendet ex interno ſenſu ſpiritualium Dei benedictionum, illuminatione, ſanctificatione & corroboratione ſpirituali, ex v. 7, 8. 1 Iohn. 4. 13. *Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare, & ipſum in nobis, quod de ſpiritu ſuo dedit nobis*. & c. 5. 20. *Scimus filium Dei veniſſe, & dediſſe nobis mentem, ut cognoſcamus verum illum, &c.* Epheſ. 1. 3. *Benedictus eſto Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, &c.* & ca. 3. 16, 18. Item c. 5. v. 25, 26. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea: Vt eam ſanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum*.

*Ratio* 1. Quia benedictiones hujuſmodi ſpirituales ſunt fructus electionis illius ad ſalutem, quæ fuit ab æterno. Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, eos etiam vocavit; & quos vocavit, eos etiam juſtificavit: quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit*. Eph. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus ſancti & inculpati, &c.* 2. Quia non communicantur niſi ſalvandis. Act. 13. 48. *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*. 1 Pet. 2, 3, 4, 5. 3. Quia ſunt primitiæ aut inchoatio ipſius fœlicitatis. Rom. 8. 23. & plenitudinis ipſius arrha. Ephe. 1. 14.

*Vſus Exhortationis*, ut omni collato ſtudio excitemus, & provehamus in nobiſmetipſis opus iſtud gratiæ.

XI. Ex ſpiritualibus iſtis benedictionibus, quarum participes ſimus in hac vita, firmam, lætam ac vivam ſpem concipere & alere debemus, de reſurrectione beata ad vitam æternam, ex verſ. 9. & 11. 1 Petr. 3. 4, 5, 6.

*Ratio* 1. Quia perfectio harum benedictionum in reſurrectione datur, Philip. 1. 5. 2. Quia per iſtas obſignamur in diem redemptionis. Ephel. 1. 14. & 3. 30. 3. Quia ſpes iſta præcipua pars eſt harum benedictionum, Roman. 8. 24.

*Vſus Conſolationis*, erga fideles, qui ſuo jure gloriari poſſunt ac debent ſub ſpe gloriæ. Rom. 5. 2.

XII. Fundamentum totius hujus conſolationis & ſpei, eſt in Chriſto, ex v. 10.

*Ratio* 1. Quia Chriſti reſurrectio eſt exemplar noſtræ. Romanor. 6. 2. Quia Chriſti reſurrectionem apprehen-

prehendentes, nostram simul apprehendimus, Col. 2. 12. *Per quam etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis.* 3. Quia per spiritum Christi perficietur nostra resurrectio, Rom. 8. 11. *Si spiritus ejus, qui suscitavit Iesum ex mortuis habitat in vobis: is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia vestra corpora per inhabitantem ipsius spiritum in vobis.* 4. Quia vita nostra in Christo est abscondita, & cum ipso fiet manifesta, Col. 3. 3, 4.

*Usus Institutionis*, ut in consolatione nostra quærendâ, mentis oculos & cordis affectum in Christo semper figamus.

XIII. Perfectio fœlicitatis nostræ, est in perfecta communione cum Deo, ex v. 11.

## Psalmus Decimusseptimus.

*Oratio Davidis: Exaudi Iehova justitiam, attende ad clamorem meum; aurem præbe orationi meæ,* quam habeo *absque labiis dolosis.*

2. *A facie tua jus meum prodeat: oculi tui videant quæ recta sunt.*

3. *Quum exploraveris animum meum, visitaveris de nocte, probaris me, non invenies;* quod *cogito, non transgreditur os meum.*

4. *Ad opera humana* instituenda; *ex verbo labiorum tuorum, ego observo semitas effractoris.*

5. *Contine gressus meos in orbitis tuis; ne dimoveantur pedes mei.*

6. *Ego invoco te, quia exaudis me Deus fortis: inclina aurem tuam ad me, ausculta sermonem meum:*

7. *Sepera benignitates tuas, ô qui servas recipientes se ad dextram tuam ab insurgentibus.*

8. *Serva me tanquam nigrum pupillæ oculi: umbrâ alarum tuarum abscon de me.*

9. *Propter improbos, qui vastant me; inimicos meos capitales, qui cingunt me.*

10. *Adipem suum obesant; ore suo loquuntur superbe:*

11. *Gressum nostrum nunc circumdant nobis: oculos suos adjiciunt declinando in terram.*

12. *Similitudo cujusque* est *tanquam leonis appetentis rapere, & velut juvenis leonis residentis in latibulis.*

13. *Surge Jehova anticipa faciem ejus; posterne eum, eripe animam meam gladio tuo ab improbo:*

14. *Ab hominibus* eripe *manu tua, Jehova, ab hominibus è mundo quorum portio* est *in hac vita, quorum ventrem imples recondito* thesauro *tuo: satiantur filii, & relinquunt excellentiam suam infantibus suis.*

15. *Ego in justitia videbo vultum tuum: satiabor quum expergiscar similitudine tua.*

## ANALYSIS.

Propositum Davidis hoc in Psalmo, est petere à Deo, ut servare eum velit à suis inimicis. Generaliter hoc indicatur in titulo, *oratio Davidis.*

Proponitur etiam generaliter v. 1. *Exaudi Jehova juſtitiam: attende ad clamorem meum: aurem præbe orationi meæ*; & v. 6. *Inclina aurem tuam ad me: auſculta ſermonem meum.* Specialiter autem explicatur, v. v, 9, 13, 14.

Argumenta quibus generalis illa petitio ſuadetur & urgetur, petit David. 1. Ab adjuncto cauſæ ſuæ, quia fuit juſta & æqua, v. 1. *exaudi juſtitiam*, cui argumento congruenter ſubjungitur ipſa petitio ſub forma provocationis, aut appellationis, ab hominibus injuſtis, ad juſtitiæ divinæ tribunal. v. 2. 2. Ab adjuncto orationis, quia fuit ab omni fraude & ſimulatione remota, *abſque labiis doloſis*. 3. Ab adjuncto perſonæ ſuæ, innocentia nempe ſua, quæ primo confirmatur teſtimonio ipſius Dei, v. 3. & poſtea per diſtributionem explicatur & diſtinguitur in innocentiam cordis, v. 3. in principio: oris, eodem verſiculo, in fine, operum, ſeu vitæ inſtitutæ, v. 4. cujus continuandæ propoſitum ſingulari voto illuſtratur, v. 5. 4. Ab adjuncta conſuetudine in precibus ejus exaudiendis.

Specialis petitio ſuadetur. 1. A fructu petitionis conceſſæ, magna ſcilicet acceſſione gloriæ benignitatis, ad nomen Dei: v. 7. in principio, *mirificas*, vel *admirabiles reddis benignitates tuas*, quæ etiam gloria explicatur honorificæ appellationis titulo ibidem in fine: *ô qui ſervas dextra tua, recipientes ſe ad te, ab inſurgentibus adverſus ſe.* 2. A neceſſitate opis à Deo ferendæ, idque cum omni ſtudio & vigilantia, qualem homo adhibere ſolet in oculi pupillâ, & gallina in pullis ſuis conſervandis, v. 8. oſtenditur autem hæc neceſſitas ex deſcriptione hoſtium, & periculi quod ſibi inferebant. Hæc autem deſcriptio eſt. 1. Ab effectis, quod *vaſtabant* eum v. 9. id eſt, ſpoliabant omnibus vitæ ſubſidiis. 2. A finè quem ſibi propoſitum habebant, eripere ſcilicet animam aut vitam ipſam, ibidem, *inimici in animam* vel *capitales*. 3. Ab adjuncto ſermonis eorum faſtu, nempe & ſuperbia, cujus occaſio oſtenditur eſſe ipſorum opulentia & potentia, v. 10. 4. A conſiliis eorum inſidioſis & crudelibus, v. 11. quæ illuſtrantur per comparationem leonum, v. 12. 5. Ab adjuncta illa fœlicitate mundana cui aſſueti erant, in omnibus ſuis conatibus, tam in ſemetipſis, quam in ſuis poſteris, v. 14. ex cujus fœlicitatis contemplatione, quia gravis tentatio oriebatur Davidi, idcirco opponit illi Propheta ut diſſimilem, ſed majoris multo ponderis, & dignitatis, veram illam fœlicitatem, quam in via juſtitiæ certo expectabat à Deo ſuo tempore communicandam, v. 15.

## Documenta.

I. Fidelium hoc proprium eſt cum ab hominibus injuſtis opprimuntur, ad Deum per preces confugere & quaſi appellare, ex titulo Pſalmi, & ex v. 2. Jerem. 11. 20. & 18. 28. 2 Chron. 24. 22.

*Ratio* 1. Quia fides, ſicut hominem Deo conjungit, ſic in omnibus periculis ab ipſo pendere facit. 2. Quia promiſſionem ſingularem de protectione Dei apprehendit, Pſalm. 85. 8. & 91, 9. & 94. 21, 22. 3. Quia oratio pia eſt hujus fiduciæ actus & exercitium, quod à Deo etiam in iſtum finem poſtulatur, Pſal. 50. 15.

*Uſus* 1. *Increpationis*, adverſus eos, qui

qui appellationis hujus beneficio non utuntur. 2. *Exhortationis*, ut exerceamus nosmetipsos ad istam praxin.

II. Ad efficaciam precum requiritur, ut & causa sit justa quæ Deo commendatur, & syncerus affectus quo commendatur, ex, v. 1.

*Ratio* 1. Quia si causa sit injusta, Deus contumelia magna afficitur, dum sic invocatur quasi esset injustitiæ patronus, Psal. 94. 20. 2. Quia causa injusta efficaciter Deum inclamat adversus reos, & obruit eorum preces, Gen. 4. 10. Prov. 28. 9. Psal. 66. 18. 3. Quia justa causa cum synceritate animi coram Deo repræsentata, vim habet petitionis efficacis, 2 Chron. 20. 12.

*Usus admonitionis*, ut non satis habeamus Deum temere invocare, sed & causæ de qua agimus, & animi nostri justam rationem habeamus.

III. Illa sola justitia vel innocentia fiduciam solidam adfert quæ Dei ipsius testimonio comprobatur, ex v. 3. 4.

*Ratio* 1. Quia justitiæ forma in eo consistit, ut ut voluntati Dei conformis. 2. Quia conscientia ex sua natura Deum respicit judicantem. 3. Quia in appellatione ad Deum, judicium ejus quæritur singulari quadam ratione. 4. Quia omnia alia judicia & falli & fallere possunt, Deus autem verum semper fert judicium.

*Usus admonitionis*, ne in hominum sententiis acquiescamus, sed Deo nos approbare semper studeamus.

IV. Justitia illa quæ Deo probatur, est universalis quoad cogitata, dicta ac facta, & est constans quoad propositum saltem & votum, ex v. 3, 4, 5.

*Ratio* 1. Quia alias non est totius hominis. 2. Non est syncera, sine dolo. 3. Non reddit conscientiam bonam & lætam.

*Usus admonitionis*, ne in fucata & manca justitia nobismetipsis placeamus.

V. Qui hunc in modum Deo probantur, *mirificas* experientur ejus benignitates, ex v. 7. Psalm. 31. 19. & 65. 6.

*Ratio* 1. Quia majores sunt benignitates, Dei erga suos, quam ut possint à nobis comprehendi, 1 Cor. 2. 9. Eph. 3. 20. 2. Quia tanta sunt pericula piorum, ut non possint servari nisi per mirificam benignitatem in textu. 3. Quia quo magis mirifica est Dei benignitas erga suos, eo majorem habet gloriam dum excitantur homines ad eum quærendum, Psalm. 36. 8.

*Usus consolationis*, adversus omnes terrores illos, qui oriri possint ex magnitudine periculorum in quibus versamur.

VI. Ex mirifica ista Dei benignitate tam certam spem concipiunt fideles de salute & fœlicitate æterna, ut illa sustententur adversus omnes tentationes hujus mundi, ex v. 15. cum antecedentibus collato.

*Ratio* 1. Quia salus illa est præcipuus fructus mirificæ Dei benignitatis, Tit. 2. 11. 2. Quia facile superat omnia illa vel bona, vel mala, quibus afficiuntur homines in mundo, Rom. 8. 18. Heb. 10. 34.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos in sanctissima ista spe, 1 Peter 1. 13. 2. *Consolationis*, adversus omne genus tentationum.

PSALMUS

## Psalmus Decimusoctavus.

*Magistro symphoniæ, servi Jehovæ, Davidis : qui eloquutus est Iehovæ verba cantici hujus, qua die eripuerat Jehova eum è manu omnium inimicorum ipsius, ut è manu Schaulis :*

2. *Et dixit ; ex intimis visceribus diligam te, Iehova firmitas mea.*

3. *Jehova, petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus ; Deus fortis meus, rupes mea, ad quem me recipiam ; clypeus meus, & cornu salutis meæ, editus locus meus.*

4. *Laudatum invoco Iehovam, & ab inimicis meis servor.*

5. *Circumdantibus me doloribus mortis ; & torrentibus* hominum *nequam perterrentibus me :*

6. *Doloribus sepulcri circumeuntibus me : occurrentibus mihi tendiculis mortis :*

7. *In ipsa angustia mea invoco Iehovam, & ad Deum meum vociferor : exaudit è templo suo vocem meam, & vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus :*

8. *Et concutitur ac movetur terra, fundamentaq; montium commoventur ; concutiuntur autem, quum* ira *accenditur ei.*

9. *Ascendit fumus per nasum ejus, & ignis ex ore ejus consumens ; prunæ ardentes ab eo* sunt :

10. *Et demittens cælum descendit ; cum caligine sub pedibus suis :*

11. *Et insidens Cerubinis volat, volitatque super alas venti :*

12. *Disponit tenebras latibulum suum, circa se tugurium suum ; tenebrosas aquas, densitates superiorum nubium.*

13. *A splendore* qui est *ante eum nubes ejus densæ transeunt ; grando & prunæ igneæ.*

14. *Tonante in cælis Iehova, & excelso edente vocem suam ; grando & prunæ igneæ :*

15. *Ita emittens sagittas suas, dispergit illos ; & fulgura jaculans fundit illos.*

16. *Conspiciuntur etiam imi alvei aquarum, & revelantur fundamenta orbis habitabilis ; increpatione tua Jehova, flatu spiritus nasi tui.*

17. *Mittens ex edito assumit me, extrahit me ex aquis multis :*

18. *Eripit me ab inimico meo valentiore, & ab osoribus meis, quum robustiores sunt me.*

19. Quum *incurrunt mihi in tempore calamitatis meæ, tum est Jehova pro scipione mihi.*

20. *Et educit me in latum ; liberat me, quia delectatur me.*

21. *Tribuit mihi Jehova secundum justitiam meam ; secundum puritatem manuum mearum restituit mihi.*

22. *Quum observo vias Jehovæ, neque improbe averto me à Deo meo ;*

23. *Quum omnia judicia ejus in conspectu meo sunt ; & statuta ejus non amoveo à me.*

24 Denique

24. *Denique quum sum integer coram eo ; & caveo mihi ne inique agam :*
25. *Restituit Iehova mihi secundum justitiam meam ; secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.*
26. *Cum benigno benignum te exhibes ; cum viro integro integrum te exhibes ;*
27. *Cum puro purum te præbes : at cum perverso eluctaris.*
28. *Quia tu populum afflictum servas ; oculos vero elatos dejicis :*
29. *Quin tu illustras lucernam meam : Iehova Deus meus splendentes efficit tenebras meas.*
30. *Per enim transcurro turmam ; & per Deum meum transilio murum.*
31. *Hujus Dei fortis integra* est *via, sermo Iehovæ purgatissimus* est *: clypeus est omnibus qui se recipiunt ad eum.*
32. *Nam quis* est *Deus præter Jehovam ? & quis rupes præterquam Deus noster ?*
33. *Hic* Deus *fortis* est *qui accingit me robore, & reddit integram viam meam :*
34. *Disponens pedes meos tamquam cervarum ; ut in excelsis meis statuat me :*
35. *Docens manus meas prælium ; adeo ut frangatur arcus calybeus brachiis meis.*
36. *Nam das mihi clypeum salutis tuæ, dexteraque tua sustentat me ; & mansuetudo tua adauget me.*
37. *Dilatas gressui meo locum meum ; neque vacillant malleoli pedum meorum.*
38. *Persequor inimicos meos, & assequor eos : neque revertor donec consumpsero eos.*
39. *Frango eos adeo ut non possint exsurgere ; cadentes sub pedibus meis.*
40. *Accingis enim me robore ad bellum ; prosternis insurgentes in me sub me.*
41. *Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem ; ut osores meos exscindam.*
42. *Vociferantur, sed non* est *qui servet ; ad Jehovam, sed non exaudit eos.*
43. *Itaque contundo eos tanquam pulverem coram vento ; ut lutum platearum frio eos.*
44. *Liberas me à contentionibus populi ; disponis me in caput gentium, populus quem non noveram serviunt mihi :*
45. *Ad auditionem auris obediunt mihi, alienigenæ mendaciter se dedunt mihi :*
46. *Alienigenæ decidunt, & horrescunt è conclavibus suis.*
47. *Vivit Iehova, & benedicta rupes mea : quapropter exaltetur Deus salutis meæ,*
48. Deus *ille fortis qui præstat ultiones mihi ; & adducit populos subter me.*
49. *Liberans me ab inimicis meis : etiam supra insurgentes in me exaltasti me ; à viro violento eripuisti me.*
50. *Idcirco celebrabo te in gentibus, Jehova ; & nomini tuo psallam :*

51. *Magnificam præſtare ſalutem omnimodam regi ſuo: & exercere benignitatem erga unctum ſuum; erga Davidem & erga ſemen ejus uſque in ſeculum.*

## ANALYSIS.

Authorhujus Pſalmi, *David ſervus Jehovæ*; objectum, *Iehova*; tempus, *quia die eripuerat eum Iehova è manu inimicorum*: & ſimul etiam cauſa, ipſa nempe ereptio vel liberatio cum ejus annexis, in inſcriptione, Pſalmi v. 1. explicantur.

Finis & ſcopus Pſalmi eſt celebrare nomen Jehovæ v. 50. vel exaltare eum v. 47. id eſt, tribuere Deo honorem & gloriam illam quæ ipſi debetur.

Ratio, argumentum & cauſa hujus celebrationis, fuit ſalutaris Dei beneficentia Davidi præſtita, v. 47. *rupes ſalutis meæ.*

Hujus autem beneficentiæ duæ ſunt partes, liberatio Davidis è manu hoſtium, & ſupra ipſos exaltatio v. 48, 49.

Celebrandi modus ponitur in profeſſione & publicatione beneficentiæ Dei in ejus gloriam, tum apud Judæos, tum apud Gentes, v. 50, 51.

Hoc autem modo, celebratio hæc præſtatur, 1. Generaliter v. 2, 3, 4. 2. Specialiter à v. 5. ad 47. 3. Generaliter denuo, à v. 47. ad finem.

In generali illa celebratione quæ v. 2, 3, & 4. habetur, beneficentia Dei & ſimpliciter commemoratur, v. 2. quod Jehova fuit *firmitas* vel fortitudo ejus v. 3. quod fuit *liberator ejus, Deus fortis ejus* v. 4. quod *ab inimicis eum ſervarit*: & variorum ſimilium comparationibus illuſtratur, *petræ, propugnaculi, clypei, cornu: & editi perfugii loci*: v. 3. tum beneficentiæ hujus communicatæ medium notatur, *invocatio* nempe *Dei* v. 4. & effecta congrua ſpondentur, *dilectio* ſcilicet *Dei, ex intimo cordis affectu*. v. 2. & ſpei in ipſo perpetua collocatio, v. 3.

1. In ſpeciali celebratione exponitur primo periculi magnitudo in quo David verſatus fuerat, tanquam objectum liberationis divinæ, v. 5. & 6. ubi hoſtium nefarii conatus & impetus deſcribuntur triplici ſimilium collatione, funium aut dolorum lethalium: torrentium rapiditate ſua omnia obvia auferentium, & tendicularum implicantium aut impedientiũ conatus omnes eluctandi. 2. Oſtenditur ſecundo in loco quemodo David ſe geſſerit in iſtis periculis, *Iehovam enim Deum ſuum* invocabat & inclamabat, v. 7. Quæ invocatio quoniam fuit (ut antea dictum eſt inſtrumentum beneficentiæ à Deo conſequendæ, idcirco per benignam Dei exauditionem illuſtratur, ibid. 3. Terribilis ille apparatus deſcrbitur, quo Deus præſentiam ſuam teſtificabatur & accingebat ſemetipſum ad liberandum Davidem; à v. 8. ad 17. ubi terror adventus Dei irati deſcribitur per tempeſtatem horrendam, cujus. 1. Excitatio proponitur in formidabili terræ concuſſione v. 8. craſſarum & ignitarum nubium collectione, ac depreſſione verſus hoſtes, v. 9, 10. ventorum concitatio ad celeritatem rei conficiendæ notandam, v. 11, Ejuſdem tempeſtatis & apparatus terribilis poſtea quaſi in aciem productio deſcribitur, ubi primo tenebræ diſponuntur quaſi ad tabernaculũ militare, v. 12. ſplendor ſummæ majeſtatis pro ſatellitio adhibetur, v. 13. cui adjungitur formidabile

midabile tonitru, quasi pro classico, & auspicio prælii ineundi v. 14. & tandē permiscentur omnia grandine, flammis, & fulminibus, tanquam telis & sagittis Dei adversus hostes pugnantis; v. 13, 14, 15. hujus etiam terroris vis explicatur per effectum ejus in totius orbis concussione horrenda v. 16. 4. Liberatio ipsa à Deo præstita Davidi explicatur à v. 17. ad 29. quæ non simpliciter tantum declaratur illis verbis, *assumit, eripit, educit, liberat me*, v. 17, 18, & 20. sed etiam variis modis amplificatur. 1. Ab ejus causa principali, quæ non fuit virtus aliqua creaturæ, sed sublimis Dei potentia & efficax voluntas, *mittens ex edito* v. 17. 2. A magnitudine periculi ex quo fuit liberatus, atque adeo ipsius liberationis, hæc autem periculi gravitas simpliciter indicatur. v. 18. & comparationibus illustratur *aquarum* obruentium, v. 17. & *hostium irruentium*, v. 19. 3. A causa impellente principali, quæ fuit gratuita Dei benevolentia, *quia delectatur me*, v. 20. 4. Ab ejusdem causa administrante, innocentia nempe Davidis, v. 21. & 25. quæ medio suo illustratur, vigilanti scilicet & constanti attentione ad suas actiones instituendas secundum legem Dei, v. 22, 23, 24. Hujus autem dispensationis divinæ qua ipsemet liberatus fuit à Deo, habita ratione suæ innocentiæ, non singularem aliquam & sibi propriam, sed generalem esse naturam & omnium communem declarat v. 26, 27, 28. ubi per collationem contrariarum specierum, omnes homines à Deo pro ratione operum suorum mercedem accepturos ostendit. 5. Liberationis adjuncta & ornamenta quibus liberati Davidis conditio, ex benignitate Dei, redditur magis illustris, generaliter. 1. Celebrantur v. 29. & specialiter commemorantur, victoriæ scilicet v. 30. ad 44. & imperii propagatio, quæ ex illis consequebatur, v. 44, 45, 46.

Victoriæ Davidis variis modis amplificantur. 1. Ab oppositis impedimentis quæ superavit, vers. 30. 2. A singulari illa virtute qua fuit instructus ad victoriam consequendam, v. 33. ubi animi magnitudo balteo militari comparatur, sicut & v. 40. v. 34, 35. ubi eadem virtus indicatur per celeritatem etiam ardua quæque perficiendi, scientiam rei militaris, & incredibiles vires obeundi munera belli. 3. A salva illa custodia qua illæsus pergebat in prælio, v. 36. 4. A successu prælii, libera potestas & alacritas cedentes hostes ex voto persequendi, v. 37. 5. A victoriæ gradu, quòd fuit perfecta v. 38, 39, 41, 43. quæ etiam perfectio victoriæ illustratur per desperatam hostium conditionem, qui prorsus orbati fuerunt omni subsidio, tam divino, quam humano, v. 42.

Horum autem omnium author & largitor agnoscitur Deus: quòd ad nominis ejus gloriam singulis fere versibus prædicatur, specialiter etiam declaratur gloriam illam Dei singularem, quæ istis beneficiis elucet, esse gloriam fidelitatis, & potentiæ, v. 31, 32.

Propagatio imperii Davidis describitur. 1. A subjecto, populo alieno & ignoto, v. 44, 45, 46. 2. causa, & principali efficacique Dei decreto, v. 44. in medio: & administrante pavore magno hominum animos invadente, v. 46. 3. A modo subjectionis, qui ponitur in coactione & simulatione, v. 45.

A versu

A verſu 47. ad finem in unam ſummam brevem & generalem colligitur totius Pſalmi argumentum: ſicut in principio fuit obſervatum.

QUÆSTIONES.

I. Qua ratione titulum hunc ſibi deligit David in iſthoc Pſalmo? & Pſal. 36.

*Reſp.* 1. Ut profiteretur ſe non ex ambitione aut inani confidentia certamen hoc arduum iniviſſe contra tot ac tantos hoſtes, ſed ex fide & obedientia erga Deum, prout ſervum ejus decebat. Ut agnoſceret tutelam ac protectionem ſibi præſtitam à Deo, illam eſſe quam à cœli & terræ Domino omnes ejus ſervi poſſint expectare. 3. Ut ſimul etiam teſtaretur ſe iſtis beneficiis quaſi nova quadam obligatione obſtrictum eſſe ad Deo fideliter ſerviendum.

II. Quare tot Metaphorarum congeries adhibetur ad defenſionem à Deo præſtitam indicandam, v. 3.

*Reſp.* Quia nulla una comparatione, vel ſatis poſſit res ipſa declarari, utpote quæ ſuperat omne quod dici poteſt aut cogitari, vel pius Davidis affectus, quo in illam ferebatur, ſatis explicari.

III. Quare vocatur Jehova laudatus? v. 4.

*Reſp.* Quia dignus eſt omni laude ac honore: & ſolet etiam à piis omnibus in Eccleſia unicè laudari, Pſalm. 48. 2.

IV. Quid ſignificatur per Belial, verſ. 5?

*Reſp.* Belial ab Apoſtolo opponitur Chriſto, 2 Cor. 6. 15. proprie igitur notat perſonam aliquam, nullam autem aliam perſonam poteſt notare quam diaboli, quatenus eſt Deus hujus ſeculi, 2 Cor. 4. 4. & efficaciter agit in filiis inobedientiæ, Eph. 2.2. unde etiam fit quod perditi & ſcelerati homines vocantur in vetere Teſtamento, filii Belial, Deut. 13. 13. 1 Sam. 1. 1.16 & 25. 25. ſicut in novo teſtamento filii diaboli, Ioh. 8. 44. 1 Joh. 3. 8. & aliquando ſimpliciter Belial, 2 Sam. 23. 6. Nah. 1. 15. ſicut ſpiritus mali in novo teſtamento vocantur ſpirituales improbitates, Eph. 6. 12.

V. Utrum hiſtorice, vel allegorice intelligi debeat formidabilis illa tempeſtas, quæ deſcribitur à v. 8. ad 17?

*Reſp.* Allegorice hoc in loco debet neceſſario capi, quia (præterquam quod hæc Davidi eveniſſe in Scripturis non legitur) non agit hic Propheta de ſingulari aliqua liberatione ſeorſim, ſed per aggregationem aut collectionem, de omnibus liberationibus è manu omnium inimicorum ſuorum, v. 1. certo autem certius eſt, hujuſmodi miracula non tam frequentia fuiſſe ac fuerunt Davidis liberationes, allegoria tamen iſta non eſt mere ficta, ſed ex hiſtoria vera deſumta, quia Deus cum præſentiam ſuam magnifice & glorioſe vult declarare, ſolet iſtiuſmodi procellas excitare, ſic fecit in legis promulgatione, Exod. 19. in primi regis electione, 1 Sam. 12. in Chriſti morte, Mat. 27. 51. in miſſione Spiritus, Act. 2.

VI. Quomodo dicitur Deus cum puro pure agere, & cum perverſo perverſe? v. 26, 27.

*Reſp.* Quatenus in diſpenſatione ſua ſanctiſſima rationem habet & proportionem obſervat inclinationis & viæ cujuſque, ſicut apparet ex v. 21.

VII. Quomodo accommodantur

verba

versa illa v. 50. ad vocationem gentium, Rom. 15. 9.

*Resp.* Quatenus sub ista voti nuncupatione continetur promissio de gentibus colligendis ad nomen Dei invocandum, & laudandum, & officium gentilium explicatur, sicut ibi Apostolus docet.

DOCVMENTA.

I. Celebrandus est Deus de suis beneficiis, & in genere, & in specie consideratis, ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia beneficiorum Dei amplitudo superat omnem benedictionem ac laudem, Nehe. 9. 5. 2. Quia in generali gratiarum actione per se habita animi nostri non adeo afficiuntur atque in speciali: & in speciali omnia Dei beneficia non possunt commemorari. 3. Quia quædam est Dei benignitas quæ communiter exercetur in omnibus ejus beneficiis, & alia propria singulorum.

*Vsus Exhortationis*, ut exerceamus nosmetipsos ad istam spiritualem copiam & varietatem in Deo laudando.

II. Principium omnis celebrationis Dei ponitur in sincera nominis ejus dilectione, ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia proprius affectus ille qui in animis nostris per bonitatem Dei excitatur, est dilectio Dei. 2, Quia actus Dei celebrandi, qui versatur in honore & gloria ipsi tribuenda, fluit ex illo affectu, quo nos totos Deo tradimus; & volumus, atque conamur, ut omnia bona ipsi deferantur: talis autem affectus est dilectio. 3. Quia amor est causa omnium operationum quas cum lætitia & gaudio exercemus. 4. Quia benedictiones Dei proveniunt ex ipsius amore, v. 20. cui noster amor debet respondere.

*Vsus Admonitionis*, ne ad verba & formulas gratiarum actionis ita simus attenti, atque ad intimum cordis affectum.

III. Qui diligunt Deum, id omnimodo agunt ut beneficentiam ejus illustrent & admirabilem sibi reddant, ex vers. 3.

*Ratio* 1. Quia pascitur præcipue, & promovetur dilectio hujusmodi contemplatione objecti illius circa quod versatur. 2. Quia simul etiam exercetur dilectio in ista celebratione. 3. Quia celebratio summi boni & authoris ejus, est in summa apprehensione & commemoratione bonitatis ejus, in qua cum pius animus non possit sibimet satisfacere, facit quod potest, laudes maximas accumulando, & postea quiescit in admiratione.

*Vsus Admonitionis*, ut segnitiem illam animi excutiamus, quæ frigidos nos reddit & restrictos in celebratione nominis Dei.

VI. Neque diligere, neque celebrare Deum possumus, prout oportet, nisi magnitudine malorum, ex quibus liberati sumus, bene considerata, ex vers. 4, 5, 6. Eph. 2. 1, 2, 3. *Et vos una vivificavit, quum essetis mortui in lapsibus & peccatis: In quibus olim ambulastis, ut est vita mundi hujus, secundum Principem cui potestas est aeris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus: Inter quos & nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis*, &c. 1 Tim. 1. 13. *Qui prius eram blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed mei misertus est.*

*Ratio* 1. Quia bona non recte percipiuntur, nisi ex comparatione ma-

malorum. 2. Quia lætitia de bonis, nulla ratione magis excitatur, quam recordatione doloris antecedentium, & metus impendentium malorum.

*Uſus directionis*, ut præterita mala ſæpe memoria recolamus atque ita nosipſos præparemus ad laudandum Deum de beneficiis ejus variis, quibus ab illis malis ſumus liberati.

V. Ipſa liberatio ex malis, quamvis maxima fuerint, non reddit homines gratos, niſi piis precibus fuerit impetrata, ex v. 7. Pſalm. 50. 15. *Invoca me tempore anguſtiæ, eripiam te*, &c.

*Ratio* 1. Quia hac ſola ratione, Deo in ſolidum tribuitur liberatio, non cauſis ſecundis, caſui, aut fortunæ. 2. Quia ſic Deo tribuitur ex ſpeciali erga nos gratia, precibus implorata. 3. Quia ſic ex Dei manu rite fuit recepta.

*Uſus exhortationis*, ut & piis precibus in omnibus anguſtiis invigilemus, & diligenter etiam obſervemus quomodo preces noſtræ ſunt à Deo exauditæ.

VI. Liberationes Dei, & cætera ejus beneficia in nos collata, ampliſſime à nobis concipi debent, per omnium partium & circumſtantiarum conſiderationem deducta, ex v. 8. ad 21.

*Ratio* 1. Quia hujuſmodi repræſentatio in operibus Dei, non poteſt eſſe hyperbolica, ut ſuperet rei veritatem: ſed attollit animum ad illud aliquo modo comprehendendum, quod perfecte non poteſt comprehendi, Eph. 3. 19, 20. 2. Quia lata deſcriptio bonitatis Dei plurimum facit ad cor noſtrum dilatandum in amore & gratitudine erga Deum.

*Uſus* 1. *Increpationis*, quod tam aridi & jejuni ſumus in beneficiis Dei vel aliis repræſentandis. 2. *Exhortationis*, ut exerceamus nos in hujus generis inventione, hæc eſt dialectica vere divina, quæ ſingularem etiam eloquentiam gignit in iis qui ita ſeſe exercent.

VII. In omnibus Dei operibus ſingulariter obſervari debet reſpectus quem habet ad noſtræ vitæ rationem, ex v. 21. ad 29.

*Ratio* 1. Quia opera Dei eatenus nobis ſunt ſalutaria, quatenus iis promovemur in ſtudio bene vivendi. 2. Quia in iſtis operibus diſpenſantur Dei beneficia, & judicia, ſecundum illud quod agimus, v. 21. 26, 27.

*Uſus Admonitionis*, ne unquam nos piè Dei opera contemplatos eſſe putemus, niſi ex iis proficiamus in ſtudio pietatis.

VIII. Non tamen noſtræ dignitati aut merits quidquam tribuere debemus, ſed bonitati ac fidelitati Dei, ex verſ. 31, 32.

*Ratio* 1. Quia opera noſtra non ex dignitate ſua, ſed ex miſericordia & benignitate Dei coronantur. 2. Quia alias Deo gloriam debitam non tribueremus ſed nobiſmetipſis indebitam arrogaremus.

*Uſus informationis*, ad cogitationes noſtras ita dirigendas, ut in beneficentiæ Dei & expectatione, & recordatione, benignas Dei promiſſiones, & earum fideles præſtationes, ut ſolitariam cauſam ſemper intueamur.

IX. Tanta eſt bonitas Dei erga ſuos, ut ampliora ſæpe ipſis largiatur, quam illi rogant, à v. 29. ad 47. compara cum v. 7. Eph. 3. 20. *Qui ſumma cum exuperantia poteſt omnia facere ſupra ea quæ petimus, aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis.*

*Ratio* 1. Quia mensura beneficentiæ Dei non est nostra, sed ipsius voluntas. 2. Quia hac ratione maxime constringuntur pii ad nomen Dei celebrandum.

*Usus Exhortationis*, ut corda nostra maxime dilatemus in bonitate Dei tam expectanda, quam celebranda.

X. In hujusmodi illustribus Dei actionibus quibus bene facit iis qui sperant in eum, & hostes eorum confundit, vita Dei clara manifestatur, v. 47. *vivit Jehova*.

*Ratio*. Quia Deus dicitur vivere, quatenus ex sese perfecte operatur, unde fit quod Deus, ut vivens, opponitur idolis nihil facientibus, Jer. 10. 6. *Ex eo quod nullus est par tibi, ô Iehova, quod maximus es, & maximum nomen tuum potentiâ*, & v. 10. *Jehova vero Deus verus est, Deus vivens & Rex sempiternus: à cujus fervore commovetur terra, neque sustinere possunt gentes indignationem ejus.* Præcipuæ autem operationes Dei circa homines manifestatæ, sunt fideles servare, & impios coërcere.

*Usus* 1. *Consolationis*, erga omnes vere fideles, quod Deus ille in quem sperant, vivit in æternum, atque adeo semper paratus erit virtutem omnem exercere, ad eorum salutem. 2. *Admonitionis*, ut vitam nostram sic instituamus, quemadmodum decet eos qui Deum vivum bona ac mala omnia potenter dispensantem agnoscunt & colunt. Jer. 5. 23. *Quum vivit Iehova, dicunt; hoc pacto falso jurant. O Iehova, oculi tui annon spectarent ad fidem?*

XI. Vita ista Dei ab omnibus piis supra alia omnia maxime debet exaltari, ex v. 47.

*Ratio*. Quia omnem vigorem suum profert in eorum salutem, ibidem, & supra omnes inimicos, ipsos exaltat, v. 49.

*Usus Exhortationis*, ut non verbis tantum, sed & factis etiam hoc annitamur, pius animus non committet, ut socordia sua, Dei gloria jaceat quasi humi strata: sed omnibus modis eam extollet, ut ab aliis etiam cum admiratione agnoscatur.

XII. Deus tum maxime exaltatur, cum laudes ejus quam latissime divulgantur, ex v. 50.

*Ratio*. Quia hac ratione sic elevatur Dei nomen ut quamplurimis reddatur spectabile, tanquam omnium rerum maxime sublime.

*Usus exhortationis*, ut paremus nosmetipsos, cum omni alacritate aliis communicare notitiam illam quam habemus de Deo.

## PSALMUS DECIMUS NONUS.

*Magistro symphoniæ, Psalmus Davidis.*

2. *Cœli enarrant gloriam Dei fortis, & opus manuum ejus indicat expansum eorum.*

3. *Dies ad diem eructat sermonem; & nox ad noctem ostendit scientiam.*

4. *Non* est *sermo, neque verba eis; & sine* his *intelligitur vox eorum.*

5. *In totam terram prodeunte delineatione eorum simul* prodierunt *in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum;* ex quo *Soli disposuit tentorium in eis.*

6. *Nam*

6. *Nam eſt tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo; lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam.*

7. *Ab extremitate cælorum exortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum* eſt: *nec* eſt quod *abſcondatur è calore ejus.*

8. *Doctrina Jehovæ integra* eſt, *reſtituens animam : teſtimonium Iehovæ verax ſapientiam afferens imperito.*

9. *Mandata Jehovæ* ſunt *recta, lætificantia animum : præceptum Jehovæ purum illuſtrans oculos.*

10. *Reverentia Jehovæ munda, conſiſtens in ſempiternum : judicia Jehovæ* ſunt *ipſa veritas, juſta ſunt pariter.*

11. *Deſideratiſſima,* deſiderabiliora *auro, & quidem auro purgatiſſimo; ac dulciora melle, & quidem cocto melle.*

12. *Tum* me *ſervum tuum commonefactum iſtis; in horum obſervatione* eſſe *emolumentum magnum.*

13. (Nam *errores quis intelligat?*) *me,* inquam, *ab occultis abſolve.*

14. *Tum à contumaciis ſubtrahe ſervum tuum, ne dominentur in me, tunc & inſons ero à defectione magna.*

15. *Sint accepti ſermones oris mei, & meditatio animi mei coram te : Iehova rupes mea & redemptor mi.*

## ANALYSIS.

SCopus Prophetæ in iſthoc Pſalmo, eſt petere liberationem à ſuis peccatis, v. 13, 14, 15. hæc autem petitio arguitur primo ut neceſſaria & ſyncera, ab initio Pſalmi ad v. 13. & tum explicatur ſuis partibus v. 13. & 14. & ultimo in loco cum inſtantia urgetur, v. 15.

Neceſſitas & ſynceritas hujus petitionis arguitur. 1. A gloria Dei quæ in cœlis elucet ad v. 8. 2. Ab illa gloria vel perfectione quæ in verbo ejus revelatur, à v. 8. ad 13.

Iſtis autem argumentis oſtenditur. 1. Neceſſitas liberationis à peccatis admiſſis petendæ, quia tanta eſt gloria Dei, & perfectio voluntatis ejus revelatæ, quæ peccatis hominum violatur. Oſtenditur etiam. 2. Ejuſdem petitionis ſynceritas eiſdem plane argumentis, quatenus illa gloria, & perfectio voluntatis Dei qui peccatis oſtenditur, cum omni humilitate agnoſcitur à Propheta.

Gloria vero Dei quæ in cœlis elucet, in communi declaratur. 1. A præſentia illius artificii quod in cœleſti machina apparens Dei, ut efficientis cauſæ omnimodam perfectionem oſtendit, v. 2.

Declaratur 2. A cœleſtium corporum conſtanti uſu in ſtatis, ac diſtinctis inferioris mundi tempeſtatibus præfectura ſua conſtituendis, verſ. 3.

In iſthoc autem cœleſtis machinæ artificio & uſu gloriam Dei ita manifeſtari docet, quaſi clara voce prædicaretur, v. 3. quod amplificatur, 1. A diverſis, quod quamvis ſermone ac verbis non utantur cœli, gloriam tamen Dei ita promulgant, ut ab omnibus hominibus intelligi poſſint & exaudiri, v. 4. 2. A ſubjecto loco, quod iſtam promulgationem per omnes partes orbis tranſmittunt, v. 5.

Eadem gloria Dei quæ antea ex

 cœlis

cœlis communiter elucere dicebatur, ostenditur postea ex eorum præcipua parte, *sole*, qui describitur allegorice. 1. A subjecto loco in quo collocatur v. 5. in fine. 2. Ab adjuncta dignitate vel ornatu v. 6. in principio. 3. Ab effecto cursu & calefactione, quæ amplificantur ab adjuncta celeritate, indefatigatione, & universalitate, v. 6, 7.

Hactenus de gloria Dei in cœlis elucente. Verbi divini perfectio partim impliciter indicatur titulis illis quibus insignitur: & partim adjunctis virtutibus & earum effectis explicatur, idque copulate singulari quadam convenientia aut proportione observatâ inter singulos titulos, adjuncta, & effecta.

In istum finem copulantur. 1. Doctrina, integritas, & restitutio animæ v. 8. in principio, quia verbum Dei voluntatem ejus docet, absolute ac integre, ita ut idoneum sit ad animum errantis perfectioni suæ restituendum.

Copulantur 2. Testimonium, veritas & institutio imperiti ad sapientiam, v. 8. in fine, quia vere testatur. 1. Quænam sit voluntas Dei bona illa placens ac perfecta, Rom. 12. 2. & 2. Per applicationem ad nostra facta instar testis in conscientiis nostris vel accusat, vel excusat, Rom. 2. 15. atque adeo instruit nos ad sapienter vel bene Deo vivendum, Psal. 90. 12.

Copulantur 3. Mandatum, restitudo, & lætificatio animi, v. 9. quia communicat nobis rectissimam illam formandæ vitæ normam, quæ si observetur, conscientias nostras lætas reddit ac pacatas.

Copulantur 4. Præceptum, puritas, & illustratio oculorum, v. 9. quia tam simpliciter quod bonum est jubet, & malum prohibet, ut non possit operiri, nisi iis qui pereunt, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, nempe infidelibus, ne irradiet eos illustratio Evangelii gloriæ Christi, 2 Cor. 4. 3, 4.

Copulantur 5. Reverentia, mundities, consistentia æterna, v. 10. quia cultum Dei præscribit, sine mixtura, aut mutatione.

Copulantur 6. Judicia veritas, & & justitia v. 10. quia Dei administrationem secundum suas promissiones & comminationes, veram & justam esse declarat.

Perfectio ista verbi Dei, quæ prius fuit explicata, illustratur postea & amplificatur, partim comparatione imparium v. 11. & partim experientiæ ac observationis propriæ testimonio, v. 12. ubi etiam eadem perfectio suo effecto & usu notatur, vers. 12.

Petitio ipsa à contemplatione gloriæ Dei & perfectionis verbi ipsius oriunda duabus partibus constat, quarum prima spectat ad justificationem in remissione peccatorum postulanda, v. 13. cujus precationis generalis ratio excusatur per prolepsin, à privatione accuratæ scientiæ delictorum, quæ obstitit quominus omnia peccata specialiter confiteretur.

Secunda pars ad sanctificationem spectat, v. 14. ubi per dominatum peccati, synecdochicos, totius inquinationis amolitio petitur: quæ primo urgetur à relatione illa servi quam habuit Propheta erga Deum: & postea etiam illustratur a fine, testimonio scilicet conscientiæ bonæ, prout antecedente sermone fuit proposita, & illustri meditatione

gloriæ

gloriæ Dei, ac perfectionis verbi ipſius exornata, ibidem.

Hæc autem petitio tota repetitur & inculcatur generalibus verbis, v. 15. ubi etiam generali urgetur argumento, quod petitur à fœdere Dei, *rupes mea, & redemptor mi.*

QUÆSTIONES.

I. Quomodo cæli dicantur ſermonibus enarrare gloriam Dei? ex v. 2, 3. & 5.

*Reſp.* Non quia proprie loquuntur, ſed quia tam clare & efficaciter hanc gloriam *indicant* & *oſtendunt*, v. 2, 3. id eſt, arguunt, ut eam non minus notam faciant hominibus attendentibus, quam ſi verbis ipſi teſtimonium præberent.

II. Qua ratione verba illa quæ v. 5. habentur de cœlorum prædicatione, ad prædicationem Apoſtolorum applicantur, Rom. 10. 18?

*Reſp.* 1. Si Apoſtolus ibi phraſin tantum uſurpaverit Pſalmiſtæ, quamvis eam ad alium ſenſum accommodaverit; nihil in eo fecit quod vel à ratione, vel ab uſu communi abhorret. 2. Si ſimpliciter accipiantur hæc verba apud ipſum Apoſtolum, ſicut in Pſalmo videntur ſonare de prædicatione illa quæ per creaturas habetur, tum non plenam arguunt prædicationem eorum quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed illam cujus rejectio inexcuſabiles homines reddit, & indignos perfectiore informatione. 3. Secutus eſt Apoſtolus Davidis inſtitutum, ſicut enim David comparat inter ſeſe prædicationem operum Dei, & Verbi; ſic Apoſtolus per extenſionem illius prædicationis quam opera præſtant, extenſionem illuſtrat operæ ab Apoſtolus præſtitæ in Evangelio prædicando.

*Object.* Sed Evangelium tum temporis ad paucos tantum pervenerat.

*Reſp.* Pervenerat ad Judæos Hieroſolymam aſcendentes ex omni natione eorum qui ſub cœlo ſunt, Act. 2. 5.

DOCUMENTA.

I. Gloria Dei mirifice elucet in opificio cœlorum, ex v. 2. &c ad 8. Rom. 1. 20.

*Ratio* 1. Quia vis & perfectio cauſæ omnipotentis apparet in effecto quod à nulla re finita potuit produci. 2. Quia bonitas & benignitas divina in eo elucet, quod tales creaturæ inſerviunt uſui & commodo humano. 3. Quia ſapientia divina in eo oſtenditur, quod tam aptam habent ſtructuram, conſtitutionem & ordinem, ad uſus illos quibus aſſignantur. 4. Quia conſtantia & firmitas divinæ voluntatis in eo oſtenditur, quod perſtant hodie ſicut ab initio, Pſal. 119. 90, 91. 5. Quia in iſtis omnibus conjunctim gradum ſuum obtinent cœli ſupra cæteras creaturas, ita ut aliqua ex parte repræſentent nobis perfectionem ipſam Dei.

*Uſus* 1. *Informationis*, quomodo verſari debemus in contemplatione operum Dei, & præcipue cælorum, ita ſcilicet quaſi Deum ipſum audiremus de ſuâ potentiâ, bonitate, & ſapientia clara voce loquentem. 2. *Admonitionis*, ne nos de iſtis rebus taceamus, de quibus creaturæ mutuæ ſuo modo loquuntur. 3. *Exhortationis*, ut ſimiliter nos etiam noſtro modo virtutes Dei oſtendere conemur.

II. Verbi Dei propria eſt illa

prærogativa, quod perfectam habet docendi rationem, quæ animos hominum ad salutarem Dei cognitionem convertit, v. 8. in principio.

*Ratio* 1. Quia operum Dei institutio per se non ulterius valet, quam ut reddat homines inexcusabiles, Actor. 14. 16, 17. Rom. 1. 20. 1 Cor. 1. 21. 2. Quia eadem est ratio doctrinæ illius Ethicæ, & Metaphysicæ, quæ in humanis Philosophorum, & legumlatorum scriptis continetur: quoniam alia non est quam quæ ex operibus Dei colligebatur, idque observatione imperfecta. 3. Quia nullibi docetur peccatorum natura & vis, neque eorum tollendorum ratio ad salutem consequendam, nisi in verbo Dei.

*Usus* 1. *Informationis*, non gradduum tantum differentiam esse inter Philosophiam gentium, & Theologiam Christianam, sed & in ipsarum natura & essentia. 2. *Institutionis*, verbum Dei, alius planè generis æstimatione & amore prosequendum esse, quam scientias aut leges humanas; illique soli adhærendum in toto negotio salutis.

III. Verbum Dei salutem nostram operatur, quatenus firmum testimonium præbet veritati illi, quæ sapientes reddit simplices homines ad salutem, ibid. 2 Tim. 3. 15. Joh. 5. 39.

*Ratio* 1. Quia fidei illius quæ fiduciam salutarem parit, objectum proprium est veritas testimonio divino confirmata, de iis quæ pertinent ad salutem consequendam. 2. Quia ista veritas ita confirmata, facit ut homines alias ignari & errantes, tanquam pecus quæ perit, intelligant & eligant veram viam salutis. 3. Quia ita revelata est ista veritas, ut non tantum doctis & ingeniosis prodesse possit, sed etiam rudibus.

*Usus informationis, & exhortationis*, ut ab istoc testimonio in omnibus pendeamus toti, tanquam maxime firmo, Johan. 21. 24.

IV. Veritas illa quam verbum Dei ostendit, rectitudine sua, synceram ac solidam lætitiam animis fidelium adfert ex v. 9.

*Ratio* 1. Quia ignorantiæ tenebræ sua natura perturbationem creantes luce hac sola discutiuntur. 2. Quia verbi solius ope certa illa beatitudinis via invenitur quæ ab omnibus quæritur: summa autem lætitia est in illius boni inventione, quod quis magno studio quærit.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus illos, qui homines pios omni lætitia & voluptate destitutos esse putant. 2. *Exhortationis*, ut in statutis Dei nosipsos oblectemus, Psalm. 119. 16, 24, 35, 47, 54, 77, 92, 103, 162, 174.

V. Rectitudo illa quæ in verbo præcipitur, tam puram habet naturam, ut vel homines cœcos reddat videntes, ibidem, Psalm. 119. 140.

*Ratio* 1. Quia lux est spiritualis, Psalm. 119. 105. 2. Quia spiritum habet comitantem, ad oculos nostros aperiendos, Psalm. 119. 18.

*Usus Exhortationis*, ut ex verbo Dei petamus collyrium ad oculos mentis nostræ curandos, Apoc. 3. 18.

Purus ille modus Deum colendi in scripturis traditur, qui consistet in æternum, ex vers. 10. Psalm. 119, 89.

*Ratio* 1. Quia nihil humanum aut mundanum, quod abolendum est, admittit, 1 Cor. 3. 15. 2. Quia ducit ad fœlicitatem æternam, Psalm. 119, 111, 144.

*Uſus Exhortationis*, ut ad finem uſque verbo Dei adhæreamus, Pſalm. 119. 44.

VII. Promiſſiones & comminationes, quibus verbum Dei ſancitur, veritate & juſtitia excellunt, ibidem, Pſalm. 119. 86, 160.

*Ratio* 1. Quia Deus eſt veritas, cujus authoritate firmantur. Quia ita adminiſtrantur, ut proportionem certam & juſtam habeant ad vias humanas.

*Uſus admonitionis*, ne aliud quidquam expectemus quam quod in iſtis continetur: ſed ex illis toti pendeamus.

VIII. Perfectio verbi Dei illum in finem eſt contemplanda, ut à nobis maximo deſiderio expetatur ex v. 11. 1 Pet. 2. 1, 2,

*Ratio* 1. Quia hæc eſt natura boni, ut alliciat appetitum eorum quibus eſt bonum, bonum eſt quod omnia appetunt. 2. Quia eo nomine commendatur verbum Dei, non ut Deo poſſit placere, ſed nobis. 3. Quia non efficaciter cuiquam prodeſt, niſi ſitienti & appetenti.

*Uſus* 1. *Informationis*, ut intelligamus Theologiam totam non eſſe ſpeculativam, ſed practicam.

2. *Admonitionis*, ne in ulla cognitione verbi Dei acquieſcamus niſi corda noſtra ejus deſiderio ſimul accendantur.

IX. Deſiderandum eſt verbum Dei, ut utilitate, & ſuavitate omnes res mundanas excellens, ex v. 11. Prov. 3. 14. & 8. 11. 19. Pſalm. 119. 72, 127, 103. Job 28. 15.

*Ratio* 1. Quia utile eſt ad omnia, promiſſionem afferens vitæ præſentis ac futuræ, 1 Tim. 4. 8. 2. Quia intime, ſpiritualiter, ſolide, & conſtanter delectat. 3. Quia niſi omnibus rebus mundanis præferatur, non recipitur cum ullo fructu, Matth. 10. 37. & 13. 44. 46. 4. Quia mundana omnia quatenus ſunt neceſſaria ſimul etiam aſſequemur, ſi verbum rite quæramus, Matth. 6. 33.

*Uſus* 1. *Inſtitutionis*, ad examen inſtituendum de æſtimatione illa, quam habemus de verbo Dei, & affectu quo illud proſequimur. 2. *Exhortationis*, ut omnia mundana verbo Dei poſthabeamus.

X. Emolumentum magnum ex verbo redundat, ſed non percipitur niſi per ejus obſervationem, v. 12. Ideo Pſ. 119. v. 1, 2. *Beati*, inquit, *integri via, qui ambulant in lege Iehovæ: Beati cuſtodientes teſtimonia ejus*, ex toto animo quærentes eum, & v. 14. *De via teſtimoniorum tuorum gaudeo, & ſuperiorum omnibus opibus, &c.* & v. 56, 57. *Hæc conſolatio eſt mihi, me mandata tua cuſtodire. Portio mea es Jehova, dico; ut obſervem verba tua.* Et Dominus noſter Joh. 13. 17. *Si hæc noveritis, beati eritis ſi ea feceritis.*

*Ratio* 1. Quia nobis non poteſt prodeſſe, niſi per obſervationem nobis applicetur & inſeratur, Jac. 1. 21. 2. Quia verbum eſt pactum aut fœdus Dei, quo merces aut fructus noſtro obſequio ex benignitate Dei addicitur.

*Uſus* 1. *Exhortationis*, ut verbum ſemper nobis proponamus tanquam rem obſervandam. 2. *Conſolationis* erga pios, quia operam in pietate nequaquam ludunt, ſed amplam mercedem conſequentur.

XI. De iſtis rebus nemo ſerio diſſerere, aut recte judicare poteſt, niſi qui ſuo proprio experimento eas habet aliquo modo perceptas, ex v. 12.

*Ratio* 1. Quia non recte percipitur vis verbi, nisi operatio ejus in corde sentiatur. 2. Quia sine hac experientia, omnis cogitatio & sermo de verbo Dei destituitur affectu, atque adeo languet.

*Usus admonitionis*, ut nosmetipsos à verbo doceri primo curemus, & postea alios doceamus, Rom. 2. 21.

XII. Religiosa consideratio gloriæ Dei, & perfectionis verbi ipsius, deducit hominem ad seriam agnitionem suorum peccatorum, ex v. 13. prout à præcedentibus dependet. Hinc Deus Jobo respondens, Job 40. 4. *An Brachium ut Dei fortis, est tibi? & voce ut ipse intonabis?*

*Ratio* 1. Quia ex comparatione viarum nostrarum, cum iis quæ gloria Dei & perfectio legis requirit, defectuum nostrorum & qualitas & quantitas statim apparet. 2. Quia humilitas & synceritas illa, quæ in confessione peccatorum postulatur, ex contemplatione gloriæ Dei, & perfectionis verbi emanat.

*Usus Institutionis*, ut isthinc dignoscamus, utrum gloriam Dei & perfectionem verbi ejus recte & religiose percipimus necne.

XIII. Pluribus peccatis implicamur, quam ut illa omnia scire possimus, nedum enumerare, ex v. 13. in principio, ubi delictorum suorum multitudine obrui sese fatetur David, Psal. 38. 5. *Iniquitates meæ transcendunt caput meum; ut onus grave, graviores sunt quam perferre queam,* & 40. 13. *Circumdantia invadunt me mala innumerabilia: assequuntur me iniquitates meæ; adeo ut nequeam dispicere, numerosiores sunt capillis capitis mei.* Inter vanitates & afflictiones spiritus numeratur: Eccles. 1. 15. *Defectuum non posse in numerum venire.*

*Ratio* 1. Quia transgressores sumus singularum partium legis, lex autem perfectior est, quam ut à nobis intelligatur. 2. Quia in omnibus quæ agimus, dicimus, cogitamus, adest semper peccati inquinatio: hæc autem nos non possumus numerare. 3. Quia stupore magno laboramus, quo fit ut sæpe non attendamus ad illa quæ sunt manifesta.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus hypocrisin illam qua dementantur Papistæ, dum omnia sua peccata enumerare sese putant, in confessione illa, quam auricularem appellant. 2. *Institutionis*, ut humiliemus nosmetipsos coram Deo, non tantum ratione peccatorum illorum quorum nobismet conscii sumus, sed etiam respectu occultorum, & eorum etiam condonationem suppliciter à Deo precemur.

XIV. Non tantum pro impetranda venia peccatorum præteritorum orare debemus, sed etiam pro Dei ope ac virtute communicanda, quo peccati dominium in posterum prohibeatur, ex v. 14. oratione Dominica, 1 Pet. 5. 6.

*Ratio* 1. Quia serio non petitur venia, nisi ipsa peccata odio prosequamur, atque adeo à nobis velimus amoveri. 2. Quia veniam à Deo petere, quum eum insuper offendere non curamus, nihil aliud est quam Deum irridere. 3. Quia tanta est proclivitas nostra ad peccandum, ut, nisi Deus nos custodiat & retrahat, præcipites in omnes transgressiones feramur.

*Usus* 1. *Condemnationis*, adversus eos, qui disjungunt hæc duo a Deo conjuncta: remissionem suorum peccatorum aliquando suo modo petunt, sed ut ab iis sanctificentur & con-

conſerventur non quærunt. 2.*Exhortationis*, ut pari cura ſanctificationi ac juſtificationi noſtræ ſtudeamus.

XV. Quamvis immunes eſſe non poſſimus ab omni peccato, apertis tamen ſceleribus & contumaciis ſervi Dei non mancipantur, ex v. 14.

*Ratio* 1.Quia liberantur fideles à dominio peccati, Ro. 6. 2.Quia talia flagitia non conſiſtunt cum timore Dei.

*Uſus Condemnationis*, adverſus eos, qui in iſtiuſmodi peccatis vivunt; & eo etiam nomine ſeſe excuſant, quod omnes homines peccant.

XVI. Iſtæ petitiones de remiſſione peccatorum, & ab iiſdem conſervatione, ſunt etiam atque etiam vehementer urgendæ, & inculcandæ, ex v. 15.

## PSALMUS VIGESIMUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ, Pſalmus Davidis.*

2. *Exaudiat te Iehova tempore anguſtiæ; te in edito collocet nomen Dei Iahakobi.*

3. *Mittat auxilium tuum è ſancto & è Tzijone fulciat te.*

4. *Oderetur omnia munera tua, & holocauſtum tuum in cinerem redigat; ut quum maxime.*

5. *Det tibi ex animo tuo & totum tuum conſilium impleat.*

6. *Canamus de ſalute tua, & in nomine Dei noſtri vexillis utamur: impleat Jehova omnes petitiones tuas.*

7. *Jam agnoſco Jehovam ſervare unctum ſuum, exaudire eum de cœlis ſanctitatis ſuæ; ex ſumma fortitudine ſalute dexteræ ſuæ.*

8. *Hi curruum, & illi equorum; nos verò nominis Jehovæ Dei noſtri recordamur.*

9. *Illi incurvant ſe & cadunt: nos vero ſurgimus & conſiſtimus.*

10. *Jehova ſerva; rex ipſe exaudiat nos quo tempore invocabimus.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo continetur precatio à Davide dictata, ut à populo uſurpetur, pro ſalute regis in bellum proficiſcentis.

Scopus precationis hujus eſt, ut Deus velit regem, & in ipſo totum populum conſervare ac proſperare.

Petitio iſta duplici forma proponitur: Primo enim ad Davidis perſonam dirigitur, per formam acclamationis, ut certior ipſe fiat, quid populus à Deo illius nomine optabat & vovebat *exaudiat te Iehova* &c. ad v. 10. & poſtea ad Deum ipſum dirigitur ad modum ſolitum ſimplicis precationis v. 10. *Iehova ſerva.*

In acclamatione generaliter primo proponitur petitio, v. 2. *exaudiat te Jehova tempore anguſtiæ*, & res ipſa quæ petitur duplici ſimilitudine exornatur, ibid. nam & ipſam ſalutem exoptatam illuſtrat Propheta, ſimilitudine editi loci vel arcis excelſæ, aut propugnaculi muniti: *te in edito collocet*: & modum ipſum ſalutem iſtam conferendi illuſtrat etiam & confirmat à ſimili exemplo protectionis Dei erga Jacobum, *nomen dei Iacobi.*

Secundo eadem petitio repetitur

v. 3. & simul etiam explicatur & urgetur á circumstantia loci, unde expectabatur ejus auditio, *è sancto*, *& è Tzione*.

Tertio in loco, testificatio vel demonstratio hujus benignitatis præstandæ petitur v. 4. ubi duo signa specialia ponuntur ad generalem illam testificationem, quæ petitur, illustrandam. *Odoretur omnia munera tua, & holocaustum tuum in cinerem redigat*.

Post generalem istam aut implicitam petitionem, expressa ejus explicatio proponitur, v. 5.

Petitio hunc in modum proposita unico argumento suadetur, quod petitur ab effecto consequuturo, celebratione scilicet nominis Dei propter istas preces auditas, & regem cum populo conservatum, v. 6. ubi celebrandi modus indicatur & communis, qui in cantu consistit, & proprius militum de victoria triumphantium, qui est in vexillis cum magnificentia quadam erigendis & explicandis.

Prioris modi, id est, cantici vel prædicationis gloriosæ exemplum proponitur v. 7, 8, 9. ubi. 1. Salutis præstitæ tota laus tribuitur Deo & de illa triumphatur, v. 7. 2. Triumphatur etiam de fiducia in Deo solo collocata, cujus rei illustratio petitur à dissimili, fiducia impiorum v. 8. & harum etiam fiduciarum dissimili successu, v. 9.

Ad Deum simpliciter dirigitur petitio v. 10. ubi breviter etiam explicatur, salutem scil. ita regi optari, ut per ipsum in populum totum derivetur.

QUÆSTIONES.

I. Quare invocatur Deus in hoc Psalmo sub nomine Dei Jacobi? vers. 2.

*Resp.* 1. Quia Jacobus olim in iisdem fuit angustiis ratione Esawi, quibus David jam premebatur à suis hostibus, Genes. 32. 6, 7. 2. Quia petitio illa quæ hic usurpatur, exprimitur verbis Jacobi, Gen. 35. 3. *exaudit me in die angustiæ meæ*. 3. Quia Iacob suis precibus ita luctatus est, ut prævaluerit apud Deum Hos. 12. v. 5. 4. Quia Deus Jacobi idem sonat, quod Deus Israelis.

II. Quare petitur auxilium è sancto, & è Tzione? v. 3.

*Resp.* 1, Quia in sanctuario illustris fuit repræsentatio præsentiæ Dei, ita ut insidere diceretur Cherubinis in Sancto sanctorum 1 Reg. 8. 13. Psal. 80. 2. 2. Quia preces tum temporis dirigebantur versus illum locum, 1 Reg. 8. 30, &c. Dan. 6. 11. 3. Quia sanctuarium fuit typus cœli, v. 7. 4. Quia hac ratione Deus verus ab idolis distinguebatur. 5. Quia fœderis Dei erga populum Israëlis sacramentum fuit in isto sanctuario, 1 Reg. 8. 21. atque adeo precum audiendarum pignus.

III. Quorsum petitur ut holocaustum regis in cinerem redigatur? v. 4.

*Resp.* Quia ignis cœlitus remissus ad consumendum holocaustum fuit extraordinarium signum acceptationis & approbationis divinæ, Lev. 9. 24. 1 Reg. 18. 24, 38.

DOCUMENTA.

I. Piorum omnium officium est, & pro semetipsis Deum precari, & pro aliis; atque etiam aliorum preces pro se habitas magni æstimare

mare, ex verſ. 2. Rom. 15. 30.

*Ratio* 1. Quia fides ac fiduciæ vis & vita maxime apparet in ſtudio precum. 2. Quia quo plures fideles ſint, qui in precibus conveniunt, eo plus eſt interpellationis Spiritus ſancti. 3. Quia plus etiam gloriæ tribuitur Deo, 2 Cor. 1. 11.

*Uſus increpationis*, adverſus frigiditatem hominum in omni parte hujus curæ.

II. In precibus fiduciam colligere debemus ex nomine Dei, prout ſemetipſum nobis patefecit, ibid.

*Ratio* Quia illum in finem nomen Dei Eccleſiæ eſt patefactum.

*Uſus directionis*, in precibus noſtris inſtituendis.

III. Reſponſum Dei ad preces noſtras expectare debemus ex vi fœderis Dei v. 3.

*Ratio*. Quia promiſſiones omnes Dei in fœdere continentur.

*Uſus Exhortationis*, ut de fœdere Dei perpetuo meditemur.

IV. Magni facere debemus illa ſigna quibus Deus oſtendit ſe preces noſtras acceptas habere, v. 4.

*Ratio*. Quia teſtimonium continent gratiæ ac benignitatis divinæ, ſecundum noſtra vota.

*Uſus admonitionis*, ut hujuſmodi ſignis invigilemus.

V. Ita debemus de beneficiis Dei gaudere, ut noſmetipſos ædificemus in fiducia erga Deum, v. 6, 7, 8.

*Ratio*. Quia ſic vera gloria Deo tribuitur: & beneficia ejus corporalia convertuntur aliquo modo in ſpiritualia.

*Uſus Inſtitutionis*, ut omnem noſtram lætitiam iſtuc dirigamus.

## PSALMUS VIGESIMUSPRIMUS.

*Magiſtro ſymphoniæ, Pſalmus Davidis.*

2. *Jehova de robore tuo lætatur rex; & de ſalute tua quam exſultat valde!*

3. *Deſiderium animi ejus das ei, pronunciatum labiorum ejus non avertens, maxime.*

4. *Quin prævenis eum benedictionibus boni, imponis capiti ejus coronam auri purgatiſſimi.*

5. *Vitam petiit abs te, dediſti ei; etiam longitudinem dierum in ſeculum & ſempiternum.*

6. *Magna eſt gloria ejus per ſalutem tuam; decus & majeſtatem poſuiſti in eo.*

7. *Nam diſpoſuiſti illi benedictiones in ſempiternum, exhilaraviſti eum lætitia à facie tua.*

8. *Quoniam ipſe rex confidit Jehovæ, ideò fretus benignitate excelſi non dimovebitur.*

9. *Aſſequêris manu tua omnes inimicos tuos, dextera tua aſſequêris oſores tuos.*

10. *Diſponis eos, ut fornacem ignis tempore faciei iratæ tuæ; Iehova ira ſua abſorbet eos, quaſi conſumat eos ignis.*

11. *Fructum eorum è terra perdis, & ſemen eorum è filiis hominum:*

12. *Quoniam intenderunt tibi malum; commenti ſunt cogitationem, non poſſunt perficere.*

13. *Nam ponis eos* velut *tumulum*; *nervis tuas aptatas* sagittas *jacularis contra faciem eorum.*

14. *Exaltare Iehova robore tuo*; *cantabimus & psallemus fortitudinem tuam.*

## ANALYSIS.

PSalmus iste, ut antecedens, est populi nomine conscriptus. Scopus ejus est, celebrare nomen Dei propter salutem illam regi concessam, quam precibus ipsi voverant Psalmo priore.

Celebratio ipsa duplici forma explicatur. 1. Per professionem affectus illius, quo Rex ipse cum piis omnibus in præsentia Deum laudabant. 2. Per professionem voti quod in futurum conceperant de Deo laudando, v. 14.

Præsens affectus fuit lætitia & exultatio, id est, gaudium summum, v. 2. quod declaratur & exornatur per objectum ejus proximum, *salute tua*, & per ejus causam efficientem, quæ etiam objecti rationem subit in isthoc gaudio, *de robore tuo*.

Votum in futurum fuit partim in optatione, ut Dei gloria magis magisque fiat manifesta, *exaltare Iehova robore tuo:* & partim in promissione ejusdem gloriæ omni conatu promovendæ: *cantabimus, & psallemus fortitudinem tuam.*

Celebrationis hujus objectum & ratio explicatur, 1. Per bonitatem illam quam Deus exercuerat erga regem in sese. 2. Per illius bonitatis medium, in hostibus ejus perdendis v. 9 & sequentibus ad 14.

Bonitatis divinæ explicatio duobus gradibus demonstratur. 1. Quod concessit regi omnia bona quæ petiit, v. 3. 2. Quod illis etiam eum cumulavit, quæ non petiit, v. 4. *quin prævenis eum benedictionibus boni.*

Posterioris hujus generis bona specialium inductione indicantur. Quæ sunt 1. Accessio imperii v. 4. 2. Vitæ immortalitas, v. 5. 3. Summa gloria & majestas, v. 6.

Gloriæ hujus ratio & causa redditur à copiosa illa benedictione, quam Deus in regem effuderat, ita ut ipse sit aliis benedictio in sempiternum, ubi etiam ejusdem benedictionis & gloriæ effectum notatur, incredibilis nempe lætitia regis ex favoris Dei apprehensione. *Exhilaravisti eum lætitia à facie tua.* Tum totius hujus bonitatis duratio & constantia arguitur à causa ejus administrante, fiducia scil. regis in Deo firmiter collocata.

Hactenus de bonitate exercita erga regem in sese, sequitur hostium ejus perditio, quæ describitur, & æquissima fuisse demonstratur. Describitur, 1. Ab efficiente causa, manu dextra vel potentia Dei, v. 9. 2. A certitudine eius, *invenies* vel *assequeris*, ibidem. 3. A facili & plena executione, quæ similitudine illustratur, v. 10. 4. Ab ejusdem universalitate, quod etiam ad posteros extendetur, v. 11. 5. Ab ejus ordinata procuratione ex destinato consilio & certa providentia, quæ similitudine illustratur, v. 13.

Æquitas autem totius hujus judicii ex eo ostenditur, quod tam impii fuerunt isti homines, ut Deum ipsum odio sint prosequuti, & cum ipso bellum gesserint, v. 9, & 12.

Docu-

DOCUMENTA.

1. In Deo laudando de ejus beneficiis æque diligentes esse debemus atque in iisdem petendis, ex connexione hujus Psalmi cum præcedente, Psal. 50. 15.

*Ratio* 1. Quia beneficia sunt eadem accepta & accipienda. 2. Quia Dei honor magis directe respicitur in gratiarum actione, quam in petitione; petimus enim nobis à Deo: sed gratias agimus Deo pro nobis. 3. Quia synceritas petitionis apparet in gratiarum actione, & sine illa consistere non potest.

*Usus increpationis*, adversus eos, qui multa petunt, ex amore semetipsorum, sed non revertuntur ad gratias agendas, Luc. 17. 17, 18.

II. Laudatio Dei consistit in eo, ut gaudeamus in Domino, optemus ipsi omnem gloriam, eamque promovere sedulo studeamus, ex v. 2. & 14.

*Ratio* 1. Quia nihil ultra facere possumus, quod aliquo modo cedat in Dei bonum. 2. Quia in istis maxime exercetur charitas erga Deum. 3. Quia synceritas & integritas cordis erga Deum in istis consistit.

*Usus admonitionis*, ne satis habeamus verbis Deum laudare.

III. Laudandus est Deus, de desideriis nostris impletis, ex v. 3.

*Ratio*. Quia cum fieri non potest, quin desiderium impletum adferat nobis gaudium, nisi gaudium illud ad Deum referatur; Deus non agnoscitur in toto illo negotio.

*Usus* 1. *Increpationis*, adversus eos, qui gaudio aut lætitia exultant cum votorum compotes fiunt, sed non in Domino. 2. *Admonitionis*, ut caveamus nobismet ipsis, ne quidquam desideremus, de quo Deum laudare non possumus.

IV. Laudandus etiam est Deus & in genere, & in specie, de iis bonis, quæ nunquam ab ipso petivimus, ex v. 4.

*Ratio* 1. Quia non minora sunt beneficia quam reliqua, sed aliquo modo majora. 2. Quia ista beneficia non recipiuntur per fidem ex manu Dei, antequam ipsum de iis laudamus.

*Usus Increpationis*, adversus egestatem & sterilitatem nostram in Deo laudando.

V. Laudare Deum debemus non tantum de bonis illis quibus nos beat, sed etiam de conservatione à malis, & malorum authoribus repressis, ex v. 9, 10. &c.

*Rat*. Quia amovere illud, quod nocet, est perfectissima ratio juvandi.

*Usus Admonitionis*, ne oblivioni ista tradamus.

## PSALMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

M*Agistro symphoniæ ad primam auroram, Psalmus Davidis.*
2. Deus *fortis, mi* Deus *fortis, quare dereliquisti me; longinquus à salute mea, à verbis rugitus mei?*
3. *Deus mi,* quare *invocantem me interdiu non exaudis? & noctu* invocanti *non est silentium mihi?*
4. *Atqui sanctus es, permanens, perfecta laus Israelis:*
5. *Tibi confisi sunt Majores nostri: confisi sunt; & liberasti eos.*
6. *Ad te clamaverunt, & erepti sunt; tibi confisi sunt, nec puduit eos.*

7. *At ego* sum *vermis, ac non vir; opprobrium hominum, & contemptus populi.*
8. *Omnes videntes me subsannant me; diducunt labium, movent caput.*
9. *Devolvit se ad Iehovam,* (inquiunt) *liberet eum: eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.*
10. *Cum tu* sis, *qui eduxisti me ex utero: faciens ut securus agerem ad ubera matris meæ;*
11. *In te rejectus sim ex vulva, inde ab utero matris meæ* Deus *fortis meus sis.*
12. *Ne procul absis à me, dum angustia propinqua est, dum nemo est adjutor.*
13. *Circumdant me juvenci multi; robusti* juvenci *Baschanis cingunt me.*
14. *Dilatant contra me os suum,* tanquam *leo rapiens & rugiens.*
15. *Sicut aqua effundor & disparant se omnia ossa mea: est cor meum simile ceræ, liquefit in visceribus meis.*
16. *Arescit ut testa vis mea, & lingua mea adhæret faucibus meis; & in pulvere lethali collocas me.*
17. *Nam circumdederunt me canes, cœtus maleficorum circumvenerunt me; foderunt manus meas & pedes meos.*
18. *Enumerare possem omnia ossa mea; ipsi intuentur, respiciunt in me.*
19. *Partiuntur vestimenta mea inter se, & pro indumento meo projiciunt sortem.*
20. *Tu ergo Iehova, ne procul absis: virtus mea, ad auxilium meum festina.*
21. *Eripe à gladio animam meam, à cane unicam meam.*
22. *Serva me ab ore leonis; & à cornibus; inimicorum, exaudiens me.*
23. *Enarrabo nomen tuum fratribus meis; in media congregatione laudabo te:*
24. Dicens, *timentes Iehovæ laudate eum, totum semen Iahakobi honorate eum: & timete ab eo totum semen Israëlis.*
25. *Quia non spernit, neque abominatur afflictionem afflicti, neque abscondit faciem suam ab eo; sed quum vociferatur ad ipsum, exaudit.*
26. De bonis obviaturis à te futura est *laus mea in congregatione multa: vota mea persolvam coram reverentibus eum.*
27. *Comedent mansueti, & saturabuntur; laudabunt Iehovam quærentes eum: vivet animus vester in sempiternum.*
28. *Recordabuntur & convertentur ad Iehovam omnes fines terræ; & incurvabunt se coram te* honorem exhibentes *omnes familiæ gentium.*
29. *Quoniam Iehovæ* est *regnum ipsum, & dominium habet in gentes.*
30. *Comedentes incurvabunt sese omnes pingues terræ, coram eo procumbent quicunque descendunt in pulverem;* qui *animam suam in vita non conservaverit.*
31. Horum *semen colet eum, accensebitur Domino in quaque ætate.*
31. *Advenientes annunciabunt justitiam ejus populo nascituro, ipsum exercere* eam.

ANA-

## ANALYSIS.

HUjus Pſalmi ſubjectum nihil aliud eſt quam petitio Deo exhibita à Davide, perſonam Chriſti ſuſtinente. Scopus petitionis inſtitutæ eſt, ne in illis anguſtiis quibus premebatur, deſereretur à Deo, ſed tempeſtive liberaretur & ſalvaretur, v. 2, 12, 20, 21, 22.

Argumenta ad ſuaſionem propoſitæ petitionis allata, tria ſunt. *Primum* petitur à cauſa liberationis flagitatæ, quod ſcilicet ex fiducia nomen Dei invocabat, opem ejus implorans, v. 3. ad 7.

*Secundum* petitur à neceſſitate urgente ejuſdem liberationis maturationem, quia ſcilicet in extrema miſeria verſabatur, v. 7. ad 23.

*Tertium* petitur ab liberationis jam conceſſæ effecto & fructu, profeſſione ſcilicet gratiſſimæ voluntatis, & nominis Dei glorioſa celebratione.

1. Fiducialis Dei invocatio, 1. Amplificatur ab adjuncta ejus vehementi inſtantia, & fervore, qui declaratur, 1. Per geminationem verborum in Dei nomine invocando, *mi Deus fortis, Deus mi, Deus mi*. v. 2. & 3. 2. A comparatione clamoris ſui cum rugitu leonis, ver. 2. in fine. 3. A circumſtantia temporis, *die & nocte*, v. 3. 4. Ab adjuncta querela irriti in clamando ſucceſſus, v. 2. & 3.

2. Conſequentia hujus argumenti, ab invocatione fideli, ad liberationem, declaratur. 1. A fœdere Dei 4. *tu ſanctus es habitator laudum Iſraelis*. 2. Ab exemplis paribus, v. 5. & 6.

2. Miſeriæ ſuæ extremitatem declarat per partes quæ ſunt, 1. Opprobria & ludibria. 2. Paſſiones apprehenſionis & condemnationis. 3. Paſſiones crucifixionis, & ex illa ortæ.

Opprobria ſunt. 1. In contemptu & viliſſima æſtimatione. v. 7. 2. In ludibriis & ſannis tam voce quam geſtu expreſſis. v. 8. 3. In exprobratione fiduciæ quam habuit in Deo, v. 9. cujus exprobrationis refutatio, & fiduciæ confirmatio ſubjicitur ab experientia antegreſſa petita, v. 10. & 11.

Apprehenſio & Condemnatio deſcribitur ab efficientibus cauſis, & earum adjunctis: comparantur enim multitudine & viribus cum juvencis ac tauris Baſchanis, v. 13. & truculentia ac feritate cum leone rapiente & lugente, v. 14.

Crucifixio ipſa deſcribitur, v. 17. & 19. calamitates inde conſequentes declarantur, v. 15, 16, 18.

3. Profeſſio nomen Dei celebrandi & illuſtrandi declaratur. 1. A proprio ejus objecto, quod hoc facturus ſit apud electos fideles & pios, v. 23, 24, 26. 2. A circumſtantia loci, *in media congregatione*, v. 23. & 26. 3. A modo celebrandi, qui conſiſtit in cohortatione ad Deum laudandum, cujus rationes duæ ſunt. 1. Quod Deus liberat ſuos ab omni malo, cum opem ejus implorant, v. 25. 2. Quod eos etiam omnibus bonis donat. ver. 27.

Declaratur 2. Eadem celebratio per extenſionem aut latitudinem, quam haberet in effecto ſuo, quod pertingeret ſcilicet ad omnium gentium converſionem, v. 28. cujus rei

cauſa

causa & ratio redditur, v. 29. Ipsæque gentes convertendæ per distributionem amplificantur, v.30. & 31. & conversionis effectum declaratur. v. 32.

QUÆSTIONES.

I. De quo intelligendus est iste Psalmus?

*Resp.* De Christo necessario intelligendum esse evincit. 1. Novi Testamenti authoritas, ubi partes quædam ejus de Christo explicantur expresse. Mat. 27. 35. Ioh. 19. 24. vers. 19. Heb. 2. 12. vers. 23, 2. Historia Christi, ubi alias partes hujus Psalmi ab ipso Christo sibimet applicatas legimus. Mat 28. 46. v. 2. & alias ab hostibus Christi usurpatas. Matth. 28. 43. 3. Res ipsæ in Psalmo contentæ, quæ ad Davidem nullo modo possunt, ut sonant, accommodari, sed aptissime ad Christum, ut illud de crucifixone, v. 17.

Non ita tamen spectat ad Christum, quin David etiam, ut typus Christi, suas partes in eos habeat, quod enim dicitur, v.3. de precibus diu continuatis sine responso, de fœdere inito cum Israële, v.4. de exemplo majorum, v. 5. de eductione ex utero, & educatione paterna, v. 10. & 11. non tam proprie & apte videntur Christo convenire atque Davidi.

*Object.* Series sermonis postulat, ut si una aliqua particula hujus Psalmi Davidi tanquam typo accommodetur, reliquæ omnes eidem accommodentur, quod veritas historiæ non patitur.

*Sol.* Nihil est in Psalmo quin metaphorice per proportionem quandam possit Davidi accommodari; sed solemne hoc est, quum in typo aliquid significatur, & de utroque simul verba habentur; ut quædam dicantur, quæ proprie & plene vel soli typo, vel soli rei significatæ conveniant, quamvis omnia aliquo modo utrique possint accommodari.

II. Quare dicitur hic Psalmus in titulo factus ad primam auroram, aut ad virtutem auroræ?

*Resp.* Probabilis admodum est sententia Iunii, Psalmum istum traditum fuisse ut singulo quoque mane in templo caneretur, sicut vespere cantare solebant, Psalmum 136. sicut colligitur ex 1 Chro. 16.41.

III. Quomodo fuit Christus à Deo desertus?

*Resp.* 1. Non intelligitur desertio absoluta & ad actum completum perducta, sed aliquo modo inchoata. 2. Non intelligitur desertio realis, sed quoad sensum & apprehensionem. 3. Non abfuit apprehensio fiduciæ, sicut apparet in titulo Deo tributo, *mi Deus fortis, mi Deus fortis, Deus mi:* sed sensus illius consolationis quæ ex hac fiducia solet oriri. 4. Querela ista sic est intelligenda, ac si disertis verbis à Deo contendisset ne desereretur ab eo. Psal. 10. 1. & 42. 10. & 43. 2.

IV. Quo sensu dicitur Deus sanctus habitator laudum Israëlis? ver. 4.

*Resp.* Habitator dicitur laudum per metonymiam adjuncti, quia habitator fuit sanctuarii, in quo ita se Israëlitis ex fœdere inito manifestabat, ut materiam semper habuerint nomen ejus laudandi, & de salute ipsius gloriandi; sic Deut. 10. 21. Ierem. 17. 14. Sanctus autem dicitur, quia nihil est in ipso ullis deficientiæ aut imperfectionis sordibus inquinatum.

Do-

DOCUMENTA.

I. Dilectiſſimi Dei filii privantur aliquando ſenſu favoris ejus, ex verſ. 2.

*Ratio.* In Chriſto hoc factum eſt in pœnam peccatorum noſtrorum, Jeſ. 53.10. In aliis fit partim in caſtigationem, partim in explorationem aut probationem fidei.

*Uſus* 1. *admonitionis*, Ne ſecus æſtimemus eos qui hunc in modum deſeruntur. Jeſ. 53 4. 2. Ne ex ſenſu ſed ex fide vivamus.

II. Senſus iſte favoris Dei inſtanter eſt quærendus ibidem.

*Ratio.* Quia magna pars communionis noſtræ cum Deo, atque adeo beatitudinis noſtræ in eo conſiſtit, Rom. 5. 5.

*Vſus* 1. *Increpationis*, adverſus eos qui ſecure pergunt, eodem modo animati, ſive ſentiant, ſive non ſentiant Dei erga ſe favorem.

III. Senſus iſte maxime percipi ſolet in orationis exercitio, v. 3.

*Ratio* 1. Quia in oratione cor hominis erga Deum directe movetur & elevatur, ita ut vel gratioſe detur acceſſus, vel ex ira repulſam ferat.

*Vſus inſtitutionis*, ut in precibus noſtris diligenter obſervemus cordium noſtrorum ſenſum.

IV. In defectu hujus ſenſus invocatio Dei non eſt intermittenda, ſed ex ipſa invocatione fides eſt ſublevanda, ibidem.

*Ratio* 1. Quia idcirco abſcondit ſeſe Deus ad tempus, ut diligentius quæratur, Hoſ. 5. 15.

*Uſus increpationis*, adverſus eos qui facile animum deſpondent, & à precibus deſiſtunt, Luc. 18. 1. &c.

V. In hac invocatione ſuſtentanda eſt fides, præcipue fœderis Dei recordatione, v. 4.

*Ratio* 1. Quia in fœdere tota benignitas & fidelitas Dei nobis explicatur & confirmatur.

*Vſus inſtitutionis*, ut ſemper ob oculos habeamus fœdus iſtud Dei.

VI. Suſtentatur etiam fides exemplis fidelium qui ante vixerunt, & nunquam Deum fruſtra invocarunt, v. 5, 6.

*Ratio* 1. Quia quod de illis ſcriptum eſt, in noſtram conſolationem eſt ſcriptum, Rom. 15. 4. Jac. 5. 17.

*Uſus Admonitionis*, ne hiſtorias fidelium in Scripturis præſertim commemoratas ut res alienas negligamus, ſed tanquam exempla nobis à Deo propoſita intueamur.

VII. Qui maximo in pretio ſunt coram Deo, maxime contemni ſolent in mundo, v. 7. 1 Cor. 4. 9, 10, 13.

*Ratio.* Quia maxime diſcrepantia ſunt judicia Dei & mundi, Luc. 16. 15.

*Uſus admonitionis*, ne mundi contemptum vel novum, vel intolerabile malum eſſe putemus filiis Dei.

VIII. Contemptus iſte ludibriis & opprobriis declaratur, v. 8. Luc. 22. 63.

*Ratio.* Quia in iſtis conſiſtit inſultatio, qua omnis æſtimatio alicui detrahitur.

*Vſus admonitionis*, ut animos noſtros confirmemus adverſus hujuſmodi contumelias.

IX. Nulla eſt magis impia contumelia, aut piorum animos magis penetrans, quam cum ipſa pietas ludificatur, v. 9, Pſalm. 42. 4.

*Ratio.* Quia vitæ principium tangit, & Deum ipſum lædit.

*Uſus condemnationis*, adverſus eos

qui istiusmodi opprobriis pios homines vexant.

X. Quo magis premimur hujusmodi tentationibus, eo magis fiduciam nostram confirmare debemus, & orationes ingeminare, vers. 10. 11, 12.

*Ratio*. Quia hac sola ratione tentationes omnes vincuntur.

*Usus admonitionis*, ne fiduciam nostram & orandi studium in hora tentationis remittamus, sed intendamus.

XI. A contemptu & contumeliis, ad omnia extrema pergunt impii in piorum persecutione, ubi Deus hoc ipsis permittit. v.13.14,&c.

*Ratio*. Crudelitas impiorum, & odium quo lucem prosequuntur.

*Usus admonitionis*, ut ad extrema ferenda nos præparemus.

XII. Preces fidelium in opportuno tempore exaudiuntur. v. 20. & 22. tum enim Deus dicitur festinare ad auxilium, cum in tempore adest.

*Ratio*. Quia tum audiuntur, cum maxime id facit ad gloriam Dei, & fidelium salutem.

*Usus admonitionis*, ne vel ex desperatione, vel ex præcipiti festinatione preces nostras corrumpamus.

XIII. De precibus auditis nomen Dei est celebrandum. vers.23. Psalmo 50.15.

*Ratio*. Quia gratitudinem nostram alia ratione non possumus testari.

*Usus exhortationis*, ut istam animi dispositionem in nobismetipsis perpetuo conservare studeamus.

XIV. Nomen Dei non rite celebratur, nisi alii etiam ad idem faciendum excitentur. v. 24.

*Ratio*. Quia alias gloria Dei non promovetur, sed tegitur. Psa.40.10. 11.

*Usus admonitionis*, ne satis habeamus privatim Deum laudare, sed curemus etiam, quantum in nobis est, ut idem ab aliis fiat, 2 Cor. 1. 11.

XV. In singulis Dei beneficiis privatim huic aut illi fideli concessis, communis materia Deum laudandi omnibus consciis suppeditatur, vers. 25.

*Ratio*. Quia exemplum omnibus proponitur, quo animari possint ad similem gratiam exspectandam.

*Usus Institutionis*, ut proficere discamus ex beneficiis Dei in alios collatis.

XVI. Materia Deum laudandi, fidelibus est instar cibi suavissimi. v.27.

*Ratio* Quia pascit & auget eorum fidem, atque etiam summam delectationem adfert. Joh. 4. 32, 34.

*Usus Exhortationis*, ut & ex isthoc cibo comedamus, ad vitam animarum, sicut est in textu.

XVII. Fructus gratiæ hujus divinæ ad omne genus hominum spectat. v. 28.30.

*Ratio*. Quia Deus est rex & dominus omnium, v. 29.

*Usus Admonitionis*, ne respectum personarum ullum habeamus in communione Sanctorum.

XVIII. Duratio & continuatio hujus fructus, est maxime expetenda, v.31.32.

*Ratio*. Quia ut misericordia Dei manet in æternum, sic etiam gloria ejus debet manere.

*Usus Exhortationis*, ut istam continuationem sedulo quæramus.

PSAL.

## PSALMUS VIGESIMUSTERTIUS.

*Psalmus Davidis : Jehova pastor meus est, non possum egere.*
*2. In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me:*
*3. Animam meam quietam efficit, ducit me per orbitas justitiæ, propter nomen suum.*
*4. Etiam quum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es; virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me.*
*5. Instruis coram me mensam è regione hostium meorum : delibutum reddis unguento caput meum, poculum meum exuberans.*
*6. Nihil nisi bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ: & quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longa erunt tempora.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Psalmi est docere, quam fœlix sit eorum conditio, qui fiduciam suam habent in Deo collocatam; fœlicitas eorum in eo ponitur, quod omnium bonorum affluentia fruentur, idque non ad breve aliquod temporis spacium, sed in perpetuum, v. 1. & 6.

Demonstratur ista fœlicitas. 1. A causa ejus principali, cura nempe & providentia Dei benigna, invigilante ipsis in bonum: & 2. A causa administrante, domo scilicet Dei, id est, sanctis Dei institutis, quibus illa benigna cura significatur & confirmatur, v. 6.

Benigna cura & providencia Dei explicatur & illustratur duplici comparatione. 1. Curæ illius quam pastor bonus habet suarum ovium, v. 1. ad 5. Benignitatis illius quam benevolus & magnificus hospes exercet erga suos convivas. In utraque autem comparatione effectorum proportio per inductionem declaratur. Sub allegoria pastoris declaratur 1. Procuratio omnium necessariorum, ut pabuli, potus, & quietis commodæ, v. 2. quibus directionis & pacis communicatio significatur, v. 3. quæ ab impellente causa amplificatur; ibidem *propter nomen suum*. 2. Securitas & consolatio quæ præstatur adversus omnem periculi metum per eandem directionem v. 4.

Sub allegoria magnifici hospitis declaratur suppeditatio copiosa, non tantum eorum quæ necessarii sunt usus, sed & eorum quæ ad ornatum & splendorem spectant, v. 5.

### DOCUMENTA.

I. Benedicti sunt illi qui fiduciam habent in Iehova, ex v. 1. & 6. Jerem. 17. 7. *Benedictus vir ille qui fiduciam habet in Iehova, & cujus confidentia est Iehova.*

*Ratio.* Quia Deum habent pro se, si autem Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. 31.

*Usus exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos in pretiosa ista fiducia, Jud. 20. *Vos autem dilecti, sanctissimæ vestræ fidei superstruentes vos ipsos, per spiritum sanctum orantes.*

II. Benedictio ista communicatur fidelibus in isthac vita, per benignam illam curam & providentiam

Dei qua invigilat ipsis in bonum ut pastor suis ovibus, ex v. 1.

*Ratio*. Quia fideles sunt tanquam oves, variis periculis obnoxiæ, quæ sibimetpsis prospicere aut consulere nullo modo possint.

*Usus* 1. *Exhortationis*, Ut fidem nostram ædificemus in apprehensione providentiæ Dei nobis invigilantis. 2. Ut omnem viam nostram devolvamus in Jehovam, Psalm. 37. 5. *Devolve super Iehovam viam tuam, & confide in eo; nam ipse efficiet*, 1 Pet. 5. 7. *Omni sollicitudine vestra in eum conjecta: nam illi cura est de vobis.*

III. Talis est cura & providentia Dei erga fideles, ut prospiciat ipsis de omnibus quæ necessaria sunt ad vitam, ex v. 2. & 3. Psalm. 22. 27. *Comedent mansueti & saturabuntur; laudabunt Jehovam quærentes eum.*

*Ratio*. Quia elegit & vocavit ipsos ad vitam.

*Usus Exhortationis*, ut in manus Dei & animas & vitam nostram totam commendemus.

IV. Præstat hoc Deus, cum ducit fideles per orbitas justitiæ, ex v. 3.

*Ratio*. Quia & verbo & spiritu pascit & confirmat eos ut per illas orbitas perveniant ad vitam æternam.

*Usus admonitionis*, ne vitam aliter expectemus, nisi ductum & directionem Dei sequentes.

V. Non propter merita hominum hæc præstat Deus, sed propter nomen suum, ex v. 3. in fine.

*Ratio*. Quia nihil est in homine boni quod non provenit ab ista directione Dei.

*Usus institutionis*, ut omnem gloriam salutis nostræ Deo in solidum tribuamus.

VI. Propter idem nomen suum & per eandem directionem tutos conservat fideles cum in maximis periculis versantur, v. 4. Joh. 10. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.*

*Ratio*. Quia omnem potestatem habet in cœlo & in terra.

*Usus* 1. *Informationis*, quod fideles virtutis Dei præsidio custodiuntur, ut perseverent ad salutem, 1 Pet. 1. 5. *Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo.* 2. *Consolationis*, adversus omne genus terrorum.

VII. Fideles ex benignitate hac Dei non tantum accipiunt necessariam sustentationem & conservationem, sed etiam abundantiam consolationis, vers. 5. 1 Pet. 1. 8. *Exultatis gaudio ineffabili & glorioso.*

*Ratio*. Quia Deus illis delectatur, Apoc. 3. 20.

*Usus exhortationis*, ut in gratia crescendo, copiosam istam consolationem quæramus, 2 Pet. 1. 8. 11.

VIII. Tota hæc benignitas Dei in sanctis ejus institutis nobis exhibetur. v. 6.

*Ratio*. Quia in illis Deus efficacem suam præsentiam Ecclesiæ manifestat.

*Usus admonitionis*, ne (in fraudem animarum nostrarum) separemus ista quæ Deus conjunxit.

## PSALMUS VIGESIMUS QUARTUS.

Davidis Psalmus, *Jehovæ* est *terra & quod implet eam, orbis habitabilis, & habitantes in eo.*

2. *Nam*

2. *Nam ipſe ſuper maria fundavit illam, & ſuper flu nina ſtabilivit illam.*

3. *Quis accenſurus eſt in montem Iehovæ, & quis ſtaturus in loco ſanctitatis ejus ?*

4. *Innocens manibus & purus animo ; qui non effert ad vanitatem animam ſuam, neque jurat ad fraudem ?*

5. Is *reportat benedictionem à Jehova, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.*

6. *Hæc* eſt *generatio requirentium eum ; quærentium faciem tuam*, generatio *Iahakobi ſumme* quærentium.

7. *Attollite portæ capita veſtra, & attollite vos oſtia ſeculi ; ut ingrediatur rex gloriæ.*

8. *Quis* eſt *iſte rex gloriæ ? Iehova robuſtiſſimus & potentiſſimus; Iehova potentiſſimus* bellator.

9. *Attollite portæ capita veſtra, attollite inquam oſtia ſeculi, ut ingrediatur rex gloriæ.*

10. *Quis* eſt *iſte rex gloriæ? Jehova excertium : is* eſt *rex gloriæ ſumme.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt excitare homines ad Deum ipſis appropinquantem digne recipiendum, quod ſub typo templi à Solomone ædificandi & portarum ejus proponitur & concluditur v. 7. & 9.

In iſtum finem argumenta quædam adferuntur, quæ ſuadent Deum ſic eſſe recipiendum : & dignus ille modus qui in hoc officio requiritur diſtincte explicatur.

Argumentum primarium eſt à majeſtate gloriæ recipiendæ, quæ & titulis indicatur, *rex gloriæ*, v. 8. & 10. & dialogiſmo exornatur v. 7, 8, 9, 10. & probatur etiam v. 1. à dominio & poteſtate quam habet Deus in totam terram, cujus dominii ratio redditur ab efficientiâ Dei in terra fundanda & ſtabilienda v. 2.

In iſthoc autem argumento à majeſtate & poteſtate Dei petito, continetur amplificatio favoris Dei erga Eccleſiam, quod dignatus ſit tantæ majeſtatis Deus eligere iſtum cœtum pro populo ac peculio ſuo, Exod. 19. 5. Deut. 10. 14, 15. ita ut una cum majeſtate Dei, ſingularis etiam benignitas & dilectio Dei pro argumento hic proponatur conſideranda.

Tertium etiam argumentum obiter additur v. 5. ab effecto, vel fructu illo, qui redundat ex Chriſto recepto : quod ſcilicet æternam benedictionem conſequentur qui Deum rite recipiunt.

Modum hujus receptionis complectitur Pſalmiſta deſcriptione hominis pii : quæ partim eſt ab adjunctis, integritate nempe vitæ animi, cogitationum & ſermonum v. 4. & partim ab effectis, profeſſione ſcilicet & ſtudio ſanctæ communionis cum Deo colendæ, v. 6. Hic autem modus recipiendi Deum ſuadetur promiſſione beatudinis æternæ v. 3. & 5. ubi talis eſt reciprocatio inter deſcriptionem & perſonas deſcriptas, ut beatitudo perſonis addicta impellat ad pietatis curam, & pietatis cura certam & firmam adferat beatitudinis expectationem.

### QUÆSTIONES.

*Quæſt.* 1. Qua ratione prima verba

verba hujus Psalmi accommodantur ab Apostolo, 1 Cor. 10.26, 28. ad idolotyta edenda & non edenda?

*Resp.* Quia Deus, cujus omnia sunt, concessit nobis usum omnium ciborum, sed ita tamen ut in eorum usu ratio semper habeatur voluntatis & gloriæ Dei, possumus igitur libere iis uti, ut dicitur v. 26. sed sine scandalo dato, ut adjicitur v. 28.

II. Quid est ascendere in montem Jehovæ? v. 3.

*Resp.* Nihil aliud quam reportare benedictionem à Deo v. 3. Quia ex tabernaculo & templo benedicebat populo Deus, ut per sacerdotes, etiam declaravit, Num. 6. 29.

III. Unde est quod fideles, qui quærunt faciem Dei & benedictionem assequuntur, vocantur generatio Jacobi? v. 6.

*Resp.* Quia Jacob singulari modo vidit faciem Dei in Peniele, & singlarem etiam benedictionem accepit Gen. 32. 29, 30.

IV. Quæ nam sunt portæ illæ per quas ingressus dicitur rex gloriæ, v. 7, & 9.

*Resp.* Sub ratione typi, fuerunt portæ templi, 1 Reg. 8. 6, 11. Re ipsa vero, sunt fidelium corda, Jes. 67. 1. 1. 1 Cor. 3. 16, 17. Apoc. 3. 10.

V. Quare dicuntur ostia seculi?

*Resp.* 1. Quia templum fuit exstructum ut esset stata & perpetua habitatio Dei, usque ad adventum Christi, cum tabernaculum antea fuit ambulatorium, & mutabile. 1 Reg. 6, 13. & 9. 3. Psal. 132, 13, 14. 1 Chron. 17. 5. 2. Quia fidelium animæ naturæ sunt æternæ, & communionem æternam habituræ sint cum Deo in gloria.

VI. Quare vocatur Deus, Jehova exercituum? v. 10.

*Resp.* 1. Quia omnes creaturæ pendent ab ejus imperio vers. 1. 1 Reg. 22. 19. 2. Quia vel per istum exercitum creaturarum, vel sine illo, robustissimus & potentissimus est bellator, v. 8.

VII. Quare retinetur hæc vox Hebraica *Tzebaoth*? Rom. 3. 29. Iac. 5. 4.

*Resp.* Quia Judæis erat in usu frequenti, & facile potuit ab aliis intelligi, sicut & *haleluja* retinetur Apoc. 19. 1, 3.

DOCUMENTA.

I. Deus exhibet sese iis quos vocat, ut ipsius præsentia fruantur, ex v. 7. & 9.

*Ratio.* Quia offert ipsis gratiam & salutem.

*Usus Institutionis*, ut magni faciamus vocationem omnem Dei, Heb. 12. 7.

II. Præcipua nostra cura debet esse ut rite nos comparemus ad excipiendum Deum nobis appropinquantem, ex v. 7. & 9. Jes. 55. 6.

*Ratio.* Quia beatitudo nostra consistit in communione illa quam habemus cum Deo in Christo.

*Usus exhortationis*, ut non secure dormitantes expectemus quid Deus efficere velit, sed excitemus nosmetipsos ad apprehendendum Deum, Jes. 64. 11.

III. Gloriam, majestatem & potentiam Dei in istum finem debemus semper in oculis ferre, ex v. 8. & 10.

*Ratio.* Quia hæc maxime facit ad terrendos eos qui Deo adversantur, & consolandos & confirmandos eos qui illum recipiunt pro suo Deo.

*Usus increpationis*, in terrestrem illam animi dispositionem, quæ ad gloriam hanc Dei contemplandam, non sinit nos assurgere.

IV. Gloria

IV. Gloria hæc Dei elucet in creatione, ſuſtentatione, & gubernatione mundi, ex v. 1. & 2.

*Ratio.* Quia poteſtatis & dominii immenſi eſt, totum mundum habere a ſe pendentem.

*Vſus Institutionis*, quod per religioſam hanc operum Dei contemplationem, ad Deum ipſum aſcendere diſcamus.

V. Cognitioni & contemplationi divinæ gloriæ adjicere debemus ſerium ſtudium juſtitiæ & pietatis, ex v. 4. & 6.

*Ratio.* Quia hæ ſunt viæ Dei, in quibus vult à nobis inveniri; hæ ſunt diſpoſitiones illæ, quibus animi noſtri præparantur ad Deum recipiendum.

*Vſus damnationis*, adverſus eos qui profitenter ſe Deum quærere, ſed juſtitiam & pietatem nihil curant.

VI. Omnis benedictio certo communicabitur iis qui hunc in modum Deum quærunt, ex v. 3. & 5.

*Ratio.* Quia hoc eſt fœdus Dei.

*Vſus Conſolationis*, erga omnes pios, quia ſupra ſenſum & contra ſenſum poſſint ac debeant iſtam benedictionem expectare.

## Psalmus Vigesimusquintus.

ODe *Davidis, ad te, Iehova animam meam attollo.*

2. *Deus mi in te confido, ne erubeſcam: ne exſultent inimici mei de me.*

3. *Etiam ulli expectantes te, ne erubeſcant: erubeſcant qui perfide agunt immerito.*

4. *Vias tuas, Iehova, notas fac mihi; ſemitas tuas doce me.*

5. *Fac ut incedam per veritatem tuam, & doce me; nam tu es Deus ſalutis meæ, te expecto totum diem.*

6. *Recordare miſerationum tuarum, Iehova, & benignitatum tuarum; eas à ſeculo eſſe.*

7. *Peccatorum pueritiæ meæ & defectionum mearum ne recorderis: pro benignitate tua recordare mei tu, propter bonitatem tuam Iehova:*

8. *Bonus & rectus Iehova eſt: idcirco docet peccatores viam:*

9. *Facit ut incedant manſueti ex jure, & docet manſuetos viam ſuam:*

10. *Omnes ſemitæ Iehovæ benignitas & fides* ſunt, *cuſtodientibus fœdus ejus & teſtimonia ejus.*

11. *Propter nomen tuum, Iehova, condonabis igitur iniquitatem meam: nam magna eſt.*

12. *Qualis futurus eſt vir ille qui reveretur Iehovam, docentem ipſum quam viam eligat?*

13. *Anima ejus in bono pernoctabit, & ſemen ejus hæreditario jure poſſidebit terram:*

14. *Arcanum Iehovæ* adeſt *reverentibus ipſum, & fœdus ejus, ut experimento teſtetur eis.*

15. *Oculi mei jugiter ad Iehovam* reſpiciunt; *quia ipſe educit è reti pedes meos.*

16. *Reſpice ad me, & gratiam fac mihi; quia ſolitarius & pauper ſum.*

17. *Oppreſſiones animi mei dilatant ſe; ab anguſtiis meis deduc me:*

18. *Aspice afflictionem meam & laborem meum, & condona omnia peccata mea.*

19. *Aspice inimicos meos, quia potentiores sunt; & odio violento oderunt me.*

20. *Serva animam meam, & eripe me, ne erubescam, quia recipio me ad te.*

21. *Integritas & rectum custodiant me; quia expecto te.*

22. *Redime, Deus, Israëlem ab omnibus oppressionibus ejus.*

## ANALYSIS.

Psalmi hujus scopus, est petere à Deo liberationem ex illis angustiis quibus ab inimicis David premebatur, proponitur generaliter v. 2. & v. 16. & specialiter v. 17. & 20.

Argumentum *primum* quo hæc petitio suadetur, petitur à conditione & administrante causa liberationis impetrandæ, quæ est fiducia & spes viva in Deo collocata, v. 1. & 2.

*Secundum* argumentum petitur ab eventu vel effecto liberationis hujus vel denegatæ vel concessæ, in quo de gloria Dei agebatur, Davide enim non liberato, exultarent improbi inimici, & pudefierent pii, eo autem in tempore liberato, pudefierent impii, & exultarent pii, v. 2. & 3. 2. Modus hujus liberationis, aut via ad illam ducens v. 4. & 5. ubi petit Propheta ut instrueretur à Deo quomodo se gerere debet in istis angustiis, cui petitioni ratio subjicitur v. 5. quæ petitur ab illa expectatione qua ille à Deo totus pendebat. 3. Deprecatur iram illam Dei adversus peccata sua, quæ impedimento esse possint, quo minus directio & liberatio illa concedatur, v. 6, & 7. ubi peccata sua particulariter confitetur, & condonationis eorum spem qua in causa collocatam habet ostendit, id est, In miserationibus, benignitate & bonitate Dei.

Hujus autem spei suæ corroborantem causam explicat, gratiam Dei Evangelii declaratam erga peccatores humiles resipiscentes, v. 8, 9, 10. ubi & gratia Dei explicatur per suum effectum, docendi scilicet, & dirigendi in via recta, & resipiscentia per suum conatum, scilicet custodiendi fœdus Dei.

Ex istis autem conjunctim ad semetipsum accommodatis, cum certa fiducia petit & concludit gratiam in suis maximis peccatis condonandis, v. 11. tum postea ad suam & aliorum consolationem, eandem illam gratiam Dei erga resipiscentes illustrat, & dialogistice exornat, ab inductione vel enumeratione beneficiorum Dei in tales homines collatorum: directionis nempe v. 12. copiosæ suppeditationis eorum quæ spectant ad fœlicitatem, v. 13. & interioris admissionis ad arcanam Dei gratiam experiendo participandam, v. 14.

His autem ad fiduciam confirmandam præmissis, petitionem suam de liberatione repetit & urget Propheta. 1. A fiducia sua, (ut antea in initio Psalmi) v. 15. 2. A gravitate angustiarum, in quibus omni ope humana destitutus versabatur, v. 16, 17, & 18. 3. A potentia & crudelitate hostium, v. 19. 4. Ab innocentia & synceritate sua, vers. 21. 5. A relatione quam habuit ad Ecclesiam, gratiosæ liberationis Dei pro-

pium

prium subjectum, quæ relatio fuit partis non infimæ ad totum, cujus fœlicitas aliquo modo ab istius partis conditione pendebat.

QUÆSTIONES.

I. Quare in initio versiculorum hujus Psalmi observatur ordo alphabeti Hebraici?

*Resp.* Ut propter singularem quandam excellentiam & usum quem habet, facilius possit memoriæ mandari, eadem est ratio, Psal. 34, 37, 111, 112, 119, & 145.

II. Quid est attollere animam? v. 1.

*Resp.* Attollere animam, aliquando est superbire, ut Psalm. 131. 1. aliquando est audere, ut 2 Chron. 17. 6. ubi tamen alia est vox Hebraica quam hic, videlicet גבה. sed cum objecto apposito, attollere animam ad hoc vel illud, significat ardens desiderium & spem, Deut. 24. 15. Psalm. 86. 5. Jer. 22. 27. & 44. 14. sic hoc in loco, ut apparet ex v. 2, 3, 15. 20, & 21. Eadem est ratio in illa phrasi de attollendis oculis, ut Psalm. 123. 1, cum Psalm. 132. 1, 2.

III. Quænam est ratio illius phraseos, *ne erubescam, ne erubescant*? v. 2. & 3,

*Resp.* Ex eo derivatur, quod cum spes valida, de qua quis etiam gloriatus est, subito evanescit, tum naturaliter pudore quodam afficitur ille qui superaverat, tanquam sibi conscius turpis cujusdam stultitiæ aut temeritatis, in tali spe concipienda, Job 6. 20. Jer. 14. 13.

IV. Quid intelligitur per vias, & semitas Dei? v. 4.

*Resp.* Viæ Dei aliquando notant vias illas in quibus Deus incedit erga homines, ut v. 10. sed hic significantur illæ viæ quibus homines incedere debent erga Deum, secundum voluntatem ejus revelatam, Jes. 2. 3. ut apparet ex v. 5. ubi etiam per veritatem Dei intelligitur non fidelitas Dei, sed verum illud verbum, quo via hæc nobis demonstratur, ut Joh. 17. 27. 3 Joh. 3.

V. Qualis est ratio illa, *condonabis iniquitatem meam, nam magna est*?

*Resp.* Non est proprie ratio quare condonaretur, sed quare tam instanter petebat condonationem, posita tamen resipiscentia, aliquam vim rationis habet quare condonaretur, quia gloria gratiæ ac misericordiæ Dei eo magis manifestatur, Rom. 5. 20.

DOCUMENTA.

I. Vera & viva fiducia in Deum, certum est & unicum fundamentum veræ consolationis, ex v. 1. & 2. Hebr. 6. 16.

*Ratio* 1. Quia per fiduciam Deum apprehendimus ut Deum nostrum, v. 2. 2. Quia fidentibus in Deum omnis benedictio promittitur, Jer. 7. 7. 3. Quia per fiduciam cum omni certitudine acquiescit animus in Deo & ejus promissionibus, Psalm. 37. 5. & 7.

*Usus exhortationis*, ut præcipue studeamus fiduciam istam in nobismetipsis firmam retinere, Heb. 3. 6.

II. Ad fiduciam istam acquirendam & confirmandam, requiritur magnus conatus in elevatione cordis erga Deum, v. 1.

*Ratio*. Quia gravia habemus corda, & vel in terram vel in desperationem vergentia, id est, animi nostri premuntur incredulitate, cui ut resistamus omnis opera est navanda.

*Usus*

*Usus admonitionis*, ne secure indormiamus præsumtioni vanæ quæ sine lucta retinetur, & sui similis manet.

III. Fiducia vera in Deum nunquam pudefacit, ex v, 2. & 3, Ro. 5. 5.

*Ratio*. Quia recte dirigitur, & finem suum assequitur: spes autem cum perficitur, vertitur in gaudium, Prov. 10. 28.

*Usus* 1. *Consolationis*, erga omnes fideles. 2. *Exhortationis*, ut majore cum alacritate studeamus fiduciam nostram confirmare.

IV. Impiorum omnium fiducia desinit in pudore & confusione, ex v. 3. Prov. 10. 24, 28 & 11. 23.

*Ratio*. Quia cum spes eorum male collocatur, necesse est ut vana & irrita tandem appareat: talis autem exitus spei aut fiduciæ & arguit eos stultitiæ, & relinquit in miseria.

*Usus admonitionis*, ne ulla spe aut fiducia nitamur unquã, quæ cum impietate & injustitia consistere potest.

V. Vera fiducia in Deum, non salutem tantum, sed & directionem vitæ à Deo quærit, ex v. 4. & 5. Psalm. 32. 7. & 8.

*Ratio* 1. Quia non finem tantum, sed & media ad finem expectat à Deo. 2. Quia non minima pars est salutis & beatitudinis nostræ, ut dirigamur à Deo in via recta, v. 5. 3. Quia ille qui confidit in Deo, non de sua tantum salute sollicitus est, sed etiam de gloria Dei.

*Usus admonitionis*, ne ista duo unquam separemus, ut mos est vulgi.

VI. Neque salutem, neque directionem vitæ à Deo possumus expectare, nisi peccatis nostris condonatis, ex v. 7. Jer. 31, 32. Heb. 8.

*Ratio* 1. Quia peccata sunt quasi paries interjectus inter nos & Deum Jes. 59. 2. 2. Quia salutem & directionem non promisit Deus, nisi reconciliatis.

*Usus admonitionis*, ne in Deo quærendo prætervolemus peccata nostra: sed imprimis curemus in illa è medio tollantur.

VII. Unica ratio qua Deus condonat hominum peccata, est propria ipsius misericordia, ex v. 6, 7. & 11. Psalm. 51. 3. & 103. 4. 8. 11.

*Ratio*. Quia cum peccatis nostris Deus offenditur, offensam illam nihil potest amovere, nisi gratia & misericordia ipsius.

*Usus institutionis*, ut ad misericordiam Dei in Christo toti confugiamus, nullam fiduciam in nobismetipsis collocantes.

VIII. Ut misericordiæ & condonationis compotes fiamus, peccata nostra tam vetera quam recentia sunt humiliter coram Deo confitenda, ex v. 7. Psalm. 32. 3, 5. Prov. 28. 13. Job 13. 26.

*Ratio* 1. Quia resipiscentia est necessaria: confessio autem humilis est resipiscentiæ explicatio. 2. Quia sine hac humili confessione non tribuitur Deo gloria justa misericordiæ suæ, in peccatis condonandis.

*Usus admonitionis*, ne in transcursu, & perfunctorie confiteamur peccata nostra, sed eadem cura, qua cupimus illa nobis remitti.

IX. Ex benignitate Dei erga peccatores humiles, omnes humiliter sua peccata confitentes, cum resipiscentia vera possint certo concludere sua peccata esse condonata, ex v. 8. 9, 10, 11.

*Ratio*. Quia hoc est immutabile Dei fœdus, Psalm. 103. 17, 18.

*Usus consolationis*, erga omnes vere pœnitentes.

X. Resipiscentes, una cum remissione

miſſione ſuorum peccatorum, conſequuntur etiam ſingularem experientiam fœlicitatis illius quæ fluit ex communione cum Deo, ex v. 12. 13, 14.

*Ratio.* Quia ſunt domeſtici Dei, & vaſa miſericordiæ & benignitatis ejus.

*Vſus exhortationis.* ut hujus veritatis pia & frequenti contemplatione, ædificemus noſmetipſos in fide & reſipiſcentia.

XI. Ex meditatione & apprehenſione miſericordiæ Dei in communi, augetur fiducia de particularibus beneficiis conſequendis, v. 15. ubi idem dicitur quod v. 1. ſed cum majori confidentia, ut apparet in voce *jugiter*, & ratione etiam addita, quaſi re optata jam præſtita, *quia ipſe educit è rcti pedes meos.* Hæc autem fiduciæ corroboratio ex præcedente meditatione efflorcſcit.

*Rat.* Quia cum miſericordia Dei ſit unica cauſa noſtræ ſalutis, quo magis eam meditando apprehendimus, eo magis in cordibus noſtris creſcit fiducia omnis boni conſequendi.

*Vſus directionis*, ut in fiduciæ deliquio, aut imbecillitate, animos noſtros figamus in contemplatione miſericordiæ & benignitatis Dei.

XII. Neque mediorum nobis faventium defectu, neque malorum abundantiæ cedere debemus, ſed eo magis fiduciam noſtram in Deum erigere & exercere, v. 17, 18.

*Ratio.* Quia iſta non aliò à Deo diriguntur, quam ad fiduciam noſtram explorandam, Jac. 1. 3. 1 Pet. 1. 7.

*Vſus admonitionis*, ne pendeamus unquam ab externis rebus, ſed fide, non ſenſu vivamus.

XIII. Quo majores ſunt anguſtiæ noſtræ, eo proprior eſt ſalus Dei, v. 18.

*Ratio.* Quia cum tentatio pervenit ad ultimum noſtri poſſe tum ſaltem Deus promiſit ſe exitum daturum, 1 Cor. 10. 13.

*Vſus conſolationis*, erga fideles in graviſſimis afflictionibus: quoniam ex ipſa gravitate earum aliqua ſpes exoritur.

XIV. Ipſa crudelitas & furor hoſtium noſtrorum ſpem noſtram confirmare debet, v. 19.

*Ratio.* Quia non tantum miſericordia Dei erga nos, ſed & juſtitia ejus adverſus hoſtes nititur ſpes noſtræ ſalutis, Deut 9. 5.

*Vſus admonitionis*, ne turbemur nimis animis propter improborum hominum furorem.

XV. Præcipue tamen ad confirmandos animos valet ipſa fidei & cauſæ integritas, v. 20, 21.

*Ratio.* Quia hæc ſynceritas & promiſſionem Dei habet, & nos idoneos reddit ad quamlibet Dei gratiam participandam.

*Vſus admonitionis*, ut ad iſtam imprimis attendamus.

XVI. Quo magis conjuncta eſt noſtra ſalus cum Eccleſiæ bono, eo eſt certior, verſ. ult.

*Ratio.* Quia Eccleſia eſt maximæ curæ Deo.

*Vſus admonitionis*, ut animi ſaltem voto ſtudeamus ſemper Eccleſiæ ædificationſ.

## Psalmus Vigesimussextus.

*ODe Davidis, Judicem meum age Jehova, quoniam ego in integritate mea ambulo; & Jehovæ confido, me non vacillaturum.*

2. *Proba me Jehova & tenta me; examina renes meos & animum meum:*

3. *Nam benignitas tua coram oculis meis est, & indesinenter ambulo in veritate tua:*

4. *Non sedeo cum hominibus vanis, & cum improbis non convenio:*

5. *Odi congregationem maleficorum, & cum improbis non sedeo.*

6. *Lavo in innocentia manus meas, & circumeo altare tuum, Jehova.*

7. *Personando vocem gratiarum actionis, & enarrando omnia mirabilia tua.*

8. *Jehova, diligo habitaculum domus tuæ; & locum, tabernaculum gloriæ tuæ.*

9 *Ne aggreges penes peccatores animam meam, & penes viros sanguinarios vitam meam:*

10. *Quorum in manibus scelus, quorum dextra plena est corruptionis muneribus.*

11. *At ego in integritate mea ambulo: redime me, & gratiam fac mihi.*

12. *Pede meo consistente in plano, in congregationibus benedicam Jehovæ.*

## ANALYSIS.

SCopus Prophetæ in isthoc Psalmo est, petere vindicationem nominis, & vitæ suæ, ab hostium suorum impugnatione. Hæc petitio metaphoricè explicatur v. 1. quoad modum vindicationis. v. 9. & 12. quoad rem ipsam: & v. 11. quoad ejus causam, gratiam scilicet & misericordiam Dei.

Argumentum *Primum* & principale, quo hæc petitio suadetur, petitur à causa duplici huic vindicationi aut liberationi administranti, innocentia scilicet & fiducia sua v. 1, & 11

Innocentiam suam 1. declarat testimonio & judicio ipsius Dei. v. 2. ubi etiam & conscientiæ suæ testimonium innuit, quæ ad Deum provocare non verebatur: & hostium suorum testimonio elevat, dum opponit ipsis testimonium Dei. 2. Innocentiam & integritaté suam pluribus illustrat, 1 Ab efficiente ejus causa, quæ fuit contemplatio bonitatis Dei. v. 3. 2. Ab inductione partium hujus integritatis, quæ sunt justitia erga homines, & religio erga Deum.

Justitia ejus erga homines declaratur v. 4, & 5. Per oppositionem quam habuit ad homines improbos: ubi aversationis hujus duo gradus notantur, Declinatio societatis & Odium.

Inductionis pars altera, pietas erga Deum declaratur. 1. Per effectum ejus, sedulitatem nempe in Dei cultu celebrando v. 6. in fine: quæ illustratur & adjuncto suo modo ad causam præsentem intime spectante, innocentia scil. & integritate conscientiæ. v. 6. in principio; & fine, à petitione liberationis quam urget, non alieno, grata nempe celebratione magnorum operum Dei. 2. Eadem pietas declaratur per causam illius effecti, quæ pars est essentiæ religionis, dilectionem scilicet Dei & institutorum ejus, v. 8.

*Secundum* argumentum, quo petitio ſuadetur, petitur à contraria nocentia & improbitate ſuorum hoſtium, v. 9. & 10. quæ & abſolute conſiderata exigit vindictam, & cum innocentia Davidis per diſſimilitudinem collata, ipſius vindicationem ſuadet à talium hominum oppreſſione.

*Tertium* argumentum petitur ab effecto liberationem conſecuturo, celebratione ſcilicet nominis Dei v. 12.

QUÆSTIONES.

I. Quare petit David à Deo, ut velit eum judicare? v. 1.

*Reſp*. 1. Quia provocare voluit à judiciis hominum iniquorum ad juſtum judicium Dei. 1 Cor. 4. 3. 4, 5. 2. Quia Dei ut judicis totius orbis eſt exercere jus. Gen. 18, 25. atque adeo vindicare innocentes ab oppreſſione improborum.

II. Quare poſtulat ut renes ſui examinentur? v. 2.

*Reſp*. Quia renes metaphoricè notant quicquid in corde eſt reconditum & abſtruſum.

III. Quare improbi vocantur vani & diſſimulati? v. 4.

*Reſp*. Vani dicuntur, partim quia vacui ſunt metu Dei: partim quia dediti ſunt conſiliis illis, ex quibus nullum ſolidum fructum unquam conſequentur. Job 11, 11. Rom. 6, 21. Dicuntur autem diſſimulati, quia vanas illas & improbas machinationes ſimulandi & diſſimulandi artificio tegunt.

IV. Quid eſt cum iſtiuſmodi hominibus ſedere? ibid.

*Reſp*. Societatem cum ipſis colere in conſiliis capiendis, & actionibus obeundis. Jer. 15. 17.

V. Quid eſt circumire altare? v. 6.

*Reſp*. Cultum præſciptum diligenter & alacriter celebrare. Populo enim non licebat attingere altare, ſed ſpatio quodam interpoſito contemplari, quæ ibi agebantur: qui autem maximo cum zelo hoc agebant, ut poſſent omnia quæ ibi fiebant diligentius obſervare, non ſtabant ab una parte, ſed circumcirca movebant ſeſe ut ſuis oculis eo plenius uſurparent illa quibus tantopere afficiebantur: ſimile quid ſignificatur cum eo quod David fecit in deportatione Arcæ. 2 Sam. 6. 14.

VI. Quorſum mentionem facit lavationis manuum? ibid.

*Reſp*. Quia hoc fuit cæremoniale inſtitutum, quoad ſacerdotes. Ex. 40. 32. & ſignificabat puritatem illam conſcientiæ bonæ, quæ ab omnibus requiritur ad Deum rite colendum. 1 Tim. 2. 8.

DOCUMENTA.

I. Vera fides ac fiducia avertit animos piorum cum immerito ab hominibus vexantur, ab hominum injuſtitia, ad juſtum judicium Dei. ex v. 1. 1 Sam. 24, 16.

*Ratio* 1. Quia Deus eſt judex & vindex oppreſſorum. Pſalm. 43. 1. & 146. 7. 2. Quia nulla quies eſt animæ, uſque dum attollatur ſupra omnes perturbationes hujus mundi, ad tribunal illud, ubi juſtitia ſtabilis eſt & firma.

3. Quia fiducia ſua natura omnem ſalutem, atque adeo omne judicii auxilium à Deo exſpectat.

*Vſus* 1. *Admonitionis*, ne nimis vexemus noſmetipſos injuſtis hominum judiciis. 2. *Directionis*, ut ad iſtam vexationem vitandam, fiduciam noſtram de juſto judicio Dei, ſedulo confirmemus, & excitemus.

II. Ad

II. Ad consolationem habendam in exspectatione judicij Dei, necessaria est integritas vitæ, v. 1.

*Ratio* 1. Quia Deus in judicio suo non favet improbis. Psal. 1. 5. & 5. 5, 6. 2. Quia ipsa fiducia non potest consistere sine integritate. Pro. 10. 9. 3. Quia promissio defensionis & vindicationis data est integritati. Gen. 15. 1. & 17. 1. Psal. 7. 9.

*Usus* 1. *Condemnationis*, adversus eos, qui liberationem quærunt, sed integritatem nihil curant. 2. *Exhortationis*, ut vitæ integritati eadem cura studeamus, qua consolationem & liberationem desideramus.

III. Integritas alia non sufficit, nisi talis sit, ut Dei ipsius examen possit ferre, ex v. 2. Iob 31. 6.

*Ratio* 1. Quia Deus simul est Judex causæ & integritatis nostræ. 2. Quia conscientia ipsa judicat secundum judicium Dei: atque adeo non potest esse bona & læta, nisi ex sententia ipsius Dei.

*Usus* 1. *Condemnationis*, adversus eos, qui hominum judicia tantum spectant; atque adeo quiescunt in externa specie integritatis. Mat. 6. 1. & 23. 25. 2. *Admonitionis*, ut studeamus conscientiam inoffensam habere & apud homines, & etiam apud Deum. Actor. 24. 16.

VI. Benignitatis Dei religiosa contemplatio est efficax causa integritatis vitæ, ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia est causa impellens ad studium integritatis. Rom. 12. 1. 2 Cor. 5. 14. 2. Quia est causa retinens ab iis consiliis, quæ integritati adversantur. Psal. 37. 1. Psa. 37. 37.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos, qui dicunt certam apprehensionem gratiæ & misericordiæ Dei causam esse securitatis carnalis. 2. *Condemnationis*, adversus eos, qui ex benignitate Dei occasionem capiunt indulgendi peccatis. 3. *Exhortationis*, ut assidue meditemur de benignitate & misericordia Dei, idque eo modo, ut inde proficiamus in omni integritate.

V. Benignitas ista Dei tum demum est efficax in nobis ad integritatis curam, si declinare nos faciat societatem improborum. v. 4.

*Ratio*. Quia vocat nos ab omni communione cum regno tenebrarum.

*Usus Condemnationis* adversus eos, qui cum Loti uxore, non possunt deserere Sodomam.

VI. Hæc declinatio procedere debet ab odio improbitatis, v. 5.

*Ratio*. Quia declinatio aut aversatio mali, si integro & toto corde exerceatur, in ejus odio consistit.

*Usus Admonitionis*, ne satis habeamus irasci aliquando vitiis, aut litigium cum iis habere: sed persequamur illa vero odio, usque ad integrum divortium.

VII. Cum aversatione mali conjungendum est studium pietatis & cultus divini, v. 6.

*Ratio*. Quia non vocamur tantum à malo, sed etiàm ad bonum, & præcipue ad communionem cum Deo quærendam.

*Usus Condemnationis*, adversus eos, qui cultum Dei negligunt, & *Exhortationis* ad zelum ejus.

VIII. In cultu Dei obeundo, cura habenda est modi, ut fiat ex corde puro: & finis, ut Deo honorem debitum deferamus, v. 6, 7.

*Ratio*. Quia animus colentis in istis maxime apparet. Deus autem non tàm opus operatum exigit quàm cor operantis.

*Usus*

*Uſus admonitionis*, ne in externo opere cultus unquam acquieſcamus.

IX. Hæc omnia provenire debent ex dilectione, v. 8.

*Ratio*. Quia ſicut declinatio mali conſiſtit in odio, ſic proſecutio boni in amore.

*Uſus exhortationis*, ut iſtum amorem in cordibus noſtris magis magiſque accendere ſtudeamus.

## Psalmus Vigesimus septimus.

*ODe Davidis. Iehova lux mea & ſalus mea* eſt, *à quo timerem? Iehova robur vitæ meæ* eſt, *à quo expaveſcerem?*

2. *Belligerantibus contra me maleficis ad exedendum carnem meam, hoſtibus meis & inimicis meis in me; ipſi corruunt & concidunt.*

3. *Si metarentur contra me caſtra; non timeret animus meus: ſi inſurgeret contra me bellum, hac re ego ſecurus eſſem.*

4. *Vnum petii à Jehova, idipſum requiro; ut conſideam in domo Iehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ad videndum amœnitatem Iehovæ, & inquirendum in templo ejus.*

5. *Nam abſcondit me in tugurio ſuo, tempore adverſitatis; abdit me in abdito tentorii ſui, in rupem attollit me:*

6. *Jam vero extollitur caput meum ſupra inimicos meos, circumſtantes me: ut ſacrificem in tentorio ejus ſacrificia clangoris, canam & pſallam Jehovæ.*

7. *Audi Jehova me voce mea clamantem: gratiamque fac mihi, & exaudi me.*

8. *Tuum* illud, *requirite faciem meam, cogitat animus meus: faciem tuam, Jehova, requiro.*

9. *Ne abſcondas faciem tuam à me, ne avertas in ira ſervum tuum: auxilium meum fuiſti, ne deſeras me, neque derelinquas me, Deus ſalutis meæ.*

10. *Nam pater meus & mater mea derelinquunt me, ſed Jehova recipiet me.*

11. *Doce me, Jehova, viam tuam, & deduc me per ſemitam planam propter obſervantes me.*

12. *Ne tradas me deſiderio hoſtium meorum: nam conſiſtunt contra me teſtes mendaces, & qui ſpirant violentiam:*

13. Abrepturi me, *niſi crederem me fruiturum bonitate Jehovæ in terra viventium.*

14. *Expecta Iehovam; confirmare, & fortificabit animum tuum: itaque expecta Iehovam.*

## ANALYSIS.

SCopus Davidis in hoc Pſalmo eſt petere & impetrare auxilium Dei adverſus hoſtium violentiam. Proponitur generaliter verſ. 7. illuſtratur

illustratur per contrariæ desertionis deprecationem v. 9. modus ejus declaratur v.11. & illustratur per contrariæ desertionis effectum. v. 12.

Hujus petitionis proponitur primo suasio apud Deum tredecim primis versiculis, & tum postea ejus imitatio omnibus fidelibus commendatur.v.14.

Suasionis argumentum *Primum* petitur ab ejus ministrante causa, fiducia scil. in Deo collocata.v.1. 2. & 3. quæ illustratur. 1. Per negationem oppositi timoris, *à quo timerem?* 2. A formali suo objecto, Deus est *lux, salus, robur*. 3. Ab experientiæ suæ testimonio. v. 2. in qua exemplum & instantia continetur fiduciam illam confirmans. 4. A comparatione majorum fictorum aut suppositorum, v. 3.

*Secundum* argumentum petitur ab alia causa administrante, ex priore pendente,oratione scil.qua Deo cum fiducia supplicabat pro ejus gratia, v. 4, 5, 6. ubi oratio ista declaratur, 1. Ab ejus præcipuo argumento, vel materia subjecta, *ut habitem in domo Iehovæ &c.* 2. Ab ejus adjuncta vehementia & constantia: *unum petij: idipsum requiro*. 3. Ab ejus impellente causa secundaria, experientia nempe bonitatis Dei communicatæ, v. 5. & certitudine ejusdem ad perfectionem usque communicandæ, v. 6. 4. Ab ejus impellente causa primaria,mandato scil. Dei de ipsius ope imploranda in rebus adversis.v.8.

*Tertium* argumentum petitur ab adjuncta sua orbitate, & destitutione. v. 10. quæ Dei singulare auxilium, ut singulariter necessarium, arguebat.

*Quartum* argumentum petitur ab insidiis, fraudibus, & violentia hostium. v. 11. & 12. in fine, quibus etiam necessitas opitulationis divinæ arguitur. Hæc autem amplificantur simul & mitigantur, per oppositionem fiduciæ de bonitate Dei conceptæ. v. 13. quia tantum terrorem & discrimen afferebant, ut hac sola fiducia potuerint superari.

Hinc exhortatio sequitur quasi usus ex omnibus antecedentibus deductus. qua David & semetipsum & alios excitat ad fiduciam similem in Deo collocandum. v. 14. quæ ab effecto suo suadetur.

DOCUMENTA.

I. Fidei natura & fideles hominis officium est & præmunire & confirmare sese adversus omnes oppositos terrores. ex v. 1. *à quo timerem? à quo expavescerem?*

*Ratio*. 1. Quia fides vel fiducia dum optatum bonum certo apprehendit, timorem mali excludit & tollit. 2. Quia luctatur semper adversus infidelitatem, quæ timorem & anxietatem parit. 3. Quia in ista lucta superior evadit fides & est victoria fidelium. 1 Joh. 5.4.

*Usus* 1. *Refutationis*, ad vanam eorum fidem arguendam, qui nullos unquam timores & terrores sentiunt, adversus quos luctentur.

2. *Admonitionis*, ut præmuniamus nosmetipsos vera fide adversus omne genus terrorum.

II. Unica ratio fiduciæ nostræ confirmandæ adversus terrores oppressuros, est intuendo apprehendere omni-sufficientiam Dei pro nobis facientis, ex v. 1. *Iehova est lux mea, salus mea, robur vitæ meæ*.

*Ratio* 1. Quia timor non tollitur, nisi plus virium nobiscum esse videamus, quam contra nos, 2 Reg. 6. 16. hoc autem tum demum perci-

percipitur, cum Deus apprehenditur nobiſcum eſſe, Rom. 1.31. 2. Quia Deus ſub hac ratione eſt fidei ac fiduciæ noſtræ objectum: atque adeo quo magis apprehenditur ut talis, eo firmior eſt fides noſtra.

*Uſus* 1. *admonitionis*, ut à nobiſmetipſis, & à toto mundo oculos noſtros avertentes, Deum ſemper ſtatuamus nobis à dextra. 2. *Conſolationis*, erga omnes fideles, quod Deum habent ſibi in omni periculo ſufficientem.

III. Experientia illa quam Deus nobis dedit ſuæ gratiæ, in periculis præteritis, confirmare nos debet adverſus metum furorum, 1 Sam. 17. 37.

*Ratio* 1. Conſtantia Dei, Jeſ. 50. 2. & 51. 9, 10. 2. Teſtimonii vis quæ in illa experientia continetur, 2 Tim. 4. 17, 18. 3. Gratitudo, quam Deo debemus pro liberatione accepta, quæ poſtulat ut nomen ejus ſanctificemus intrepidam fiduciam in eo figentes, 1 Pet. 3. 14, 15.

*Uſus admonitionis*, ne oblivioni tradamus quidquam eorum quæ Deus pro nobis fecit.

IV. In Deo confirmare noſmetipſos debemus non tantum adverſus illa pericula quæ videmus nobis imminere, ſed etiam adverſus majora, quæcunque ſcilicet nobis accidere poſſint, ex v. 3. Pſalm. 23. 4. & 46. 3, 4.

*Ratio* 1. Quia pericula illa ſi ex inopinato nos occuparent, de quibus nunquam cogitavimus, magis multo premerent, quam ſi præmunitos aggrediantur. 2. Quia ſi fides valeat adverſus majora, facilius valebit adverſus minora. 3. Quia hæc eſt gloria fidei & Dei fide apprehenſi, quod adverſus maxima mala ſufficiat, Rom. 8. in fine.

*Uſus directionis*, quomodo præfulcire animos noſtros debemus meditationibus ſpiritualibus, adverſus omne genus tentationum, ne ab iis præoccupemur.

*Quæſt.* An licitum & conſultum ſit imaginatione, vel cogitatione repræſentare nobiſmetipſis hujuſmodi hypotheſes, quæ fidem aut obedientiam noſtram poſſint labefactare?

*Reſp.* 1. Duplex eſt ratio conditionalium iſtiuſmodi cogitationum, vel incipimus à fide & firmo animi propoſito ad officium proſequendum, ut ejus vi ad ſuperandas omnes difficultates nos præparemus: vel incipimus difficultatum apprehenſione, ut earum vi fidem & propoſitum noſtrum exploremus. Priore ordine recte poſſumus præmunire noſmetipſos adverſus tentationes: ſed ſi alteram ratione ſequamur, hoc nihil aliud eſt, quam noſmetipſos tentare. 2. Alia eſt ratio illecebrarum, & alia terrorum. Illecebræ ad peccatum inducentes vix poſſunt animo diſtincte repræſentari, qua tales ſunt, ſine inquinatione: ſed terrores dum abſunt non adeo ſolent afficere, tutius eſt igitur terribilia nobiſmetipſis cogitando objicere, quam ineſcantia. Conſultius eſt, ut quis imaginetur ſibi tentationem Petri, quam Ioſephi. 3. Differentia eſt in tempore, ſecundum diſpoſitionē illam quam in nobiſmetipſis ſentimus, ſi enim langueat fides, & animi alacritas non adſit, non eſt adeo conſultum iſtiuſmodi cogitationibus indulgere: ſi vero fides & gratia ſit in vigore ſuo, tum cum fructu poſſumus quaſi laceſſere pericula & terrores adverſos.

V. Ubi per veram fiduciam recumbit animus in Deum, hoc invocatione

Dei declaratur, v. 4. cum antecedenti.

*Ratio* 1. Quia invocatio est actus fiduciæ, Rom. 10. 14. 2. Quia medium etiam est consequendi illa quæ per fiduciam apprehenduntur & expectantur, Ro. 10. 13, 14. 3. Quia fiduciam ipsam alit ac fovet oratio pia, in textu.

*Usus* 1. *Redargutionis*, adversus eos qui fiduciam jactant, & invocationem interim negligunt. 2. *Exhortationis*, ut magis magisque applicemus animos ad Deum tam privatim quam publice invocandum.

VI. Præcipuum argumentum invocationis nostræ debet in iis versari, quæ pertinent ad animarum nostrarum salutem, ibidem, *ut considеam in domo Iehovæ.*

*Ratio* 1. Quia hæc sunt maxime bona, & maximè nobis necessaria. 2. Quia sunt maxime propria fiduciæ nostræ objecta. 3. Quia ex istis omnia alia pendent, Matth. 6. 33. 4. Quia in istis petendis, honor in solidum magis tribuitur Deo, quam cum illa quæruntur quæ sunt hujus vitæ.

*Usus* 1. *Redargutionis*, adversus terrestria hominum desideria. 2. *Exhortationis*, ut operemur cibo qui non perit, Ioh. 6. 27.

VII. Vehementia & constantia requiritur in ista petitione, *unum petii, idipsum requiro.*

*Ratio* 1. Quia synceritas interni affectus istis elucet. 2. Quia efficacia precum ex istis aliquo modo dependet, Jac. 5. 16, 17. Luc. 11. 8, 9. 3. Quia dignitas rerum spiritualium hoc requirit.

*Usus admonitionis*, ut caveamus nobis à tepiditate, & languore.

VIII. Experientia bonitatis Dei rite perceptæ accendit animum ad hujusmodi preces effundendas coram Deo, ex v. 5.

*Rat.* 1. Quia gustus bonitatis excitat ei appetitum, 1 Pet. 2. 3. 2 Quia experientia parit spem, Rom. 5. 4. 3. Quia gratitudo erga Deum, pro bonitate communicata, postulat ut magni eam faciamus, & magno affectu ampliorem ejus communicationem quæramus.

*Usus* 1. *Increpationis*, adversus oscitantiam & negligentiam nostram, qua sæpe fit ut experientia nostra nihil nobis prosit. 2. *Exhortationis*, ut istum in modum superædificemus nosmetipsos in religione.

IX. Invocationis perfectio, est certitudo, quod petitur, impetrandi, ex v. 6. Psalm. 6. 10.

*Ratio* 1. Quia hæc est perfectio fiduciæ, Rom. 4. 20, 21. 2. Quia proprius & proximus finis est petitionis, 1 Joh. 5. 14, 15. 3. Quia orationem ipsam perficit, 2 Sam. 7. 27.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos qui certitudinem salutis, præsumptionem noxiam esse contendunt. 2. *Exhortationis*, ut ad istam perfectionem, quantum fieri possit, aspiremus.

X. Certitudo illa gratiæ est à Deo, quæ reddit homines ad omnia officia pietatis promptiores, ibid. *ut sacrificem*, 2 Cor. 7. 1. Heb. 12. 28. 1 Joh. 3. 3.

*Rat.* 1. Quia Spiritus & gratia Dei semper ducit ad Deum. Quod Deum habet pro principio, Deum etiam habet pro fine. 2. Quia charitas illa Dei cum diffunditur in corde, constringit hominem ut ejus gloriæ se totum addicat, 2 Cor. 5. 14. Gal. 2. 20. 3. Quia certitudo ipsa non potest consistere, sine hac animi dispositione, 1 Joh. 3. 10.

*Usus* 1. *Refutationis* & *damnationis*, adversus

adversus eos, qui certitudinem quandam gratiæ præ se ferunt, & occasionem inde arripiunt carnalis securitatis, Gal. 5.13, Rom. 6.1.15. 2. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omni suggestione, quæ certitudinem aliquo modo detorqueret ad curam officii ulla ex parte imminuendam. 3. *Exhortationis*, ut exerceamus nos ad istum stimulum in virtute ejus recipiendum, æqualiter studentes certitudini gratiæ, & curæ pietatis.

XI. Mandatum Dei, cum promissione annexa, fundamentum est certitudinis illius quæ acquiritur invocatione Dei, ex v. 8.

*Ratio* 1. Quia in illis consistit fœdus Dei. 2. Quia orationes nostræ dignitatem nullam habent in sese. 3. Quia vis impetrandi, quam habet oratio, pendet ex illis.

*Usus directionis*, ut ante preces, & inter precandum, & postea etiam serio cogitemus de mandato & promissione Dei, ad animi omnimodam confirmationem.

XII. Cum summa certitudine gratiæ Dei, optime consistit & consentit deprecatio iræ & desertionis Dei, v. 9. cum antecedenti.

*Ratio* 1. Quia certitudo illa non tollit conscientiam peccati abjectionem merentis, sed consolationis rationem ostendit per hujusmodi deprecationem à conscientia percipiendam & applicandam. 2. Quia precatio gratiæ certo apprehensæ per istiusmodi deprecationem iræ perficitur. 3. Quia est ultio quædam iræ quæ sæpe urget peccatores, etiam cum Deus ipsorum est misertus, Ps. 99.8.

*Usus admonitionis*, ne unquam ita securi simus de ira Dei, quin diligenter eam cum omni humiliatione deprecemur.

XIII. Destitutio illa, quam ab hominibus patiuntur fideles, non arguit eos deseri à Deo: sed eo magis facit eos satagere, ut à Deo recipiantur, v. 10. Psalm. 25. v. 16.

*Ratio* 1. Quia Dei viæ non sunt ut viæ hominum, Jes. 55. 8. 2. Quia in istiusmodi orbitate, auxilium Dei magis necessarium apparet. 3. Quia in extremis periculis solet Deus suam potentiam manifestare, Jes. 59. 16. Psal. 119. 126. & 102. 14.

*Usus consolationis*, adversus hominum perfidiam.

XIV. Deus non deserit suos, dum eos docet ac ducit, ex v. 11.

*Ratio* 1. Quia institutio & ductus Dei, est certum signum & effectum gratiæ Dei, Psalm. 25.8,9. 2. Quia secum etiam trahit salutem & gloriam tanquam suum finem, Psalm. 73. 24. 3. Quia interea temporis consolationem suppeditat adversus omnia mala, Psalm. 23. 4.

*Usus directionis*, ut primo & præcipue hanc institutionem & ductum Dei quæramus, Psal. 5.9. & 25. 4, 5. &c. & 86. 11.

XV. Insidiæ, fraudes, & violentiæ improborum optime superantur per observantiam viæ Dei, & fiduciam in eo collocatam, v. 12, 13.

*Ratio.* Quia hæc sola ratione in Domino superantur.

*Usus admonitionis*, ne vinci nos sinamus à malo, sed hac ratione malum vincamus bono.

XVI. Ad istam fiduciam stabiliendam, necessaria est frequens excitatio animi, sæpius inculcata.

*Ratio.* Quia magna est hujus rei difficultas: & magna tarditas animorum nostrorum.

K 4 Usus

*Usus exhortationis,* ut imitemur Davidem in ista cura, tam erga nosmetipsos, quam alios, Psalm. 42. 12. & 43. 5.

## Psalmus Vigesimus Octavus.

ODe Davidis. *Te, Iehova, inclamo, rupes mea, ne surdum agas* aversus à *me: ut non, si mutus eris* & aversus *à me, consimilis fiam descendentibus in sepulchrum.*

2. *Audi vocem deprecationum mearum, dum vociferor ad te: dum attollo manus meas ad adytum sanctitatis tuæ.*

3. *Ne trahas me penes improbos, & penes operarios iniquitatis; loquentes pacem cum proximis suis, malitia* obtinente *in corde eorum.*

4. *Da istis secundum opus ipsorum, & secundum malignitatem actionum ipsorum: secundum opus manuum ipsorum da eis, redde retributionem suam eis.*

5. *Quia non animadvertunt ad opera Iehovæ, & ad factum manuum ejus: destructurus est eos, non autem exstructurus eos.*

6. *Benedictus* sit *Iehova, quia exaudivit vocem deprecationum mearum;*

7. *Iehova robur meum & scutum meum, cui confidente animo meo, adjuvor: idcirco exsultat animus meus, ut cantico meo celebrem eum.*

8. *Iehova robur istis, & robur maxime salutare est Christus illius.*

9. *Serva populum tuum; & benedic possessioni tuæ pascéque eos, ac extolle eos usque in seculum.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Psalmi est impetrare à Deo liberationem ab hostibus suis a quibus gravissime premebatur.

Hæc autem precatio primo generaliter proponitur v. 1. & 2. deinde specialiter explicatur, v. 3, 4, & 5. & ultimo in loco illustratur per exauditionem adjunctam, & ejus effecta, v. 6, 7, 8, & 9.

Generalis petitio est exauditionis & responsionis, quæ primo per oppositam surditatem & silentium metaphorice declarantur v. 1. *ne surdum agas & mutum:* & postea simpliciter explicatur vers. 2. *deprecationum mearum.*

Argumenta quibus hæc generalis precatio urgetur sunt duo; quorum primum petitur à descriptione ipsius precationis adhibitæ, & secundum ab eventu qui rejectionem ejus necessario consequeretur. Precatio describitur talis esse, qualem Deus solet audire, fuit enim. 1. Ardens & vehemens: *inclamo, vociferor.* 2. Fuit cum fiducia in Deo collocata, tanquam in unico perfugio vel receptu: *rupes mea.* 3. Fuit etiam directa secundum Dei voluntatem revelatam, & institutum, *attollo manus meas ad adytum sanctitatis tuæ.*

Eventus petitionis rejectæ est confusio similis interitus aut mortis, *ne consimilis fiam descendentibus in sepulchrum.*

Specialis petitio non tantum est pro salute, sed etiam pro exitio hostium, v. 3. & 4. *ne trahas me penes illos: da istis secundum opus ipsorum,* id est, ne tradas me in potestatem eorum, sed justam tuam potestatem in ipsos exercere.

Argumenta quibus hæc petitio urgetur, comprehenduntur in deſcriptione hoſtium tum generali, dum *improbi*, & *operarii iniquitatis* vocantur: tum etiam ſpeciali, dum ſimulata eorum malitia notatur, ex qua deſcriptione, pœna ipſis debita concluditur & infertur ſecundum proportionem meritorum, *da iſtis ſecundum opus ipſorum*, hæc autem conſequentia pœnæ ex peccatis confirmatur v. 5. ex eo, quod à reſipiſcentia fuerunt alieni, & emendationis media oblata deſpiciebant, & proculcabant, v. 5. *non animadvertunt* &c.

Exauditio hujus precationis exornatur ſuis effectis: quæ ſunt. 1. Teſtificatio gratitudinis ſuæ erga Deum in nomine ejus celebrando, v. 6. 7, 8. 2. Teſtificatio ſtudii ſui erga Eccleſiam, quam in ſua liberatione à Deo ſpectatam agnoſcit v. 8. atque adeo ſalutem ejus imprimis optare ſe & vovere profitetur, v. 9.

DOCUMENTA.

I. Cum petitione hujus aut illius rei ſpecialis conjungi debet petitio generalis de precibus ipſis audiendis, ex v. 1. & 2. ubi præmittitur iſta generalis petitio tanquam præparatio ad ſpecialem: ſicut alibi ſubjungitur ſpeciali, tanquam ejus perfectio, Pſalm. 19. ult. Dan. 9. 19.

*Ratio* 1. Quia fiducia auditionis, eſt fundamentum petitionis, 1 Ioh. 5. 15. Matth. 7. 7, 8. 2. Quia auditio ipſa eſt proprius finis & ſcopus petentis, ibidem. 3. Quia ad iſtum finem attingit precatio noſtra, non ex ſua dignitate, ſed ex gratia & miſericordia Dei, quæ ideo ſimul eſt hoc reſpectu imploranda.

*Uſus* 1. *Increpationis*, adverſus eos, qui preces ſuas effundere ſatis habent, nihil interim ſolliciti de earum acceptatione & exauditione. 2. *Directionis*, & *exhortationis*, ut hujus voti memores ſimus tum in initio, tum in fine precum.

II. Preces à Deo audiendæ debent eſſe fervidæ, fideles, & voluntati Dei congruentes, ex v. 1. & 2. Jac. 5. 16. Matth. 21. 22. 1 Joh. 5. 15.

*Ratio* Quia niſi fervor adſit, deſiderium idoneum deeſt: niſi fiducia adſit, deſiderium illud eſt vagum & inefficax: & niſi reſpectus habeatur voluntatis Dei, obtinendi via negligitur, & fiducia non poteſt eſſe firma.

*Uſus admonitionis*, ne ſatis habeamus precari, ſed & tales preces Deo ſtudeamus offerre, quales ille acceptas habere ſolet, id eſt, hiſce virtutibus ornatas.

III. Precationis fervor accenditur conſideratione miſeriæ quæ rejectionem ejus comitatur, ex v. 1. *ne conſimilis fiam deſcendentibus in ſepulcrum*.

*Ratio*. Quia inde apparet quanta ſit indigentia noſtra, & neceſſitas opis divinæ. Hinc eſt quod ſæpe in ſummas anguſtias deduci ſuos patitur Deus, ut eo ardentius ipſius opem implorent, Pſalm. 143. 6, 7. Hoſ. 5. 15.

*Uſus directionis*, ut iſtiuſmodi conſiderationes frequenter adhibeamus ad animos noſtros inter precandum exacuendos.

IV. Fiducia precationis, quoad liberationem ab iniuriis improborum, confirmatur aliquo modo conſideratione ipſius improbitatis quæ ab illis exercetur, ex v. 3, 4.

*Ratio*. Quia non tantum miſericordia Dei ſpondet piis liberationem à talibus, ſed etiam juſtitia Dei exigit ut exitium eorum maturetur.

*Uſus conſolationis*, adverſus illas per-

perturbationes quas malitia mundi possit nobis adferre.

V. Improbitas illa est maxime deplorata, & exitii prænuntia, quæ contemnit aut rejicit media illa quibus possit ad resipiscentiam perduci, ex v. 5. Jes. 5. 12. & 26. 10, 11.

*Ratio.* Quia unicum remedium excludit.

*Usus admonitionis*, ut supra omnia caveamus nobis ab ista duritie cordis.

VI. Precationis perfectio est exauditionis apprehensio certa, ex v. 6. Dan. 9. 23. Acto. 10. 4. Psalm. 6. 9, 10. & 20. 2, 4.

*Ratio* 1. Quia proximus est & immediatus ejus finis. 2. Quia desiderio in precibus explicato quietem & satisfactionem adfert. 3. Quia rei ipsius desideratæ præstationem, quæ ultimo in precatione respicitur, certam reddit precanti.

*Usus* 1. *directionis*, ut in omnibus nostris precibus ad istam apprehensionem aspiremus. 2. *Consolationis*, adversus omnes alias angustias, si modo ista apprehensio adsit.

VII. Benedicendum est nomen Domini propter hanc ipsam exauditionem, ex v. 6, 7. Benedictio autem sicut cum à Deo in hominem proficiscitur, omnem affluentiam bonorum, & perfectionem status designat, sic ab homine in Deum proficiscens, omnem accumulationem lætitiæ, laudis, gratiarum actionis, & glorificationis notat, Psalm. 145. 10.

*Ratio* 1. Quia magna est gratia Domini, qua dignatur hunc in modum appropinquare nobis, dum nos ipsi precibus tantum, iisque imperfectis admodum ipsi appropinquamus, Jac. 4. 8. 2. Quia magna est consolatio quæ inde in nos redundat. 3. Quia in ipsis precibus hoc semper vel expresse, vel implicite vovetur.

*Usus exhortationis*, ad istam ansam arripiendam Dei nomen celebrandi, etiam antequam rem ipsam quam quærimus, plane sumus consequuti.

VIII. Ad istam benedictionem Dei, impellit propriæ fiduciæ adimpletæ consideratio reflexa, v. 7.

*Ratio* 1. Quia exauditio precum consistit in fiduciæ complemento. 2. Quia bonum concessum non adeo afficit animum, nisi desiderio & fiducia quæsitum. 3. Quia hac consideratione fiducia ipsa confirmatur & augetur in posterum.

*Usus directionis*, ut tam in gratiarum actione, quam in petitione, fiduciam nostram exerceamus.

IX. Non nostro tantum nomine gaudere debemus de beneficiis à Deo nobis concessis, sed etiam Ecclesiæ nomine, v. 8.

*Ratio* 1. Quia hæc est communio sanctorum, ut neque petant, neque accipiant quidquam sibi solis, sed & aliis. 2. Quia pertinet hoc ad gloriam Dei, ut ejus beneficia quamplurimis communicentur.

*Usus increpationis*, adversus eos qui sibi solis vivunt.

X. Ecclesiæ bonum omnimodo quærendum & opera & oratione, ex vers. 9.

*Ratio.* Quia parum est quod opera nostra præstare potest: & oratio tamen ab opera & conatu justo derelicta, non potest esse syncera.

*Usus Exhortationis*, ut utraque manu Ecclesiam juvare nitamur, opera & oratione

## Psalmus Vigesimus nonus.

*Psalmus Davidis. Cedite Iehovæ, filii fortium; cedite Iehovæ gloriam & laudem.*

2. *Cedite Iehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibentes Jehovæ in decoro sanctitatis.*

3. *Vox Jehovæ ſupra aquas,* vox *Dei fortis glorioſi intonat,* vox *Jehovæ ſupra aquas multas:*

4. *Vox Iehovæ potenter, vox Iehovæ decore.*

5. *Vox Iehovæ confringit cedros, perfringit etiam Iehova cedros Libani:*

6. *Et facit ut exſiliant ſicut vitulus, Libanus & Schirion, ut pullus unicornium.*

7. *Vox Iehovæ cædit flammas ignis.*

8. *Vox Jehovæ dolore afficit deſertum, dolore afficit Iehova deſertum Kadeſchi.*

9. *Vox Jehovæ facit ut pariant cervæ, & denudat ſilvas: verum in templo ſuo eloquitur totam gloriam ſuam.*

10. *Iehova in diluvio ſedebat: & ſedet Iehova rex in ſeculum.*

11. *Iehova robur populo ſuo dat, Iehova benedicit populo ſuo cum pace.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt excitare homines ad Deum honorandum.

Hæc autem hortatio illuſtratur primo, v. 1. ac 2. & poſtea perſuadetur in reliquo Pſalmo.

Illuſtratur 1. A ſubjectis perſonis ad quas dirigitur, *filii fortium*, id eſt, Magnates & Principes, non quaſi ad illos ſolos ſpectaret, ſed quia illi maxime ab hoc officio ſolent eſſe alieni, & cum illis hoc nominatim indicitur, nemo poteſt quaſi exemptionem aliquam ſomnians, à ſeſe in alios hanc exhortationem trajicere. 2. A qualitate & quantitate honoris Deo deferendi, quod ſcilicet debet eſſe glorioſus, & Divinæ majeſtati conveniens, *gloriam nominis ejus.* 3. A ſpecie ejus principali honoris debiti, quæ eſt adoratio vel cultus ab ipſo inſtitutus, *incurvate vos in decoro ſanctitatis*, hac autem ſpecie per ſynecdochen omnis honor Deo debitus deſignatur.

Argumentum quo excitantur homines ad Deum glorificandum, petitur à formali hujus actus objecto, videlicet à gloria illa Dei qua exhibet ſeſe agnoſcendum & glorificandum.

Hæc autem gloriæ manifeſtatio per diſtributionem è ſubjectis declaratur, quia partim elucet in operibus naturæ à v. 3. ad medium 9. & partim in operibus gratiæ, à medio 9. ad finem Pſalmi.

In priore genere tonitru ut ſingularis ſpecies glorioſæ operationis proponitur ad reliqua naturæ opera ſynecdochice ſignificandum. Deſcribitur autem tonitru. 1. A natura & eſſentia ejus, quod ſit *vox Iehovæ*, id eſt, cæleſtis & divina. 2. A ſubjecto, quod ſunt nubes, vel *aquæ multæ*. 3. Ab adjunctis, quod ſit præpotens & magnificum verſ. 4. 4. Ab effectis, quæ per inductionem à ſubjectis potentiſſima eſſe declarantur. 1. In arbo-

ribus robustissimis, v. 5. 2. In montibus firmissimis, v. 6. 3. In aëre, quem quasi in ignem convertit v. 7. 4. In animalibus omnis generis, etiam illis quæ in desertis vagantur, aut in sylvis delitescunt, atque adeo ab hominibus solent esse secura, v. 8. & 9.

Secunda gloriæ Dei manifestatio per opera gratiæ, declaratur, Per comparationem imparium & dissimilium, respectu operum naturæ: quod scilicet in operibus gratiæ magis distincte manifestatur hæc gloria Dei, *verum eloquitur*, & magis etiam perfecte vel complete, *totam gloriam*. 2. Per subjectum ejus proprium, id est, *templum*, vel Ecclesiam. 3. Per operis ipsius gratiæ, descriptionem brevem, quod Deus ex gratia communicat omnes benedictiones cum Ecclesia sua, vers. 11. cujus communicationis firmitas & stabilitas arguitur à regia & æterna rerum omnium gubernatione, quam Deus etiam in maximis difficultatibus ex consilio voluntatis suæ exercet, v. 10.

## DOCUMENTA.

I. Primarium hominis officium est, Deum glorificare, ex v. 1. Phil. 1. 20.

*Ratio* 1. Quia hic finis est creationis, redemtionis, & omnium beneficiorum Dei in nos collatorum, 1 Cor. 6. 20. Psalm. 50. 15. 2. Quia continet in se se virtualiter cætera omnia officia religionis & justitiæ, sicut primum præceptum reliqua secum infert. 3. Quia gloriam expectamus à Deo, 1 Sam. 2. 30.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ut totum vitæ cursum, & actiones nostras omnes sic instituamus, ut cedant in gloriam Dei, 1 Cor. 10. 31. 2. *Admonitionis*, ut caveamus nobis sedulo ab iis quæ avertere nos possint ab hujus officii cura: ut ab omni fastu, & propriæ excellentiæ opinione, quam Dei glorificationi maximo esse impedimento in textu declaratur, dum hortatio ista singulariter dirigitur ad Principes & magnates, & iis non semel, sed bis, ter, quater stimulus iste, prout necessitas eorum postulat, exhibetur, *cedite, cedite, cedite, incurvate*.

II. Glorificandus est Deus eo modo & gradu, qui convenit gloriosæ ejus majestati, ex v. 2. 1 Chron. 16. 28, 29. Psalm. 66. 2.

*Ratio*. 1. Quia Deus verus alias non glorificatur, sed idolum à nobis imaginatione conceptum Act. 7. 42. 2. Quia honor ineptus est contumelia & contemptus, Ies. 1. 11. 12, 13, 14.

*Quest*. Quis est modus conveniens Deum glorificandi, vel honor nominis ejus, ut in textu vocatur?

*Resp*. Quando talis agnoscitur qualem se in verbo suo revelavit: & secundum illam agnitionem tam affectus nostri interni, quam externæ actiones ordinantur, hoc est Deum sanctificare, 1 Pet. 3. 15. Psalm. 96. 6.

*Usus admonitionis*, ut caveamus nobis à sacrificiis cæcis, claudis, & ægrotis offerendis, Mal. 1. 8.

III. Ex contemplatione operum naturæ proficere debemus in gratia, & studio Deum glorificandi, ex v. 3. &c.

*Rat*. Quia in istis gloria Dei manifestatur, Psalm. 8. & 19. 1. & 75. 2.

*Usus exhortationis*, ut exerceamus nosmetipsos ad religiosam naturalium rerum contemplationem. Illa autem contemplatio harum rerum

est

eſt religioſa, qua Deum agnoſcimus eatum effectorem ac gubernatorem: *vox Dei, vox Dei*: & poſtea glorioſam Dei virtutem in illis effectis elucentem agnoſcamus, & congruenter erga ipſum afficiamur: *potenter & decore*.

IV. Inter opera naturæ, illis maxime affici debemus, quæ ſingulariter comparata ſunt ad potentiam & majeſtatem declarandam, ut tonitru, fulgure, & ſimiliter, v. 3. &c.

*Ratio*. 1. Quoniam in iſtis non tantum veſtigium, ut in cæteris, ſed quaſi imago quædam apparet majeſtatis & potentiæ & præſtantiæ divinæ. Pſal. 18. 13, 14. 2. Quia hujuſmodi operum cauſæ ſunt tam occultæ, ut immediate, proxime, & quaſi ex tempore, à Deo fieri videantur, neque creatam ullam habere cauſam. Job 38. 22. 28. 19. Pſal. 135. 7. 3. Quia naturaliter hoc efficere ſolent in ipſis brutis animalibus, ſicut eſt in textu, & in hominibus pleriſque omnibus qui non ſunt brutis ipſis ſtupidiores.

*Uſus* 1. *Increpationis*, adverſus Philoſophraſtros quoſdam, & eorum ſectatores, qui gloriam quandam ex eo affectant, quod in hiſce naturæ motibus, neque aliquid admiratione dignum, neque Dei proprium agnoſcunt. 2. *Directionis*, ut in iſtis omnibus terrificis non ad fortunam, aut cauſas ſecundas, ſed ad Deum præcipue reſpiciamus, & in eo acquieſcamus.

V. Magis adhuc affici debemus verbo Dei, & ſanctis ejus inſtitutis, quam tonitru, fulgure, & mirabilibus naturæ, ex v. 9. in fine.

*Ratio* 1. Quia plus Dei & gloriæ ejus in iſtis apparet: *totam gloriam*. 2. Quia magis diſtincte, & intelligenter in iſtis manifeſtatur: *eloquitur*. 3. Quia magis penetrant iſta ad internum ſpiritum hominis.

*Uſus* 1. *Increpationis*, adverſus tepiditatem & torporem eorum qui in ſacris iſtis vel ſine affectu, vel vulgari tantum ſolent verſari.

2. *Exhortatoinis*, ut elevemus animos & oculos noſtros ad gloriam illam Dei in verbo, & aliis ejus inſtitutis contemplandam, quæ poſſit nos hunc in modum commovere.

*Quæſt*. An peccati arguendus ſit qui minus commovetur verbo Dei, quam tonitru, terræ motu, &c.

*Reſp*. Diſtinguendum hic inter ſpirituales motus, & ſenſuales: ſenſus corporei ſolent etiam in piis magis affici hujuſmodi externis & ſenſibilibus objectis: ſed ſpiritualiter magis afficiuntur pii verbo & inſtitutis Dei ſacris.

VI. Ut rite afficiamur ſacris Dei inſtitutis, opus eſt fide, qua beatitudinem in illis nobis exhiberi credamus, ex verſ. 11.

*Ratio*. 1. Quia ſunt media ſalutis æternæ. 2. Quia ſi non ita recipiantur, cedunt in occaſionem mortis. 2 Corinth. 2. 16.

*Uſus Admonitionis*, ne circa ſacra Dei inſtituta ita verſemur ac ſi eſſent res leves, ſed ut circa illa, in quibus vertitur vita & mors noſtra æterna. Deuter. 32. 47. Hoſ. 8. 12.

VII. Ad iſtam fidem ſuſtentandam plurimum facit conſideratio potentis regni Dei, ex verſ. 10.

*Ratio*. Sufficientia & efficientia Dei in illo evidenter elucet.

*Uſus*. Ut iſtiuſmodi meditationibus foveamus in cordibus noſtris fidem veram.

## Psalmus Trigesimus.

*Psalmus Davidis, canticum dedicationis domus illius.*

2. *Extollam te Iehova, quoniam evexisti, neque lætitia affecisti inimicos meos de me.*

3. *Iehova Deus mi vociferantem ad te, curasti me:*

4. *Iehova, eduxisti è sepulcro animam meam; conservas me vivum, ne descenderem in sepulchrum.*

5. *Psallite Iehovæ, quos ipse benignitate prosequitur, & celebrate ad memoriam sanctitatis ejus.*

6. *Quum momento* fuit *in ira sua, vita* adest *benevolentia ejus: vespere si diversetur fletus, mane* adest *cantus.*

7. *Nam ego dicebam in tranquillitate mea, non dimovebor in seculum.*

8. *Iehova benevolentia tua constitueras in monte meo robur, te abscondente faciem tuam, fui conturbatus.*

9. *Ad te Iehova, clamavi; & Iehovam deprecatus sum,* dicens:

10. *Quid lucri* erit *in sanguine meo; quum descendam in foveam; an celebrabit te pulvis? nunciabitne veritatem tuam?*

11. *Audi Iehova, & gratiam fac mihi, Iehova esto adjutor mihi:*

12. *Convertisti planctum meum in choream mihi; solvisti cilicium meum; & accinxisti me lætitia:*

13. *Vt psallat tibi gloria, non conticescat Iehova, Deus mi, in seculum celebrabo te.*

## ANALYSIS.

Author, tempus, & occasio hujus Psalmi in titulo ejus indicatur, v. 1.

Scopus ejus est celebrare nomen Dei, propter conspirationem Absalonis fœliciter suppressam, v. 2. & 13. in fine.

Hoc autem præstat David 1. Professione sua propria, vers. 2, 3, 4. & 2. Cohortatione aliorum ad idem præstandum, v. 5. &c.

In professione sua propria officii votum nuncupat, *extollam te Iehova:* & causam ejus reddit, beneficium scilicet liberationis maximæ à Deo concessum, quod illustratur 1. Comparatione hominis ex aquarum abysso subvecti, *evexisti me.* 2. Oppositione contrarii effecti maxime odiosi, hoc pacto anticipati, *neque lætitia affecisti inimicos meos de me.* 3. Notatione causæ administrantis, quæ fuit oratio fervens Davidis, *vociferantem ad te.* 4. Comparatione liberationis à morbo, *curasti me,* & à morbo, ut in comparatione continuata ostenditur, gravissimo, ac plane lethali, certò ducente in sepulchrum, v. 4.

In cohortatione aliorum, similiter exponit & officium præstandum, *psallite Iehovæ,* quod illustratur à fine, *ad memoriam sanctitatis ejus;* & causam ejus ostendit: excellentem scilicet Dei benevolentiam, quæ primo generaliter ab opposita *ira* illustratur, per comparationem earum ut dissimilium effecto & imparium

duratione, v. 6. ſecundo ſpecialiter talis eſſe demonſtratur exemplo vel inſtantia deſumpta à Davidis perſona, v. 7. &c.

In hac ſpeciali inſtantia, declaratur primo ira Dei adverſus Davidem accenſa juſta & neceſſaria de cauſa, id eſt, propter ſecuritatem ejus carnalem, qua Dei benignitate fuerat abuſus, v. 7. & 8. ſecundo eadem ira ſic accerſita gravis fuiſſe declaratur per ejus effectum, v. 8. in fine. *Te abſcondente faciem tuam, fui conturbatus.*

Tum benevolentia aut miſericordia Dei declaratur ipſi prompta & parata fuiſſe per cauſam adminiſtrantem, invocationem nempe ſolam: in qua gratiam Dei implorat & celebrationem ejus vovet, v. 10. & 11.

Eadem etiam benevolentia ampliſſima fuiſſe declaratur, & ira longe ſuperior, per effectum ejus, quod oppoſito iræ effecto illuſtratur v. 12. & fine ſuo amplificatur, v. 13. qui idem ille fuit, cui opera datur in toto Pſalmo, & cujus nomine alii compellati fuerunt in exhortatione præcedente.

QUÆSTIONES.

*Quæſt.* 1. Qualis fuit dedicatio illa domus Davidis, quæ in titulo hujus Pſalmi commemoratur?

*Reſp.* 1. Dedicatio alicujus rei, ſignificat in Scripturis, deſtinationem, præparationem, & ſolemnem applicationem ejus ad legitimum uſum. 2. Quia vero uſus rerum legitimus, eſt vel ſacer, vel communis, idcirco hæc etiam dedicatio duplex eſt, vel enim ſacro uſui, ſingulari aliquo ritu proprio, & religioſo conſecratur; vel ad uſum communem, communibus officiis religioſe peractis, dirigitur, prioris exemplum eſt in domo Dei, 2 Chron. 7. 5. & in altari, Num. 7. 84. & Neh. 12. 27. Poſterioris, in domo Davidis hoc in loco, ſicut & Deut. 20. 5. Cujus generis etiam eſt dedicatio vel inſtitutio juventutis, Prov. 22. 6. Gen. 14. 14. 3. In priore dedicatione ſacra, cæremoniæ ſacræ ſolebant adhiberi: ſed in poſteriore nihil tale apparet, non debent iſta confundi.

*Quæſt.* 2. Qua ratione factum eſt, ut hujuſmodi dedicationes adhiberentur, & in primo uſu rerum, & in uſu earum repetendo, ut in iſthoc loco?

*Reſp.* 1. Idem debet (quoad ſummam rei) perpetuo præſtari: ſed quia talis eſt infirmitas noſtra, ut oblivio & negligentia iſtiuſmodi rerum facile nobis obrepat, idcirco ſtatis iſtis temporibus ut voluntatem & propoſitum noſtrum ſolemniter teſtatum faciamus, communis religionis inſtinctus docet. Sic etiam eſt in precibus quotidianis, mane ac veſpere adhibendis. 2. In initio aut principio, convenit iſta profeſſio beneficio à Deo donato: poſt intermiſſionem, convenit ejuſdem beneficii reſtitutioni, ac renovationi.

III. Qualis propria eſt ratio hujus dedicationis, quoad ædeis?

*Reſp.* Decet nos hac ratione profiteri, Deum eſſe Dominum ædium noſtrarum, nos vero ejus inquilinos ac feudatarios eſſe, atque adeo debere ipſi quaſi annuum reditum habitationis conceſſæ, qui conſiſtit in pia converſatione per totum illud tempus quo ædes illas inhabitamus.

IV. An jam ſub Evangelio dedicationes iſtæ ſint retinendæ?

*Reſp.* Dedicationes ſacræ, certis ritibus & cæremoniis peragendæ non debent ab hominibus tentari,

ſine ſingulari inſtitutione Dei. Sed communis rerum ſanctificatio per verbum & preces, non debet omitti. 1. Tim. 4. 5.

DOCUMENTA.

I. Ad fidelium officium pertinet, nomen Dei in honoris locum efferre v. 2. *extollam te*, id eſt, omni conatu tam verbis, quam factis, eniti, ut Deus agnoſcatur qualis eſt, ſupra omnia excelſus, & omni honore colendus. Ge. 14. 19. Ex 15. 2. Pſ. 57. 6. 12.

*Ratio* 1. Quia magnum eſt & reverendum. Pſal. 99. 3. 2. Quia ab impio mundo deprimitur quaſi in terram, & quaſi conculcatur. 3. Quia ſuper fideles ponitur & invocatur nomen Dei, ita ut ſanctificatio, vel profanatio ejus pendeat aliquo modo ab ipſis.

*Vſus Exhortationis*, ut pium hoc votum & ſuſcipiamus, & omni occaſione renovemus. *Extollam te Iehova.* Hac enim promiſſione non tantum res ipſa præſtatur, ſed & ejuſdem conatus conſtantia ſpondetur, & ſimul etiam ad ulteriorem gradum hujus officij adſpiratur.

II. Illi ſoli qui ſentiunt ſe à Deo ex profunda miſeria fuiſſe evectos, ſerio ſtudent nomini Dei efferendo, ex v. 2, 3, 4.

*Ratio.* Quia illi ſoli quaſi guſtu percipiunt bonitatem Dei.

*Vſus Admonitionis*, ne ex animis noſtris effluere ſinamus miſerias illas ex quibus Deus nos liberavit, ſed habeamus eas in perpetua recordatione.

III. Qui vere nomen Dei extollunt, omnem operam dabunt ut idem etiam ab aliis fiat. ex v. 5.

*Ratio.* 1. Quia hæc eſt natura gaudii & exultationis, ut ſeſe dilatet, & communionem quærat. Luc. 15. 6. 9. *Gratulamini mihi: nam inveni quod perdideram.* 2. Quia dum alios vocamus ad hoc faciendum, illud & præſtare nos pro viribus profitemur, & ſupra vires noſtras velle ut fiat, atque adeo aliorum opem in illum finem implorare.

*Vſus Increpationis*, adverſus eos, qui quomodo alii ſint erga Deum animati, ſuſque deque habent.

2. *Exhortationis*, ut non exemplo tantum, ſed & omni genere invitationis provocemus alios ad ſtudium pietatis.

IV. Benevolentiæ & benignitatis Dei declaratio, eſt efficaciſſima ratio ad iſtud ſtudium perſuadendum ex v. 6.

*Ratio.* Quia in bonitatem Dei fides, ſpes, charitas, feruntur, & per ejus declarationem confirmantur.

*Vſus Directionis*, ut gratiam Dei in Chriſto revelatam præcipue ſemper in oculis geſtemus.

V. Afflictiones piorum, ſi rectum judicium de illis feratur, non obſcurant, ſed illuſtrant bonitatem illam Dei. ex v. 7, 8. &c.

*Ratio.* 1. Quia ſolent adhiberi tanquam medicina contra ſecurum abuſum bonitatis Dei v. 7, 8.

2. Quia excitant pios ad eandem bonitatem ardentius & ſincerius apprehendendam, & proſequendam. v. 9, 10, 11. 3. Quia in illis tollendis bonitas Dei clariſſime & quaſi ante oculos hominum manifeſtatur, v. 12, 13.

*Vſus Admonitionis*, ut neque contemnamus caſtigationes Domini, neque propter illas animis frangamur, ſed bonitatem Dei in illis contemplari diſcamus. Heb. 12. 5, 6. &c.

PSAL.

## Psalmus Trigesimus primus.

*Magiſtro ſymphoniæ, Pſalmus Davidis.*

*2. Ad te, Iehova me recipio, ne erubeſcam in ſeculum : juſtitia tua libera me.*

*3. Inclina ad me aurem tuam, cito eripe me : eſto mihi rupes robuſta, locus munitiſſimus ad ſervandum me.*

*4. Nam petra mea & munitio mea es ; itaque propter nomen tuum agito me & deducito me.*

*5. Educito me è reti quod abſonderunt adverſum me : quia tu robur meum es.*

*6. In manum tuam depono ſpiritum meum : redemiſti me, Iehova* Deus *fortis, verax.*

*7. Odi eos qui obſervant vanitates vaniſſimas : nam ego in Iehova confido.*

*8. Me exſultaturum & lætaturum benignitate tua, quando aſpexeris afflictionem meam, agnoveris anguſtias animæ meæ.*

*9. At non tradideris me in manum inimici ;* ſed *ſtatueris in lato pedes meos.*

*10. Gratiam fac mihi, Iehova, nam anguſtia* eſt *mihi, contabeſcit præ indignatione oculus meus, anima mea, & venter meus.*

*11. Nam deficit mœrore vita mea, & anni mei gemitu : labefactatur pœna iniquitatis quam patior : virtus mea, & oſſa mea contabeſcunt.*

*12. Apud omnes hoſtes meos ſum probro, & apud vicinos meos valde, pavorique notis meis, aſpicientes me foris evagantur à me.*

*13. Oblivione ſepelior ab animo, ut mortuus : ſum ut inſtrumentum perditum.*

*14. Nam audio infamiam à multis, metum circumquaque, conſultando ſimul adverſus me è manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.*

*15. Ego vero in te confido, Iehova, dicens, Deus meus es.*

*16. In manu tua tempora mea ſunt, eripe me è manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.*

*17. Fac ut luceat facies tua ſupra ſervum tuum, ſerva me benignitate tua.*

*18. Iehova, ne erubeſcam, quandoquidem invoco te : erubeſcant improbi, exſcindantur* deſcenſuri *in ſepulcrum.*

*19. Muta reddantur labia mendacia : quæ loquuntur contra juſtum duriter, cum elatione & contemptu.*

*20. Quam multa eſt bonitas tua, quam recondis reverentibus te ! operaris erga eos qui ſe recipiunt ad te, coram filiis hominum !*

*21. Abdis eos in abdito præſentiæ tuæ, ab elationibus virorum : abſcondis eos in tugurio à contentione linguarum.*

*22. Benedictus* ſit *Iehova, quia mirificam reddit benignitatem ſuam erga me, ut in civitate munita* collocans me.

*23. Ego quidem dixeram in feſtinatione mea, exciſus ſum à conſpectu oculorum tuorum : Verumtamen audiſti vocem deprecationum mearum, quum vociferarer ad te.*

*24. Diligite Iehovam omnes quos benignitate proſequitur, fideles cuſtodientem Iehovam, & rependentem excellentiſſime, facientem res magnificas.*

25. *Confirmamini, & fortificabit animum vestrum; omnes qui speratis Jehovam.*

# ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est petere liberationem ex gravissima calamitate, qua ab inimicis premebatur.

Hæc petitio proponitur, suadetur, illustratur. Proponitur 1. Simpliciter, cum notatione *causæ unius*, v. 2. in fine. 2. Cum declaratione, à tempore & modo adjuncto liberationis petitæ, v. 3. 4. 3. In loco cum descriptione calamitatis à qua voluit liberari, v. 5. quæ repetitur vers. 16. 4. Cum notatione causæ primariæ ex qua pendebat ista liberatio. v. 10. in principio; quæ repetitur denuo, vers. 17. 5. Cum comparatione liberationis concessæ & negatæ, respectu effectorum oppositorum quæ inde erant secutura. v. 18. & 19.

Suasio hujus petitionis petitur, 1. A conditionis illius repræsentatione, cui Deus liberationem promisit, id est, à fiducia in Deo collocata, & jam actu ad istam causam applicata, v. 2. & 6. cujus argumenti vis illustratur ibi ab eventu liberationis negatæ: *ne erubescam in seculum*. 2. Ab adjuncta firmitate ipsius fiduciæ, quæ proportione quadam respondebat liberationi petitæ, ita ut nominis Dei interfuerit, petitionem illam concedi, v. 3, 4, & 5. 3. A causa ejus confirmante, *experientia* scilicet anteacta, v. 6. in fine. 4. A causa conservante, integritate scilicet conscientiæ, quæ declaratur per effecta, aversionem ab improbis idololatris, v. 7. & per promptitudinem illam animi, qua paratus fuit Deum celebrare pro liberatione concessa, v. 8. & 9.

Ad eandem petitionem suadendam, urgens ejus necessitas explicatur, per descriptionem calamitatis in qua versabatur. Illa vero amplificatur, 1. Ab internis effectis quæ in anima & corpore ejus pariebat, ver. 10. & 11. 2. Ab externis effectis quæ apud hostes & amicos ejus producebat, v. 12. & 13. Quorum effectorum causa notatur, v. 14. periculum scilicet, quod circumquaque ipsi imminebat. Hoc autem periculum & anxietatem, ut eo magis valere possit in petitione suadenda, conjungit cum illa fiducia quam antea fuerat professus, & applicat ad ejus maximam illustrationem per discretionem & separationem desperationis aut diffidentiæ, à tanta calamitate, v. 15, 16.

Illustratur ultimo in loco hæc petitio liberationis ab ejus effecto, quod positum quidem fuit in petitionis auditione, & liberationis præstatione; sed declaratur per suum etiam effectum aut fructum, gratitudinem scilicet Davidis tantum beneficium condigno modo celebrantis.

Hæc autem gratitudo duplici effecto explicatur; 1. Per mirificæ bonitatis Dei agnitionem & celebrationem, v. 20. ad 24. 2. Per excitationem aliorum ad eandem bonitatem recte agnoscendam, à v. 24. ad finem usq; Psalmi.

Agnitio & celebratio illa bonitatis Dei quæ ab ipso Davide adhibetur, respicit 1. Communem illam dispensationem bonitatis quam Deus exercet erga omnes pios, v. 20, 21. quæ & gradu dicitur *multa* & modo *recondita*, vel firma ac certa, quoad de-

deſtinationem, & aperta vel manifeſta quoad effectum ipſum: *coram filiis hominum,* v. 20. quæ etiam declarantur & modo executionis, arcano quidem, ſed tuto. *Abdis eos in abdito, abſcondis eos in tugurio:* & oppoſitione maximorum periculorum à quibus eo modo conſervantur, ab elationibus virorum, à contentionibus linguarum.

Eadem celebratione, ſecundo in loco, commemoratur ſingularis illa bonitas quam Deus exercuerat erga ipſum Davidem, v. 22, 23. quæ ſimilitudine *munitiſſimæ civitatis* illuſtratur, v. 22. & à magnitudine periculi, in quo verſatus fuerat, una cum deſperatione ad quam illa ratione ſollicitatus fuerat, amplificatur v. 23.

Excitatio vel hortatio aliorum fidelium, ad iſtam bonitatem recte agnoſcendam, duos complectitur affectus hujus bonitatis contemplatione excitandos; quorum prior eſt, ſumma æſtimatio & dilectio Dei propter bonitatem illam, quam erga ſuos extendit, v. 24. Poſterior eſt, confirmatio animi ex fide & fiducia in illa bonitate collocata, ad illa omnia officia fortiter & conſtanter ſuſcipienda, & peragenda, quæ ſpectant ad Dei voluntatem perficiendam, & honorem ejus promovendam, v. 25.

QUÆSTIONES.

I. Frequens illa iteratio unius & ejuſdem petitionis, quæ in iſtoc Pſalmo adhibetur, quomodo conſiſtere poſſit cum regula illa Servatoris, quæ habetur Math. 6, 7?

*Reſp.* 1. Repetitio ejuſdem rei in precibus aliquando eſt ab inopia interni affectus: aliquando autem ex abundantia cordis. Prioris generis repetitio damnatur à Servatore, Matth. 6. 7. Poſterior autem & in ſanctis aliis approbatur, & ab ipſo Salvatore uſurpatur, Matth. 26. 44. 2. Magnus eſt uſus hujus repetitionis ab effectu ebulliente proficiſcentis: ſicut enim in repetitione ejuſdem rei à Deo erga nos adhibitæ certitudo, & celeritas ſignificatur. Gen. 41. 32. ſic etiam in repetitione ejuſdem petitionis erga Deum, fideles aſpirant & contendunt eo, ut certitudinem ejus majorem conſequantur, & optatum reſponſum poſſint accelerare.

II. Quomodo conſiſtere poſſit, ut in uno & eodem Pſalmo, tam triſtes affectus, & perturbationes gravi querela exprimantur, quales à verſ. 10. ad 15. continentur: & ſimul tamen lætiſſimi affectus gaudii & gratulationis oſtendantur; quales illa gratiarum actio declarat, quæ à verſ. 20. ad finem uſque Pſalmi explicatur.

*Reſp.* 1. Fundamentum hujus conjunctionis affectuum plane oppoſitorum in precibus poni ſolet, quando firma fiducia ſuperatur omnis anxietas & dubitatio, ita ut ipſa liberatio quæ expetitur, apprehendatur quaſi præſens. 2. Cum tamen ſolemnis hujuſmodi laus de liberatione conceſſâ diſtincte in aliquo Pſalmo opponitur gravi querelæ, tum ille Pſalmus quamvis magna ex parte, & quoad ſummam rei orationem illam exprimat, quam David conceperat cum in periculis verſabatur, complete tamen formatus & editus videtur, poſtquam illa pericula evaſit: unde affectus præteritos, & præſentes ſimul repræſentat, quamvis ſimul ipſi non adfuerint. Apparet hoc ex v. 23. ubi tempora iſta diſtinguuntur.

Do-

DOCUMENTA.

I. Servi Dei liberationem ac salutem expectare possint ab ejus justitia v. 2. in fine; sic Psal. 5. 9. & 35. 25. & 71. 1, 2.

Justitia vero non intelligitur illa, qua merito tribuitur merces; sed æquitatis justitia quoad causam de qua agitur, & fidelitatis in promissionibus omnibus certo & constanter præstandis: quæ justitia optime consistit cum gratia, & miserecordia, sicut apparet ex v. 10, 17, 20.

*Ratio* 1. Quia Deus non minus accurate præstat fidem suis datam, quam summa justitia quidquam potest præstare, ubi accuratissime observatur. 2. Quia recta & justa Dei natura, quam ille non potest abnegare, hoc ipsum postulat & spondet.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne aliis causis nos immisceamus, quam iis de quibus Dei justitiam possimus fidenter implorare. 2. *Consolationis*, erga omnes pios in causis bonis, quia ipsa justitia & natura Dei jubet ipsos bene sperare.

II. Ex eadem justitia possunt fideles celerem, fortem, & providam liberationem exspectare, ex v. 3, 4, 5.

Celeritas autem intelligi debet non à nobis definita, sed à Deo constituta: fortitudo ac robur, non quod in causis secundis appareat, sed quod nititur Dei manu omnipotenti: providentia etiam non carnalis, quam ratio nostra optaret, sed divinæ sapientiæ congruens.

*Ratio* 1. Quia hæc omnia sunt à Deo promissa. 2. Justitia Dei hæc omnia postulat etiam ab hominibus illis, quorum tutelæ suos commisit, multo magis à seipso.

*Usus Consolationis*, quod omnis Dei perfectio, id est, sufficientia & efficientia ejus, facit ad salutem nostram perficiendam.

III. Certissimum argumentum liberationis ac salutis optatæ consequendæ est vera & viva fiducia in Deo collocata, ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia primaria conditio est fœderis, quo Deus omnia nobis promittit. Ier 17. 7, 8. 2. Quia medium est primarium, quo bona omnia promissa consequimur & facimus nostra, Heb. 11. 33. 3. Quia talis est natura hujus fiduciæ, ut si frustra esset, necessario puderet pios & suimet, & aliquo modo Dei, de quo tanta sibi polliciti fuerant cum gloriæ ejus obscuratione. *Ne erubescerem*, v. 2. *propter nomen tuum*, v. 4. sic Ps. 22. 6. & 25. 2. & 71. 1.

*Object.* Fidelibus non semper accidit secundum eorum fiduciam.

*Sol.* Quamvis non semper fiat, quod fidentes exspectant quoad modum, semper tamen fit, quod fiducia exspectat quoad essentiam & summam rei. Si non succedat ad voluntatem, semper tamen succedit ad salutem.

*Usus Exhortationis*, ut præcipua nostra cura sit, ut fiduciam in Deo rectã firmam & vividam conservemus.

IV. Fiducia ista nititur omnipotentia Dei, v. 3, 4, 5. *rupes, petra, munitio, robur*.

*Rat.* 1. Quia nemo potest alicui fidere, nisi persuasum habeat eum, quod promisit, posse etiam efficere. Ro. 4. 21. 2. Quia tantæ difficultates exoriuntur piis, ut eas nulla ratione possint superare, nisi confugiendo ad omnipotentiã Dei. Ro. 4. 19. 3. Quia gloria hæc Deo est tribuenda, ib. v. 20

*Usus directionis*, ut assidua contemplatione divinæ omnipotentiæ fiduciam nostram in eo confirmemus.

V. Natura & eſſentia fiduciæ eſt in eo ſita, ut animas noſtras, noſque ipſos totos, tanquam depoſitum Deo tradamus conſervandum, ex v. 6. Luc. 23. 46. 2 Tim. 1. 12. 1 Pet. 4. ult.

*Ratio* 1. Quia fiducia in Deo collocata præequirit confeſſionem inſufficientiæ noſtræ aut creaturæ cujuſcunque ad nos ſervandos. 2. Quia pendet à Deo, pro omnimoda ſalute. 3. Quia fiducia vera ſic pendet à Deo, ut promptos nos reddit ad omnia officia & pericula ſubeunda ex voluntate Dei, ſine anxia & ſolicita cura de nobiſmetipſis, hoc autem nemo aſſequi poteſt, niſi qui animam ſuam apud fidelem depoſitarium in tuto ante collocavit.

*Uſus* 1 *Conſolationis*, erga fideles, quod animis eorum tam bene ſit proſpectum. 2. *Admonitionis*, 1. Ut *bene agendo* ſic animas noſtras Deo commendemus. 1 Pet. 4. ult. 2. Ut depoſitum à Deo nobis commendatum religioſe ſervemus. 1 Tim. 1. 18. & 6. 20.

VI. Fiducia piorum experientia firmatur & ſuſtentatur. ex v. 6. in fine. Rom. 5. 4.

*Ratio* 1. Quia bonum optatum poſſibile demonſtrat, à fuiſſe ad poſſe eſſe: ab eo quod Deus fecit, ad illud quod facere poſſit argumentando aſſurgit. Jeſ. 59. 1. 2. Quia idem etiam non tantum probabile, ſed certo futurum fiducia oſtendit: propter immutabilem Dei bonitatem & veracitatem, ſicut eſt in textu. 1 Sam. 17. 36. Phil. 1. 6.

*Uſus Directionis*, ut diligenter obſervando, & recordando, quid Deus pro nobis fecit, ædificemus noſmetipſos in conſolatione ſpei, de iis quæ cupimus inſuper ab eo fieri.

VII. Fiduciam hujuſmodi vivam, comitantur ſemper ſummum odium eorum quæ Deo adverſantur, & ſtudium fervidum eorum quæ ſpectant ad gloriam Dei. ex v. 7. & 8.

*Ratio*. 1. Quia fidei veræ ſedes & quaſi arca, in qua conſervatur, eſt conſcientia bona. 1 Tim. 3. 9. 2. Quia viva apprehenſio bonitatis & perfectionis Dei, ſua natura parit faſtidium & averſationem ab oppoſitis. Jerem. 16. 19. & propenſionem in Deum ipſum adauget. 2 Cor. 5. 14.

*Uſus* 1 *Redargutionis*, adverſus eos, qui fiduciam quandam præ ſe ferunt, ſine ullo odio impietatis, aut vero zelo Dei. 2. *Exhortationis*, erga fideles, ut exſuſcitent ſuam fidem ad affectus iſtos pios in cordibus ſuis accendendos.

VIII. Graviſſimæ afflictiones veram fiduciam non extinguunt, ſed exercent, exacuunt, & actuoſam reddunt. ex v. 10, ad 15.

*Ratio* 1. Quia urgent & impellunt homines ad quærendum opem ejus in quo fiduciam ſuam collocarunt. 2. Quia argumentum ſuppeditant in miſericordia Dei ſperandi, quatenus proprium objectum ejus repræſentant.

*Uſus* 1 *Damnationis*, adverſus eos, qui in afflictione vel plane deficiunt Matth. 13. 21 vel animos deſpondent. Heb. 12. 5. 2 *Exhortationis*, 1. Ut ad afflictiones recte ferendas, vera fiducia nos armemus. 2. Ut afflictiones ipſas faciamus nobis occaſionem ejuſdem fiduciæ excitandæ & confirmandæ.

IX. Fiducia in gravibus afflictionibus perdurans, & vires acquirēs, validam conſolationem adferr-

ex v. 15. Heb. 6. 18. Psal. 44. 18. est quasi aurum per ignem exploratum. 1. Pet. 1. 7.

*Ratio* 1. Quia fidei ac fiduciæ gloria in eo consistit, si omnes adversas tentationes vincat. Rom. 8. 37. 1 Joh. 5. 4 2. Quia talis fiducia promissionem Dei habet specialem. Psa. 50. 51. 3. Quia hac ipsa fiduciæ conservatione, ab aculeo ipso & vi omni afflictionum externarum, quæ sunt vera mala, liberamur. Orationis Dominicæ petit. 6.

*Usus Directionis*, ut in omni afflictione, prima & præcipua nostra cura ponatur in fiducia vera conservanda & excitanda.

X. Ad fiduciam confirmandam, præsertim in tentatione, requiritur animi contentio in pia & frequenti meditatione eorum, quæ alunt fidem. ex v. 15. in fine. *dicens Deus meus es*. Psa. 119. 57.

*Ratio* 1. Quia hujusmadi cogitationes suffulciunt fiduciam: & objectum ejus commode repræsentando, & actus ejus iterando. 2. Quia hac ratione luctatur Spiritus in nobis, & per nos adversus carnem. 3. Quia cogitationes adversæ non possunt alia ratione excludi aut extingui.

*Usus Exhortationis*, ut exerceamus nosmetipsos ad hujusmodi soliloquia coram Deo habenda.

XI. Meditatio fiduciam alens versatur circa gratiam, & potentiam Dei. ex v. 15, 16. *Deus meus es: In manu tua tempora mea sunt.*

Tempora enim per metonymiam adjuncti significant conditionis varietatem, quæ temporum habet vices: unde quædam tempora læta, & quædam tristia, gravia, & calamitosa: quorum omnium dispositionem, dum fides apprehendit pendere à Deo nostro, animus hoc pacto vivificatur. Psal. 34. 13. & similis phrasis est 1 Chro. 29. 30. 1 Pet. 3. 10. Ps. 116. 2. & 119. 84. & 137. 7.

*Ratio*. Quia ex istis duobus pendet omnis nostra salus.

*Usus Exhortationis*, ut in istis cogitationes nostras habeamus defixas. Rom. 4. 21.

XII. Fiducia vera, sicut gratiam expetitam persequitur ardentibus precibus, sic etiam eandem gratiam collatam celebrat gratitudine congruente. ex v. 20. *&c.*

*Ratio* 1. Quia Deo fidens præcipue & ultimo respicit, non suum commodum, sed gloriam Dei: & synceritas illius intentionis antecedentis necessario requirit, ut ista gratitudo consequatur. 2 Quia gaudium exsurgens ex desiderio impleto, idem habet objectum cum ipso desiderio: si igitur à Deo syncere aliquid desideremus, necesse est ut in Deo etiam gaudeamus, post desiderium impletum. 3. Quia Deus hoc exigit quasi tributum, aut vectigal, ex suis beneficiis sibi reddendum. Ps. 50. 15.

*Usus damnationis*, adversus leprosos Christianos, vel illos qui similes sunt novem leprosorum. Luc. 17. 17.

XIII. Magnas Dei benedictiones celebrare debemus cum administratione. ibid. & 22. Psalm. 40. 6. 1 Chron. 29. 14. Luc. 1. 43.

*Ratio*. Quia bonitas Dei in istis beneficiis elucens, non tantum superat nostra merita, sed & captum nostrum, atque adeo omnem gratiarum actionem quam distincte possumus ipsi offerre. Nehem. 9. 5.

*Vſus increpationis*, adverſus tepiditatem ac torporem noſtrum admirabilem, quo fit ut Dei bonitatem non poſſimus admirari.

XIV. Mirabilis Dei bonitas erga fideles, eſt partim recondita, & partim aperta. ex v. 20.

*Ratio* 1. Recondita eſt quoad fontem. 1 Johan. 3. 1. 2 Col. 3. 3. quoad amplitudinem, vel plenitudinem. 1 Corinth. 2. 9. & quoad obſignationem internam. 1. Corint. 2, 11, 12. Apoc. 2. 17. Prov. 14. 10. 2. Eſt etiam partim aperta quia palam apparent varia ejus effecta: ita ut poſſit videri ab omnibus iis qui oculos habent ad videndum. Jeſ. 61. 9.

*Vſus directionis*, ut theſaurum bonitatis Dei æſtimare diſcamus, non ex eo tantum quod apparet, ſed ex eo quod promittitur, atque adeo fidelibus certo præparatur.

XV. Apparet maxime mirifica Dei bonitas in mirifica piorum protectione & liberatione, ab illis periculis, quæ videntur plane inevitabilia. ex v. 21. unde etiam pii vocantur *abditi Dei*. Pſalm. 83. 4.

*Ratio*. Quia mala illa à quibus pii conſervantur, magis incurrunt in hominum ſenſus, quam bona quibus ornantur.

*Vſus increpationis*, adverſus eos, qui iſtis liberationibus parum aut nihil afficiuntur.

XVI. Pii ſolent imprimis obſervare & confiteri bonitatem iſtam Dei ſibi particulariter communicatam. ex v. 22.

*Ratio*. Quia benignitas Dei erga alios obſervari poteſt, cum invidia, ſine efficacia, & fructu. Pſalm 37. & 75. Jerem. 12. ſed propriæ & particularis benedictionis ſenſus gratitudinis affectum parit. Pſal. 103. 1, 2, 3. &c.

*Vſus admonitionis*, ne bonitatem Dei nobis communicatam ſine agnitione condigna præterire ſinamus.

XVII. Infirmitas noſtra amplificat & illuſtrat Dei bonitatem. ex v. 23. Pſal. 116. 11. Jon. 2. ver. 4.

*Ratio* 1. Quia tollit arrogantiam. Deut. 9. 6. 7. 2. Quia bonitatis & gratiæ divitias oſtendit, quod in tam indignos fertur. Rom. 5. 8. 20.

*Vſus directionis*, ut in bonitatis Dei contemplatione, noſtras infirmitates, & peccata in memoriam revocemus.

XVIII. Benignitas Dei cum indignitate noſtra rite comparata, accendit animos noſtros, pio affectu benedicendi Deo. v. 22

*Ratio*. Quia ſic pleniſſime apprehenditur benignitas dei: & pleniſſimus affectus ex tali apprehenſione emanans, dicitur proprie benedictio. Deut. 8 10. Pſalm. 145. 10. Gratiarum actio, laudatio, magnificatio, & glorificatio Dei continentur in benedictione noſtra erga eum: ſicut omnia bona continentur in ejus benedictione in nos collata.

*Vſus exhortationis*, ut hac ratione excitemus animos noſtros ad benedicendum Deo.

XIX. Eodem affectu, quo quis Deo ſyncere benedicit, fertur etiam ad alios vocandos in ejuſdem officii participationem. ex ver. 24.

*Ratio* 1. Quia omnes affectus ſpirituales tendunt ad communionem Sanctorum. 1 Corinth. 12. 25. 2. Quia lætitiæ & gaudii natura eſt, ut ſit communicativum ſui, & ſocietatem quærat. Luc. 15. 6. 9.

3. Quia charitas & zelus erga Dei gloriam, ex quibus benedicendi actus exurgit, hoc necessario inferunt secum. Joh. 21.15,16. 4. Quia nulla alia ratione possumus nos Deo benedicere, quam agnoscendo & declarando ipsius bonitatem. Deus nobis benedicit effective & realiter: nos ipsi benedicimus dedeclarative tantū, tanquam testes. hoc autem nulla ratione magis perficitur, quam cum apud quamplurimos ita testatam facimus bonitatem illam Dei, ut illi excitentur ad eum glorificandum.

*Usus Explorationis*, an nos syncere afficiamur erga Deum in nomini ejus benedicendo.

XX. Studium Deo benedicendi pendet ex dilectione Dei. ibid.

*Ratio* 1. Quia bene alicui dicere, aut facere, provenit ex eo quod bene ipsi velimus. Bene autem velle alicui, est eum diligere. 2. Quia proprius fructus bonitatis Dei, rite à nobis apprehensæ, est dilectio. 3. Quia Deo adhærere in ipsius gloriam, est eum diligere. Joh. 23.8,11.

*Usus Exhortationis*, ut inprimi curemus corda nostra ad sanctum istum affectum circumcidi. Deut. 30. 6.

XXI. Fides apprehendens illa quæ deus fidelibus promisit, est causa dilectionis. ibidem in fine.

*Ratio* 1. Quia sola fide apprehenditur & applicatur bonitas Dei. 2. Quia fidei virtute dilectionis fructus repræsentatur. 3. Quia per illam fidem dilectionis impedimenta tolluntur.

*Usus Directionis*, ut fidem imprimis curemus, tanquam dilectionis & omnis gratiæ fundamentum.

XXII. In fide ac spe debemus omnibus argumentis corda nostra assidue fortificare. ex vers. 25.

*Ratio* Propter multiplices infirmitates, & tentationes quibus obnoxii sumus.

*Usus Increpationis*, adversus securitatem, præsumtionem, negligentiam, & socordiam nostram, quà fit ut fortificationis istius vel nulla, vel perexigua cura habeatur.

## PSALMUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

Davidis ode didascalica. *Beatus levatus à defectione, cujus tectum est peccatum.*

2. *Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem, & cujus spiritui non inest dolus.*

3. *Quum silerem, inveterascebant ossa mea; in rugitu meo toto die.*

4. *Nam interdiu & noctu gravis erat super me manus tua; convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas maxime.*

5. *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam, (i. quibam) Confitebor defectiones meas Jehovæ, & tu sustulisti pœnam peccati mei maxime.*

6. *Propter hoc oratum est te, quemcunque benignitate prosequeris quo tempore obvenerit (in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertingent tantum) dicens:*

7. *Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me: cantionibus liberationis*

*onis circumdato me maxime.*

8. *Erudiam te & docebo te qua via ambulaturus ſis; conſilium dabo,* attento *in te oculo meo.*

9. *Ne eſtote ut equus, ut mulus, expertes intelligentiæ: cujus os fræno & habena conſtringendum* eſt, *ne appropinquet ad te.*

10. *Magni dolores* ſunt *improbo: qui autem fiduciam habet in Jehova, benignitas circumdat eum.*

11. *Lætamini in Jehova, & exſultate juſti;* & *cantate omnes recti animo.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Pſalmi generaliter indicatur in titulo, quod ſit *ode didaſcalica:* id eſt, erudiens ac docens, ſicut explicatur v. 8. Specialiter autem erudit ac docet homines qua via poſſint ad beatitudinem veram pervenire. ſicut apparet ex principio, *Beatus homo*, Apoſtolo ipſo interprete, Rom. 4. 6, λέγει μακαρισμόν, prædicat vel declarat beatitatem.

In iſtum finem 1. Deſcribitur hæc beatitudo v. 1, & 2. 2. Confirmatur illa deſcriptio exemplo & experientia ipſius Davidis. v. 3, 4, & 5. 3. Officium eorum declaratur, quibus iſta veritas innoteſcit. 1. In illa beatitudine applicanda. v. 6, & 7. 2. In doctrina admittenda & conſolatione ejus firma retinenda. v. 8, 9, & 10. 4. Fructus beatitudinis hujus ita deſcriptæ, confirmatæ, applicatæ, & conſervatæ, declaratur verſ. 11.

Deſcriptio beatitudinis petitur 1. A cauſa efficiente, & continente, quæ eſt remiſſio peccatorum vel juſtificatio cum ejus effectis. 2. A cauſa ejus inſtrumentali, quæ eſt fides cum pœnitentia non ſimulata, ex intimo *corde* petens & apprehendens illam remiſſionem *ſine dolo.*

Confirmatio hujus deſcriptionis petitur ab exemplo Davidis, in quo hæc beatitudo illuſtratur per comparationem miſeriæ illius, quæ remiſſionis peccatorum, ac ſyncerae pœnitentiæ defectum comitabatur, cum illa fœlicitate quam per illas poſtea conſequebatur.

Applicatio hujus beatitudinis oſtenditur præcipue conſiſtere in miſericordia Dei cum fiducia imploranda.

Admiſſio doctrinæ in ſubjectione docilitatis.

Conſervatio ejus in obedientia & conſcientia bona collocatur.

Fructus eſt ſanctum gaudium in Deo, & nominis ejus glorificatio.

### DOCUMENTA.

I. Beatitudo ab omnibus expetitur. ex v. 1. Pſalm. 4. 7. Hinc eſt quod in graviſſimis quoque inſtitutione & exhortatione, quæ pertinent ad omne genus hominum, beatitudo primo in loco nominatur, ac promittitur iis qui auſcultant. Pſalm. 1. 1. Pſalm 119. 1. Mat. 5. 2. Pſalm. 34 13.

*Ratio* 1. Quia hoc eſt naturale, ut omnia appetant ſuum finem & perfectionem. 2. Quia omnes homines experiuntur aliquem defectum, indigentiam, aut privationem fœlicitatis. 3. Quia Deus voluit in ipſa natura humana corrupta ali-

quam inclinationem remanere, qua feratur ad ipsum aliquo modo quærendum. Act. 17.27.

*Object.* Hujusmodi desiderium in multis non apparet.

*Sol.* Non apparet in actu distincto, & rite ordinato: apparet tamen confuse & in communi, duplici errore oppressum: quod beatitudo falsa quæritur tanquam vera: & vera deseritur ac rejicitur tanquam falsa. Jer. 2.13.

*Usus exhortationis,* ut evigilemus tandem, & excitemus nosmetipsos ad seriam curam beatitudinis nostræ, quæ etiam ab ipsa natura nobis commendatur.

II. Decipiuntur omnes, qui beatitudinem alibi quærunt, quam in Deo. ex v.2. *Beatus homo cui Iehova.* Deut. 33. ult. Psal. 16.11.

*Ratio* 1. Quia nihil præter Deum sufficiens est ad satisfaciendum desideriis omnibus naturæ nostræ. 2. Nihil præter Deum absolutum est ac independens, ita ut in eo tanquam ultimo bono acquiescere possimus. 3. Nihil præter Deum est prorsus immutabile, & æternum. 4. Nihil præter deum homine ipso perfectius, quod potest ab homine possideri. 5. Nihil præter Deum, quod possit à nobis omnem miseriam, & miseriæ causas amovere, & prohibere.

*Usus admonitionis,* ut caveamus nobis, ne pernitiosum istum errorem cum mundo erremus.

III. A beatitudine in Deo consequenda peccatis nostris impedimur. Jer. 59.2. Rom 3.23.

*Ratio* 1. Quia reatus peccati in conscientiis nostris, onus est ingens, quo deprimimur, quo minus ad Deum assurgamus. in textu. Matth. 11.28. 2. Quia impuritas & pollutio peccati abominabiles nos reddit coram oculis Dei. Hab. 1.13. 3 Offensio peccati tanta est, ut non possimus pro illa satisfacere. 4. Non tantum privat nos his rationibus beatitudine à Deo communicanda, sed maledictione Dei nos involvit. *Maledictus qui non manserit in omnibus.*

*Usus directionis,* quomodo affici nos decet erga peccata, odio & horrore: erga peccatores, commiseratione: erga nosmetipsos, sollicitudine maxima de liberatione à peccatis.

IV. Nemo mortalium immunis est ab iis peccatis, quæ ex sese beatitudinis inferunt privationem. Ex eo colligitur, quod nulla spes beatitudinis sit cuiquam, nisi per abolitionem peccatorum. Psal. 130.3. & 143.2. 1 Joh. 1.8,10.

*Ratio* 1. Quia omnes in Adamo peccarunt, & in peccato nascuntur, atque adeo sunt filii iræ. 2. Quia tentationibus tam multis sumus obnoxii, & infirmitates nostræ tantæ sunt, ut actualia peccata ab illo insito inhabitante peccato pullulare non cessent. 3. Quia propter illam repugnantiam ad legem Dei, quam habemus nobis insitã, optimi nostri conatus variis defectibus inficiũtur.

*Usus 1. Refutationis,* adversus Pontificiorum errores, quibus statuunt peccata varia venialia: & legem à multis perfecte servari. 2. *Directionis,* ut primum principium beatitudinis quærendæ, in humiliatione de peccatis nostris collocemus.

V. Beatitudo nostra ita dependet à peccatorum remissione, ut in illa quasi consistat. v.1, & 2.

*Ratio.* Quia remissio hæc & removet impedimenta, & est propria

pria cauſa, certiſſime & efficaciter producens beatitudinem æternam, tanquam ſuum effectum. Beatitudo ſæpe in Scripturis tribuitur virtutibus, & officiis variis, Pſ. 1 1. & 119. 1. Mat. 5. 1. &c. tanquam mediis adjunctis, & ſignis: ſed huic ſoli gratiæ, remiſſioni peccatorum. & Chriſto, in quo remittuntur, tribuitur, tanquam cauſæ. Rom. 4. 6.

*Vſus 1. Refutationis*, adverſus Pontificios, & alios, qui beatitudinem quærunt ex ſua propria juſtitia, & operibus bonis.

*Vſus 2. Directionis*, ut hanc unicam viam conſectemur beatitudinis conſequendæ.

VI. Magna eſt Dei gratia, qua peccata noſtra remittuntur. ibidem. hoc eo ipſo innuitur, quod tam emphatica repetitione, & quaſi congerie verborum, declaratur: quia rei tantæ nulla ſufficit orationis forma.

*Ratio 1.* Quia peccata noſtra ſunt multifaria; *defectio, peccatum, iniquitas.* 2. Quia maximum periculum nobis creant. ſunt onera *levanda*, fœditates *tegendæ*, & debita *non imputanda*, niſi cum perditione noſtra. 3. Quia gratia Dei abundans eſt ad omnia tollenda, *levat, tegit*, & *non imputat.*

*Vſus 1. Refutationis*, adverſus Pontificios, qui gratiam hanc Dei extenuant, dum pœnas peccati poſt remiſſionem docent manere, per ſatisfactiones noſtras amovendas. 2. *Conſolationis*, erga omnes fideles, adverſus peccati reatum, & conſcientiæ terrores. 3. *Exhortationis*, ut omni collato ſtudio iſtam gratiam apprehendere conemur, & gloriam ejus Deo tribuere.

VII. Gratiam ac fœlicitatem iſtam nemo participat, niſi qui ſyncere, & ſine dolo, à ſuis peccatis reſipiſcunt, & ad Dei miſericordiam ſe recipiunt, ex v. 2. in fine, Actor. 8. 22.

*Ratio 1.* Quia alii non ſunt capaces hujus gratiæ, quia non poſſunt eam guſtare vel rite æſtimare. 2. Quia remiſſio talibus indulta, eſſet confirmatio in peccatis, vel quaſi conceſſio veniæ peccandi. 3. Quia tales homines ad finem & fructum remiſſionis, qui in Deo honorando ponitur, ſunt prorſus inepti.

*Vſus admonitionis*, ut imprimis curemus ſyncere, & ſine fraude, cum Deo agere, de omnibus noſtris peccatis quibus eum offendimus.

VIII. Iſta omnia, quæ ſpectant ad gratiam Dei, fœlicitatem eorum qui ſyncere Dei miſericordiam quærunt, pertinent ad experientiam omnium piorum, ver. 3, 1 Pet. 2. 3. 1 Tim. 1. 12. 15.

*Ratio 1.* Quia hac via transferuntur ex ſtatu peccati, in ſtatum gratiæ. 2. Quia ſubinde & jam, cum tentationibus exercentur, eadem via emergunt.

*Vſus Redargutionis*, adverſus eos, qui pietatem profitentes, de iſtis tamen nihil præter auditum habent.

IX. Piorum experientia docet, dolum cordis difficulter excuti, ſed cum magno noſtro malo foveri. ex v. 3. & 4. Job. 33. 19. & 36. 9. Lam 3. 39.

*Ratio.* Quia omnes favent ac parcunt ſibimetipſis, nec facile ſemetipſos judicant & condemnāt. Hinc peccati abnegatio, occultatio, excuſatio, mitigatio, & indulgentiæ præſumptio. Pſalm. 36. 2.

*Vſus admonitionis*, ut eo magis caveamus nobis ab iſto dolo, ne locum habeat in cordibus noſtris.

X. Dolus iste deponitur, & remissio simul ex misericordia Dei obtinetur, solummodo per confessionem ingenuam. v. 5 Pro. 28. 13. 1 Joh. 1 9, 10. Jer. 3, 13. 1 Cor. 11. 31. Jon. 4. 10.

*Ratio* 1. Quia syncera confessio in sese complectitur humiliationem, pœnitentiam, & spem. in textu. v. 5. 2. Quia gloriam justitiæ tribuit Deo. Psalm. 51. v. 6. 3. Quia gloriam etiam gratiæ Dei illustrat, & ad genuinam ejus receptionem disponit: misericordia enim non habet locum, vel quoad rem ipsam, vel quoad perceptionem, nisi miseria præeunte.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ut animos nostros comparemus ad seriam peccatorum nostrorum confessionem. Psalm. 38. 18, 19. 2. *Consolationis*, erga eos qui ita sunt comparati. Psalm. 19. 26. Iesaiæ 65. 24.

XI. Misericordia ista Dei, qua peccatoribus peccata sua humiliter confitentibus reconciliari dignatur, cum exemplis elucescit, excitat omnes pios in suis periculis, ad nomen Dei cum fiducia invocandum. ex v. 6. 1 Tim. 1. 16.

*Ratio* 1. Quia misericordia Dei suis effectis elucens, spem piorum confirmat: dum rem speratam, non tantum ut possibilem, aut probabilem, sed etiam ut certam, propter immutabiles Dei vias, repræsentat. 2. Quia pietatis talis est indoles, ut qualibet invitatione excitetur, imo occasiones omnes captet appropinquandi Deo. Prov. 9. 9.

*Usus exhortationis*, ut istiusmodi exempla adhibeamus ad fidem ac spem nostram suffulciendam in vera invocatione Dei, sicut Aaron & Hur sustentabant manus Mosis. Exod. 17. 12.

XII. Fiducia vera, inter orandum, apprehendit firmiter misericordes Dei promissiones. ex v. 6. & 7. Jac. 1. 5.

*Ratio*. Quia sunt fidei ac spei objectum, orationis fundamentum, & desideriorum piorum complementum.

*Usus directionis*, ut inter orandum oculos fidei defixos habeamus in promissionibus Dei.

XIII. Certus fructus orationis fidelis, est copiosa benedictio Dei, propter gratiam communicatam. ex v. 7. in fine. 2 Corinth. 1. 11.

*Ratio* 1. Quia Deus audit orationes, ut glorificetur. Psalm. 50. 15. 2. Quia religio æque disponit ad gratiarum actionem de gratia concessa, ac ad petitionem ejusdem concedendæ.

*Usus admonitionis*, ne ista duo ullo modo separemus, quæ Deus & ipsorum natura conjunxit.

XIV. Benedictio & glorificatio Dei, præcipue consistit in obedientiæ cura. v. 8. 1 Corinth 6. 20. *Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ sunt Dei.*

*Ratio*. 1. Quia hac ratione offerimus nosmetipsos totos Deo, tanquam sacrificium laudis Secundum illud Apostoli ad Rom. c. 12. v. 1, 2. *Adhortor vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum: Et ne vos configurate seculo isti, sed transformate vos*, &c. 2. Quia simul etiam prædicamus virtutes Dei, 1 Pet. 2, 9. *Ut virtutes prædicetis illius qui vos vocavit.* 3. Quia alios etiam invitamus & excitamus ad Deum glorificandum Mat. 5. 16, 1 Pet. 2. 12.

*Vſus exhortationis*, ut maxime omnium in obedientiæ ſtudium incumbamus.

XV. Obedientiam erga Deum promovere debent omnes pro modo ſuo, etiam docendo. ex v.8. Luc. 8. 39. *Revertere domum tuam, & narra quanta tibi præſtiterit Deus.* Heb. 3. 13 *Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur ſeductione peccati.*

*Ratio* 1. Quia hæc pars eſt magna communionis Sanctorum 2. Quia zelus gloriæ Dei & charitas erga proximos hoc requirit.

*Vſus exhortationis*, ut de lumine quod accepimus, lumen aliis accendere ſtudeamus.

XVI. Qui ab eruditione recipienda ſunt alieni, ſimiliores ſunt brutis, quam ſapientibus. verſ. 9 Prov.26.3. *Vt flagellum adhibetur equo, frænum aſino; ita virga tergo ſtolidorum.* & 27.22. *Si contunderes ſtultum in mortario cum mola piſtlo, non recederet ab eo ſtultitia ejus*

*Ratio.* Quia rationem rectam non ſequuntur, ſed beluinos appetitus. 2 Pet. 2. 12.

*Vſus admonitionis*, ut caveamus nobis, ne ulla in re indociles fiamus. Prov. 8.33.&c.

XVII. Ille multum profecit in eruditione pietatis, qui impios maledictionem, & pios benedictionem certam à Deo manere, certo ſibi perſuaſum habet. ex v.10.

*Ratio.* Quia hoc principium eſt, ex quo etiam ſtudium ſequitur omnis eruditionis ad pietatem ducentis.

*Vſus directionis*, ut hoc inprimis in animis noſtris defigi curemus.

XVIII. Qui ſincere accipiunt hanc eruditionem, illi poſſunt ac debent exultare in Domino, gaudio ineffabili, ac glorioſo. v.11 1 Pet.1,8.

*Ratio.* Quia ſpem habent certam ſummi boni conſequendi.

*Vſus conſolationis*, adverſus hujus vitæ miſerias.

## PSALMUS TRIGESIMUSTERTIUS.

*Cantate juſti in Jehova, rectos decet laudatio.*

2 *Celebrate Jehovam cithara; nablio & decachordo pſallite ei.*

3. *Canite ei canticum novum, optime pulſate cum clangore.*

4. *Quia rectum eſt verbum Iehovæ, & omne opus ejus conſtans:*

5. *Amat juſtitiam & judicium: benignitate Iehovæ plena eſt terra.*

6. *Verbo Iehovæ cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus totus exercitus eorum:*

7. *congerit quaſi cumulum aquas maris, diſponit in theſauris abyſſus.*

8. *Timeant à Iehova omnes* incolæ *terræ; ab ipſo metuant omnes habitatores orbis.*

9. *Nam ipſo dicente eſt* quicquid eſt*; ipſo præcipiente exiſtit.*

10. *Iehova irritum facit conſilium gentium, infringit cogitationes populorum:*

11. *Conſilium* vero *Iehovæ in ſeculum conſiſtit; cogitationes animi ejus in ætates ſingulas.*

12. *Beata gens illa, cujus Iehova Deus* eſt*; populus quem elegit in poſſeſſionem ſibi.*

13. *E cœlis intuetur Iehova, videt omnes filios hominis:*
14. *E loco habitationis suæ, prospicit in omnes habitatores terræ:*
15. *Formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.*
16. *Non* est *rex qui servetur multitudine copiarum, potens non eripitur multitudine virium.*
17. *Mendax* est *equus ad salutem, & multitudine roboris sui non liberat* sessorem.
18. *Ecce oculus Iehovæ* attendit *ad timentes sui: ad expectantes benignitatem ipsius.*
19. *Vt eripiat à morte animam eorum, & vivos conservet eos in fame.*
20. *Anima nostra præstolatur Iehovam: auxilium nostrum & scutum nostrum est.*
21. *Nam in eo lætatur animus noster, quia nomini sancto ejus confidimus.*
22. *Sit benignitas tua, Iehova, super nos; prout expectamus te.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Psalmi est, excitare pios, ad Dei nomen celebrandum: quæ adhortatio 1. proponitur. v. 1, 2, 3. postea suadetur & premitur argumentis ad v. 20. & ultimo in loco praxi ipsa vel exemplo piæ celebrationis Dei illustratur. v. 20, 21, 22. In hortationis propositione officii modus 1. declaratur, quod debet esse cum optimo affectu, & zelo. v. 1, 2, 3. 2. ad quos proprie pertinet hoc officio fungi: videlicet ad *justos* & *rectos*. vers. 1.

Suasionis argumenta proponuntur. Primum generaliter. v. 4, & 5. quod Deus sit *rectus*, *constans*, *justus*, & *benignus*, tam *verbo*, quã *operibus* suis.

Secundo in loco eadem perfectio Dei celebranda demonstratur particulariter. 1. A sufficientia ipsius ad omnia ad vers. 12. 2. Ab efficientia ejus erga Ecclesiam ad ver. 20.

Sufficientia Dei 1. Ostenditur absolute, ab effectis ejus: quod scilicet verbo aut voluntate sua sola mundum creavit & gubernat. v. 6, 7, 9. Et 2. In comparatione ad omnes gentes, quæ timere majestatem ejus debent. v. 8. quæ potestati ipsius resistere non possunt. v. 10, 11.

Efficientia Dei erga Ecclesiam declaratur ex eo, quod accumulat in ipsam omnia bona: v. 12. & liberat ipsam omni malo. vers. 19. quod confirmatur à providentia ejus administratione, tum generali, vers. 13, 14, 15. tum speciali, v. 18. & illustratur ab insufficientia mediorum omnium ad boni quidquam efficiendum sine Deo. v. 16, 17.

Celebrationis exemplum est in professione fiduciæ, spei, gloriationis, & invocationis piæ. v. 20, 21, 22.

## DOCUMENTA.

I. Rite Deum celebrare, officium est grave, & curæ magnæ, ex ver. 1, 2, 3. ubi exhortatio iterum atque iterum ingeminatur.

*Ratio* 1. Quia requirit purum & ferventem zelum Dei. 2. Quia

tam internum quam externum hominem requirit. 3. Quia ſumma cum alacritate debet præſtari, ita ut canticum hujus generis ſemper ſit novum, & ex omni occaſione renovatum. Pſalm. 40. 4. & 96. 1 Joh. 2. 7, 8.

*Vſus Admonitionis*, ne negligenter aut perfunctorie tranſigamus quidquam eorum quæ huc ſpectant.

II. Officium iſtud proprie pertinet ad fideles & pios. ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia illi ſoli ſunt idonei. Pſalmo 50 16. 2. Quia illi ſemper ſunt parati. Pſalmo 118. 4. 3. Quia ab illis ſolis cum decore & gratia præſtatur. Pſalmo 93. 5. & 147. 1.

*Vſus* 1. *Exhortationis*, Ut pietati ſtudeamus, quia ſine illa non poſſumus Deum rite laudare. 2. Ut pietatem noſtram hoc ejus effecto declaremus.

III. Tot ac tanta ſunt indicia perfectionis, & benignitatis Dei, ut piis animis nunquam deeſſe poſſit occaſio nomen ejus celebrandi. ex v. 4, 5. ſic Pſalmo 119. 64.

*Ratio* 1. Quia author & largitor eſt omnis boni. 2. Quia ille conſervator eſt ab omni malo. 3. Quia quod in utroque genere promittit & præſtat, maxime ſpectat ad pios, & ab iis ſolis rite obſervatur.

*Vſus* 1. *Increpationis*, adverſus ſterilitatem, frigiditatem & torporem noſtrum in Deo laudando. 2. *Directionis*, ut in contemplatione verbi & operum Dei diligenter nos exerceamus.

VII. Fides & confeſſio omnipotentiæ divinæ, primaria pars eſt celebrationis Dei. ex v. 6, 7. &c. ad 12. Apocal. 4. 11. & 5. 12, 13. 1 Chron. 29 11.

*Ratio* 1. Quia potentia Dei eſt inter primarias ejus perfectiones & attributa, quorum nomine celebratur. Gen. 35. 11. 2 Quia potentia Dei validas & efficaces reddit cæteras ejus perfectiones, bonitatem, miſericordiam, juſtitiam, ad conſolationem fidelium. Epheſ. 3. 20. 3. Quia fides in operatione ſua reſpicit potentiam Dei, ut primarium fulcrum & columnam. Rom. 4. 21.

*Vſus Directionis*, ut ædificemus noſmetipſos in iſthac fide omnipotentiæ divinæ.

V. Omnipotentia Dei ſingulariter elucet in creatione & gubernatione mundi. Rom. 1. 20. Apoc. 4. 11. & 5. 13.

*Ratio* 1. Quia ſolo nutu & imperio ſuæ voluntatis, ſine ſubſidio, & labore, fecit omnia quæ facta ſunt: in textu. verbum enim, per metonymiam adjuncti, ſignificat imperium illud quod verbo ſolet ſignificari ac declarari. 2. Quia nulla creatura vel inſtrumenti locum ſuſtinere poteſt in hujuſmodi operatione. 3. Quia cum aliæ etiam perfectiones, ut bonitas & ſapientia in eodem opere creationis emicuerunt, potentia tamen eminenter apparebat: bonitas enim & ſapientia eatenus tantum apparent in creatione, quatenus in rebus creatis exiſtunt; ſed potentia declaratur plane infinita: quoniam ex nihilo nihil poteſt produci per potentiam aliquo modo finitam.

*Vſus Directionis*, ut ex meditatione operum creationis & gubernationis mundi fidem noſtram de omnipotentia divina confirmemus.

VI. Omnipotentiæ Divinæ conſideratio deducit homines ad timorem Dei. ex v. 8. Job. 37. 23. Jerem.

Jer. 5.22.

*Ratio.* Quia potestas vitæ ac necis est propria & formalis ratio timoris. Luc. 12.5.

*Usus Admonitionis*, ne acquiescamus unquam in otiosa contemplatione potentiæ Dei, sed serio applicemus eam ad timorem Dei in cordibus nostris excitandum.

VII. Omnipotentia Dei omnia illa consilia hominum evertuntur, quæ timori & consilio ipsius adversantur, ipsius autem consilium stabilitur. ex. v. 10, 11. Pro. 19.21, Jes. 14.24, 27. & 46.10. 2 Sam. 15.31 Act. 4.29.

*Ratio.* Quia omnipotentiæ nihil resistere potest. potentia superabilis, non est omnipotentia.

*Usus* 1. *admonitionis*, ut caveamus nobis ab omnibus consiliis quæ Deo adversantur. 2. *Consolationis*, ut cum omni fiducia pendeamus à Dei consilio nobis revelato.

VIII. Omnipotentia tota Dei facit ad Ecclesiam beatificandam. ex vers. 12. cum antecedentibus. Gen. 17.1. 35.5.11.

*Ratio* 1. Quia Deus ipse est merces fidelium atque adeo tota omnipotentia vel omnisufficientia Dei. Gen. 15.1. & 17.7. 2. Quia si Deus sit nobiscum; nihil quidquam adversus nos valere potest, Rom. 8.31.

*Usus Directionis*, ut omnipotentiam apprehendere studeamus, non absolute tantum, sed in fœdere ordinatam ac determinatam ad nostram fœlicitatem procurandam.

IX. Efficacia potentiæ divinæ ad beatificandos fideles, exeritur & elucet in providentia illa qua mundum totum administrat. ex vers. 13. &c Psal. 145.15, 16.

*Ratio* 1. Quia sufficientia Dei in efficientia ejus declaratur. efficientia autem ejus, est creatio & providentia. 2. Quia ex providentia illa communi, quam Deus habet circa mundum, & homines mundanos, promptum est colligere, singularem providentiam circa fideles. 1 Tim. 4.10. 3. Quia illa etiam providentia communis, quæ circa res & homines mundanos exercetur, tendit ad felicitatem Ecclesiæ. 1 Cor. 3.22.

*Usus Directionis*, ut ex omni contemplatione providentiæ Divinæ, ædificemus nosmetipsos in fiducia fœlicitatis nostræ.

X. Providentia illa Dei quæ circa homines versatur, cordi & operibus eorum conformis est, non viribus & copiis. ex vers. 15, 16, 17.

*Ratio* 1. Quia ista gubernatio est moralis, docendo, & implendo, Mich. 6.8. 2. Quia virium & mediorum gubernatio pendet ex illa providentia Dei, quæ respicit vias hominum. Prov. 16.7. 3 Quia Dei providentia non minus efficax est sine mediis, aut contra media, quam cum illis.

*Usus* 1. *admonitionis*, ut præcipuam curam habeamus cordis & vitæ nostræ. 2. *Consolationis*, adversus copias & vires hostium Ecclesiæ.

XI. Providentia Dei singulariter invigilat piis in bonum. ex vers. 18, 19. Neh. 2.8. Rom. 8.28.

*Ratio.* Quia hoc est promissio & fœdus Dei erga fideles.

*Usus Consolationis*, adversus omnia pericula & terrores.

XII. Hujus providentiæ Dei apprehensio viva, excitat in cordibus fidelium, spem, lætitiam, & fiduciam gloriosam, una cum invocatione con-

congruente, ex v.20, 21, 22.

*Ratio.* Quia argumenta ſuppeditat efficaciſſima, quibus iſtæ gratiæ aluntur, ſuſtinentur, fortificantur, & augentur.

*Uſus admonitionis*, ne acquieſcamus unquam in ulla contemplatione providentiæ Divinæ, antequam iſtos fructus inde percipiamus.

## PSALMUS TRIGESIMUSQUARTUS.

ODe Davidis, *quum mutaſſet ſpeciem ſuam coram Abimeleco, eoque ipſum expellente, abiiſſet.*

2. *Benedicam Iehovæ omni tempore; jugiter laus ejus* erit *in ore meo.*

3. *In Iehova jactavit ſe anima mea; audient manſueti, & lætabuntur.*

4. Dicam, *magnificate Iehovam mecum, & extollamus nomen ejus pariter.*

5. *Quæſivi Iehovam, & exaudivit me; ac ex omnibus pavoribus meis eripuit me.*

6. *Qui intuentur in eum & confluunt; vultus eorum ne erubeſcant,* ſed dicant:

7. *Iſte pauper invocavit, & Iehova exaudivit; ac ab omnibus anguſtiis ejus ſervavit eum.*

8. *Caſtra metantur angeli Iehovæ circa timentes ejus; & eripit eos.*

9. *Guſtate & videte bonum eſſe Iehovam: beatus vir,* qui *ſe recipit ad eum.*

10. *Timete Iehovam ſancti ejus: quia non* eſt *penuria timentibus eum.*

11. *Iuvenes leones pauperantur atque eſuriunt: quærentes autem Iehovam, non indigent ullo bono.*

12. *Agite filii, auſcultate mihi, reverentiam Iehovæ docebo vos.*

13. *Quis* eſt *vir ille, qui delectatur vita, amat dies, amat frui bono?*

14. *Cuſtodi linguam tuam a malo; & labia tua ne loquantur fraudem.*

15. *Recede a malo, & fac bonum: require pacem, & ſectare eam.*

16. *Oculi Iehovæ ad juſtos, & aures ejus ad vociferationem eorum attendunt.*

17. *Iratæ* vero *facies Iehovæ ad facientes malum, ut exſcindat e terra memoriam eorum.*

18. *Clamantes* illos *Iehova audit, & ex omnibus anguſtiis ipſorum eripit illos.*

19. *Propinquus* eſt *Iehova fractis animo: & contritos ſpiritu ſervat.*

20. *Multæ* ſunt *afflictiones juſti; ſed ex omnibus illis eripit eum Iehova.*

21. *Servans omnia oſſa ejus; unum ex illis non frangitur.*

22. *At morte afficit improbum afflictio; & qui oderunt juſtum diſperduntur.*

23. *Redimit Iehova animam ſervorum ſuorum; neque diſperduntur ulli recipientes ſe ad eum.*

ANALYSIS.

# ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit liberatio Davidis à præsentissimo periculo quod imminebat ipsi à Philistæis, & eorum Rege, Abimilecho. v. 1.

Scopus ejus est celebrare nomen Dei liberatoris.

Celebratio ista constat ex duabus partibus: quarum prior est directa professio gratitudinis suæ erga Deum. v. 2, 3.

Secunda est aliorum provocatio ad idem faciendum. à v. 3. ad finem Psalmi.

Professio gratitudinis ex duobus actibus consistit: *benedictione* Jehovæ, & *gloriatione* in ipso: qui illustratur. 1. Ab adjuncto temporis, *jugiter*. 2. A causa eorum, tam instrumentali, *ore*, quam principali, *anima*: Et 3. Ab effecto, lætitia piorum, qui istam professionem essent audituri: *audient mansueti, & lætabuntur*.

Provocatio vel exhortatio aliorum ad Deum celebrandum 1. Proponitur. v. 4. 2. Vrgetur. 1. A singulari exemplo bonitatis Dei erga Davidem, ad v. 9. 2. A communi illa bonitate, quam omnes pii possint experiri. à v. 9. ad finem.

Exemplum Davidis proponitur, v. 5. & describitur per causam & effectum. & tum convertitur in argumentationem piis consolatoriam, & Deo gloriosam: cujus conclusio proponitur v. 6. medium vel tertium argumentum, v. 7. & conclusionis illustratio adjicitur à causis administrantibus. v. 8.

Communis experientia bonitatis Dei proponitur & generaliter suadetur à bonitatis illius effecto, beatitudine scilicet fidelium, v. 9. quæ à contrario comparative declaratur, v. 10, 11. tum illustratur à generali modo vel medio ad experientiam illam perveniendi, v. 10. per *reverentiam* scilicet Dei. hæc autem reverentia magis distincte explicanda vel describenda proponitur, v. 12. & describitur ab effectis negantibus, & affirmantibus, v. 14. & 15. sub forma suasionis, cui inservit beatitudinis inde consecuturæ commemoratio, v. 13.

Consequentia hujus suasionis, vel connexio inter beatitudinem & reverentiam Dei, probatur, ab efficaci providentia Dei, piis in bonum invigilanti, v. 16. quæ illustratur causa ministrante, invocatione, v. 18. & modo operandi paratissimo, v. 19. & efficacissimo, ad quælibet mala perfecte removenda, v. 20, 21, 23. & amplificatur ab opposita providentia impiis piorum hostibus in malum invigilante, v. 17. & 22.

## QVÆSTIONES.

I. An dissimulatio ista Davidis fuerit licita, necne?

*Resp.* Non potest ab omni peccato excusari. 1. Quia proveniebat à nimio timore, & diffidentia, promissionibus Dei, & fidei veræ adversa. 2. Mendacii naturam participavit. quamvis enim in omni stratagemate, quo aliud prætenditur quam intenditur, mendacium non reperitur, quia signa omnia non sunt certo determinata ad unum; illa tamen signa quæ pertinent ad rationis usum indicandum, sunt à natura ipsa determinata, atque adeo eorum dissimulatio seria non potest

poteſt à mendacii vitio excuſari. 3. Dehoneſtatio fuit imaginis Dei, ad quam fuit creata. 4.Scandalum præbebat illis infidelibus, quos hunc in modum fallebat. Neh. 6,11. Ezech.8,22.

II. An Deus laudandus fuerit de liberatione quam conſecutus eſt David illicita ſimulatioue?

*Reſp.* Reſipiſcentia de peccato præmiſſa vel maxime debuit laudari. 1. Quia liberatio ipſa non à peccato, ſed à gratioſa Dei providentia proveniebat. 2. Quia mirabilis Dei gubernatio in humanis rebus moderandis apparebat ex eo, quod etiã peccata noverit in bonum convertere, actionibus malis bene utendo. 3. Quia gratia illa ex eo abundantior apparuit, quod peccato illo non fuit retardata. non enim ſupra meritum tantum, ſed & contra meritum fuit efficax: non imperfectioni conatus boni, ſed conatui & voluntati malæ benedicere dignabatur.

Hinc autem duo ſequuntur, in uſum noſtrum obſervanda. 1. Pontificios male argumentari, cum inde ſuperſtitiones multas probare nobis conantur, quod Deus, vel per illas, vel cum illis, ſingulariter aliquando eſt operatus. Non illis, ſed bonitati ſuæ atteſtabatur Deus. 2. Non igitur uſurpanda eſſe media illicita: quia hoc eſſet gratia & miſericordia Dei abuti, atque adeo iram ejus provocare.

## DOCUMENTA.

I. Benedictio Deo debetur, quum ex periculis nos liberavit. ex verſ.2.

Benedictio autem iſta in ſeſe continet, non ſimplicem laudem, aut gratiarum actionem, ſed plenitudinem laudis, & gratitudinis perfectionem. ſicut enim ſtatus beatitudinis, vel benedictionis in affluentia omnium bonorum conſiſtit; ſic benedictio abſolute conſiderata, ad affluentiam boni & perfectionem ſemper ſpectat. Quum igitur Deus homini abſolute benedicit, communicat ipſi omnia bona quæ ad perfectionem ejus requiruntur: & cum homo Deo benedicit, agnoſcit & prædicat ſummam ejus perfectionem. idque perfectiſſimo quo poteſt modo & gradu. Hinc eſt, quod hæc actio, præ cæteris cognatis, proprie tribuitur Sanctis. Pſal. 145.10.

*Ratio* 1. Quia Deus liberando, & ſervando nos realiter nobis benedicit, id eſt, bene facit. nam ſicut dicere Dei, eſt facere, *dixit & facta ſunt*; ſic etiam benedicere Dei, eſt bene, & benigne facere. æquum eſt igitur, ut nos illam bonitatem Dei agnoſcamus, quod noſtrum eſt benedicere reſpectu Dei. 2. Quia ex iſta benedictione debemus quaſi repleti ejus bonitate, eandem prædicatione noſtra ipſi quaſi per reflectionem reddere, & acceptam referre. Deut 8.10. 3. Quia hæc eſt proprietas Dei ex omni occaſione agnoſcenda. Mar. 14.61. Rom 9.5.

*Uſus Exhortationis*, ut omni ſtudio comparemus nobis illum ſenſum bonitatis Dei, & illam cordis dilatationem, qua apti reddamur ad iſtud officium præſtandum.

II. Ut Deo rite benedicamus, requiritur ſimul ut in ipſo gloriemur. ex v. 3.

In gloriatione autem duplex eſt relatio ſingularis: quarum prima reſpicit bonum communicatum, quod

quod tale sit ut excellentiam quandam habeat supra vulgaria bona, ita ut dignitatem quandam adferat possessori. secunda autem respicit authorem illius boni, quod ejus favor sit maximi faciendus, & cum gaudio recolendus.

*Ratio* 1. Quia sine ista gloriatione non potest esse gaudium Deo dignum, quale est fidelium. 1 Pet. 1. 8. 2. Quia ista gloriatio est proprius honor Dei. Jer. 9. 23, 24. 1 Cor. 1. 31.

*Usus* 1. *admonitionis*, ne in aliis rebus gloriemur: & minime omnium in turpitudine peccati.

2. *Exhortationis*, ut excitemur in nobismetipsis.

III. Tam ore, quam anima, benedicendus est deus. ex v. 2. & 3.

*Ratio* 1. Quia hoc officium pertinet ad hominem totum. Psal. 103. 1. 2. Quia laus illa quæ in ore nascitur, non est nisi umbra benedictionis: anima autem benedictione & gloriatione repleta, non potest non effundere sese ore. 3. Quia hac sola ratione benedictio tam nobis, quam aliis prodest: nobis in anima, aliis in ore.

*Usus admonitionis*, ne ista duo quæ Deus conjunxit, à nobis unquam separentur.

IV. Officium istud benedicendi Deo, omni tempore debet continuari. ex v. 2.

Continuo autem & jugiter dicimur istiusmodi officia præstare, 1. Quando ab eorum exercitio non discedimus, nisi cum animo revertendi. 2. Quando justam omnem occasionem captamus idem frequentandi. 3. Quando sine ulla intermissione dispositionem ad illa congruentem in animis nostris conservamus.

*Ratio* Quia major est gratia Dei, quam ut omni nostro tempore possit satis prædicari.

*Usus Increpationis* adversus temporarios nostros affectus, & infrequentiam in istiusmodi officiis præstandis.

V. Alii sunt invitandi ad benedicendum Deo nobiscum. ex vers. 4. Psalmo 22 33. & 66. 16.

*Ratio* 1. Quia affectus ipse gaudii est sui communicativus. Luc. 15. 6 9. 2. Quia pertinet ad honorem Dei, ne ejus beneficia abscondantur. atque adeo hæc communicatio à charitate erga ipsum imperatur. Psalm. 40. 10. 3. Quia intime pertinet ad ædificationem & salutem proximi: & ideo elicitur ab ista charitate. Psalm. 35. 27.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ad alios exhortandos. 2. Ut exemplo aliis præeamus in iis ad quæ ipsos exhortamur.

VI. Qui afflictionum experientia sunt quasi domiti & mansuefacti, illi sunt maxime idonei ad benedicendum Deo de ejus bonitate. ex v. 3. in fine.

*Ratio* 1. Quia illi fere soli sentiunt suam indigentiam, & miseriam, ex qua liberantur per bonitatem Dei. 2. Quia soli genuinum gustum habent bonitatis Dei, ex siti ejus antecedente. 3. Quia ad tales proprie pertinet bonitas Dei singularis. Jac. 4. 6. 1 Pet. 5. 5. 2 Cor 7. 6.

*Usus* 1. *Directionis*, ut ex visitationibus Dei hunc in modum proficere studeamus.

VII. Qui ita intuentur Dei bonitatem, ut ad eum cum fiducia confugiant, illi magnificant & extollunt nomen Dei. ex v. 4, & 6.

*Ratio* 1. Quia tum demum dicimur

cimur Deum magnificare, & extollere, cum re ipſa ex fructibus oſtendimus, nos vere credere in ejus miſericordiam, & veritatem. Deuter. 32. 3. 2. Quia adducimur eo per intuitum bonitatis Dei. Epheſ. 1. 18. 3. Quia intuitus iſte Dei non eſt efficax, niſi faciat nos cum impetu confugere ad Deum. Cantic. 1. 3, 4. Jeſ. 2. 2. & 60. 5. Jer. 31. 12.

*Vſus Exhortationis*, ut in iſtam contemplationem Dei ſedulo incumbamus.

VIII. In contemplatione divinæ bonitatis tria iſta ſunt præcipue conſideranda: perſonæ erga quas manifeſtatur: medium per quod ad eum pervenitur: & modus ac menſura, qua manifeſtatur. ex v. 5. & 7.

*Ratio* 1. Quia omnimoda paupertas, vel egeſtas eorum circa quos exercetur, munit nos adverſus deſperationem. 2. Quia invocationis neceſſitas liberat nos à præſumptione. 3. Quia amplitudo beneficentie ipſius ſpem & fiduciam noſtram reddit perfectam.

*Vſus Directionis*, ut in omnibus exemplis benignitatis Dei, ad hæc præcipue attendamus.

IX. Bonitas Dei erga pios in Angelorum miniſterio ſingulariter elucet. ex v. 8.

*Ratio* 1. Quia Angeli emittuntur ut miniſtrent in eorum bonum. Hebr. 1. 14. 2. Quia omnibus illis facultatibus inſtruuntur, ſcientiæ, potentiæ, & celeritatis, quæ faciunt ad miniſterium iſtud implendum. Ezech. 1. 3. Quia facilius percipimus bonitatem Dei, prout per hujuſmodi inſtrumenta exeritur, quam ut in ipſo Deo continetur.

*Vſus Directionis*, ut fiduciam noſtram iſta meditatione confirmemus.

X. Ut bonitas iſta Dei ſit in cordibus noſtris efficax, requiritur ejuſdem guſtus. ex v. 9. Guſtare autem ſpiritualiter, eſt intime ſentire ſaporem & naturam alicujus rei; ita ut proprie notet experimentalem ejus perceptionem. Mat. 16. 28.

*Ratio* 1. Quia guſtus privatio, ex ordine naturæ eſt indicium mortis appropinquantis. 2 Sam. 19. 35. 2. Quia ſine guſtu non intelligitur, quam ſuavis ſit bonitas Dei. 1 Pet. 2. 3. Rom. 12. 7. 3. Quia guſtus proprie facit ad cibum & alimentum commode recipiendum: & ideo bonitatem Dei in pabulum animarum noſtrarum convertit. Pſalmo. 22. 26. 4. Quia bonitate Dei non ali tantum, ſed & ſalutari debemus: ſaturitas autem & appetitum, & guſtum præſupponit. Pſal. 65. 4.

*Vſus* 1. *Damnationis*, adverſus eos qui guſtum bonitatis neque habent, neque curant habere.

2. *Exhortationis*, ut ad guſtũ iſtum nobis comparandum omni ſtudio annitamur.

XI. Timor Dei bonitatis ejus guſtum ſemper comitatur. ex v. 10. Pſal. 130. 4.

*Ratio* 1. Quia ſeparationis metus provenit ab amore bonitatis. 2. Quia tali metu fruitio bonitatis conſervatur, & continuatur, dum caventur illa quæ eidem adverſantur, & quæ eo faciunt, quæruntur. 3. Quia bonitas Dei

ex ejus ordinatione, & promissione, connectitur cum ejus timore.

*Usus* 1 *Refutationis*, adversus eos, qui certam bonitatis Dei apprehensionem timori Dei putant adversari. 2. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ab illis imaginationibus, quibus bonitas Dei ab ejus timore separatur.

XII. Ex timore Dei nihil damni patitur quisquam: sed ab illis malis liberatur, quibus mundani & leonini homines subjiciuntur. ex v. 10, & 11. Mal. 3. 10.

*Ratio* 1. Quia promissiones habet vitæ præsentis ac futuræ. 1 Tim. 4. 8. 2. Quia ex bono nil nisi bonum sequitur per se. si autem mali aliquid per accidens consequatur, convertitur illud in occasionem & medium boni, malum illud superantis, & exhaurientis.

*Usus Exhortationis*, ut cum omni alacritate in timore Dei nosmetipsos conservemus.

XIII. Timor Dei verus, ex verbo ejus, cum omni humilitate & disci debet, & doceri. ex v. 12.

*Ratio* 1. Quia non est subitanea, violenta, confusa passio, aut perturbatio animi, ut cæteri timores vulgares: sed certo consilio dirigitur, distinctum habet objectum, circa quod sponte & libere versatur. 2. Quia caput est sapientiæ. Prov. 1. 7. 3. Quia totam pietatem in sese virtualiter continet. Eccles. 12. 13.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus Pontificios, & alios ex vulgo, qui timorem quendam Dei habent, in quo sibimetipsis placent, quam tamen ex verbo Dei nunquam didicerunt. 2. *Exhortationis*, ut istum finem nobis proponamus, in lectione, auditione, & meditatione verbi.

XIV. Ex timore Dei solo omne bonum est expectandum, ex v. 13. Prov. 3. 7, 8. & 23. 17, 18. Jes. 33. 6.

*Ratio* 1. Quia timor iste, est via illa, quam Deus præparavit, & præscripsit, ut in illa ambulemus, ad fœlicitatem æternam. 2. Quia facit ut vitemus illa, quæ fœlicitati adversantur. Prov. 3. 7. & 14. 16. 3. Quia facit etiam, ut adhæreamus Deo, in quo fœlicitas nostra consistit. Jer. 32 40.

*Usus* 1. *Est Refutationis*, adversus eos, qui fœlicitatem quærunt vel in iis quæ timori Dei adversantur, vel ab ipso separantur. 2. *Exhortationis*, ut cum omni confidentia timorem Dei in omnibus angustiis foveamus, & retineamus.

XV. Verus timor Dei ostendit semetipsum, in fuga omnis mali, & persecutione omnis boni. ex v. 14, 15.

*Ratio* 1. Quia Deus, qui timetur, odio prosequitur malum, & delectatur eo quod bonum est. 2. Quia verbum Dei observat, quo malum damnatur, & bonum approbatur. 3. Quia ex sua natura repugnantiam habet ad malum, & cum bono consentit.

*Usus Admonitionis*, ne in alio ullo timore Dei acquiescamus, præterquam in illo, qui ambobus istis effectis sese constanter declarat. non satis est, à malo abstinere, nisi etiam quod bonum est faciamus.

XVI. Syncera fuga mali & prosecutio boni, pendet ex fide providentiæ Dei, bonis & malis invigilantis.

lantis ex v. 16, 17. Jer. 17. 10.

*Ratio* 1. Quia pendet ex fide inspectionis & judicii Divini. 2 Tim. 4. 4. 2. Quia pendet ex fide mercedis à Deo retribuendæ. Heb. 11. 6. 3. Quia pendet ex fide præsentiæ, assistentiæ ac protectionis Divinæ. Matth. 28. 20.

*Usus Refutationis & Redargutionis*, adversus eos, qui videri volunt fideles, & tamen officia fidelium negligunt, ex metu incommodorum inde secuturorum. Mal. 3. 14. 2. *Exhortationis*, ut fidem nostram præcipue confirmemus & excitemus circa providentiam istam Dei. Ad singulos pietatis gressus, fœlicitatem debemus ex isthac fide applicare. Mat. 5. 1, 2, 3. *&c.*

XVII. Tota Dei providentia facit pro piis, & adversus impios. v. 16, 17.

Providentia Dei metaphorice per oculos, aures, & faciem Dei significatur. Oculus autem Dei est aut simplicis intuitus, & observationis, quæ est omnium hominum communis. Proverb. 15. 3. Job 34. 21. aut cum affectu singularis curæ, & approbationis, quæ est propria piorum. Jer. 24. 6. vel singularis detestationis & vindictæ. Hab. 1. 13. Psalm. 10. 14 Eodem plane sensu, & auris & facies tribuitur Deo. Psalm. 4. 7. Exod. 3. 7, 9. Heb. 17. 20. *&* 20. 6.

*Ratio* 1. Quia providentia Dei conformis est voluntati ejus revelatæ: quæ tota favet piis, & impiis adversatur. 2. Quia prospicit gloriæ Dei, quæ alia ratione non potest procurari. 3. Quia perficit & implet consilia & decreta Dei de salute piorum, & impiorum justa perditione.

*Usus* 1. *Consolationis*, adversus omnes calamitates & angustias, quæ nobis contingere possint pietatis causa. Cum nemo hominum vel causam nostram vel querelas respicit, Dei oculus attentus, & auris attendens, sufficere nobis debet. 2. *Admonitionis*, adversus omnes, ut caveant sibi ab impietate.

XVIII. Bona Dei providentia erga pios præcipue apparet in eorum precibus audiendis. v. 18.

*Ratio* 1. Quia precibus maxime distinguuntur pii ab impiis. Jer. 10. 25. Psalm. 79. 6. 2. Quia una & eadem res cum precibus piis obtinetur, plus multo suavitatis, & bonitatis perceptæ in sese habet, quam cum sine precibus communicatur. 3. Quia in precibus audiendis bonitatem suam ostendit sæpe Deus piis animis, cum res illas quas cupiunt non largitur.

*Usus Exhortationis*, ut preces, & earum auditionem in maximo pretio habeamus.

XIX. In hac providentia propinquus est Deus omnibus eum invocantibus. v. 19.

*Ratio* 1. Quia habitat cum populo suo. Jerem. 14. 9. 2. Quia semper paratus est eorum preces audire. Psalm. 145. 18. 3. Quia auxilium ejus est in promptu. Psal. 119. 151.

*Usus* 1. *Consolationis*. Rom. 10 6. 2 *Exhortationis*. 1. Ad nomen Dei glorificandum. 2. Ad appropinquandum Deo. Jac. 4 8.

XX. Per istam providentiam efficitur, ut quamvis multæ sint afflictiones piorum, non tamen sint

ipsis, ut inprobis, lethales. v.20,21, 22. 2 Pet.2.9.

*Ratio* 1. Quia bona Dei voluntas illas omnes moderatur. Mat.10.29. 1 Corinth.10.13. 2. Quia aculeus & maledictio iis aufertur, respectu piorum. 1. Cor. 15. 56, 57. 3. Quia convertuntur in bonum. Rom.8.28.

*Usus Consolationis* & *Exhortationis* ad patientiam. Hebr.12.5. non frangent ossa. v.21. non debent igitur animos frangere.

XXI. Totius hujus consolationis applicatio, preceptio, & sensus, pendet ex nostra fiducia in Deo collocata, & fidelibus precibus expressa. v.11. & 23.

*Ratio*. Quia neque alia ratione disponimur ad bonitatem Dei participandam, neque possumus intelligere eam ad nos pertinere.

*Usus Admonitionis*, ut fiduciam veram, & precandi studium, ut vitam nostram, conservemus.

## PSALMUS TRIGESIMUSQUINTUS.

ODe *Davidis*. *Contende Jehova, adversus, contendentes mecum; impugna impugnantes me.*

2. *Prehende scutum aut clypeum; ac surge in auxilium meum.*

3 *Et exere hastam, & perclude persequentibus me: dic animæ meæ, salus tua sum.*

4. *Pudesiant & rubore persundantur, quærentes animam meam: agantur retrorsum, erubescant machenantes malum meum.*

5. *Sint sicut gluma coram vento, angelo Iehovæ impellente:*

6. *Sit via eorum tenebrosa & lubricissima, & angelus Iehovæ persequatur eos.*

7. *Quandoquidem immerito abscondunt mihi* in *fovea rete suum, immerito fodiunt* foveam *contra animam meam.*

8. *Eveniat ei vastatio nescienti, ut rete ipsius quod abscondit, capiat eum:* ad *vastationem decidat in illam.*

9 *Sic anima mea exsultet in Iehova; gaudeat in salute ejus.*

10. *Omnia ossa mea dicant; Iehova; quis* est *par tibi? eripiens pauperem à valentiore eo; pauperem, inquam, & egenum à diripiente eum?*

11. *Insurgunt testes injurii, quorum non sum conscius ea repetunt à me.*

12. *Rependunt mihi malum pro bono, orbitatem animæ meæ:*

13. *Quamvis ego, ægrotantibus illis;* utens pro *veste mea cilicio; affligerem* jejunio *animam meam, & oratio mea in sinum meum rediret:*

14. *Tanquam* ad *proximum, tanquam* ad *fratrem mihi indesinenter itarem, tanquam lugens matrem atratus curvarem me.*

15. *Quum vero laudico, lætantur congregantes se: congregant se apud me loripedes, ut non animadvertam; lacerant, ac non silent.*

16. *Inter hypocritas* facetos *sanniones faceti; frendentes contra me dentibus suis.*

17. Domi-

17. *Domine, quandiu aſpicies? reduc animam meam à vaſtationibus eorum, à juvenibus leonibus unicam meam:*

18. *Celebrabo te in congregatione multa, in populo frequenti laudabo te.*

19. *Ne lætentur de me, qui mihi ſunt inimici falſis de cauſis: qui oderunt me immerito, ne nictent oculo?*

20. *Non enim pacem loquuntur: ſed contra quietos terræ res fraudulentiſſimas excogitant:*

21. *Et dilatant contra me os ſuum; dicentes, euge, euge, videt oculus noſter.*

22. *Vides Iehova, ne ſileas; Domine, ne longe abſis à me.*

23. *Evigila & expergiſcere ad judicium meum: Deus mi; & Domine mi, ad contentionem meam:*

24. *Iudica me ſecundum juſtitiam tuam, Iehova, Deus mi; & ne lætentur de me.*

25. *Ne dicant cum animo ſuo, euge, anima noſtra; ne dicant abſorbuimus eum.*

26. *Pudefiant & erubeſcant ſimul, gaudentes de malo meo: induantur pudore & ignomina, qui magnificant ſe contra me.*

27. *Cantabunt & lætabuntur, qui delectatur juſtitia mea; dicentque jugiter; magnificetur Iehova; qui delectantur pace ſervi ſui.*

28. *Et lingua mea enuntiabit juſtitiam tuam, toto die laudem tuam.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Prophetæ in hoc Pſalmo eſt, petere liberationem à ſuis perſecutionibus, & in illum finem, eorum confuſionem.

Hæc petitio primo proponitur. Primo ab initio, ad v. 11. Et ſecundo repetitur, à v. 17. ad finem: cujus neceſſitas declaratur graviſſima interpoſita querela: à v. 11. ad 17. & rationes multæ promiſcue ac ſparſim adferuntur.

In prima petitionis propoſitione duo declarat. 1. Generaliter quid velit à Deo agi, tam quoad rem, quam quoad modum rei. ad v. 4. 2. Quia æquum ſit hoſtes pati. ad v. 9.

In ejuſdem petitionis repetitione ſpecialius explicat, & liberationem quam optabat. v. 17, 23, 24. & confuſionem hoſtium inde ſecuturam v. 26.

In querela oſtendit quanto in periculo fuerit, ex hoſtium iniquitate, v. 11. ingratitudine, v. 12, 13, 14. & perfidioſa ſimulatione. verſ. 16, 17.

Rationes, quibus petitio ſuadetur ſunt 1. Juſtitia cauſæ, que à Dei juſtitia debet ſublevari. ver. 7. 24. 2. Gratitudo animi, qua fieret ut liberatio à Deo conceſſa cederet in ejus gloriam. verſ. 9, 10, 18. 3. Summa hoſtium improbitas, quæ Dei vindictam expoſcebat, in querela tota, à ver. 11, ad 17. & ver. 20. 4. Graviſſimum incommodum gloriationis impiorum in ſua impietate, quod ex petitione negata conſequeretur. verſibus 19, 24. 25

25. quod experientiæ, & scientiæ Dei testimonio confirmatur. v. 21, 22. 5. Optatus fructus celebrationis Dei secuturus ex petitione concessa, tam apud alios pios, quam apud ipsum Davidem. v.27,28.

## DOCUMENTA.

I. Deus pro piis & justis contendit,& expugnat. ex v.1. Jer.51. 36. Psalm.119.154.1 Sam.25.39. Jes.49.25.

*Ratio* 1. Quia causa piorum & justorum, qua sunt tales, est causa Dei. 2. Quia hoc est fœdus Dei, quod communes hostes cum piis habebit.Gen.11.35. 12.3. 3. Quia pii causam suam Deo commendant. Psal.37.5.

*Usus* 1. *Consolationis*. Rom.8.31. 2. *Admonitionis*, erga pios,ne pro semetipsis immodice contendant: Judæ 9. aut unquam pugnent,nisi Imperatoris jussu. Exod. 14.13,14. 3. *Admonitionis*, erga alios,ne lædant pios.Prov.23.11.

II. Dei contentio & pugna, quam suscipit pro piis, sufficiens est & gloriosa. ex v. 2, & 3. ubi armis defensivis, & offensivis, iisque cum dignitate tractatis, efficacia providentiæ ejus declaratur. Deut.32.41. Jes. 42.13.

*Ratio* 1. Quia omnia opera Dei sunt perfecta.Deut.32.4. 2. Quia illa Dei opera singularem perfectionem requirunt, quæ oppositionem habent magnam.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne quidquam alienum ex nostro adjiciamus operationi huic divinæ: id est, ne illicitis mediis perficere tentemus, quod Deus promisit se perfecturum. 2. *Exhortationis*, ut precibus, & omni studio id agamus, ut oculi nostri aperiantur, ad hæc in Deo ita videnda, ut gloriam debitam ipsi tribuamus. 2 Reg. 6. 17. Jes. 8. 13. 1 Pet. 3.15.

III. Hujus defensionis, arcana quadam ratione, certiores fiunt fideles in animis suis, per Spiritum Dei.ex v.3.in fine. Psal. 85.9. & 133.3.

*Ratio* 1. Quia Spiritus datur, ut sciamus, quæ Deus nobis gratificatur. 1 Corinth. 2.12. 2. Quia hac ratione preces piorum audiuntur, & eorum fiducia confirmatur.

*Usus Exhortationis*, ut istam certificationem quæramus, expectemus, & in eadem acquiescamus.

IV. Propugnationis hujus effectum respectu hostium, est eorum confusio & destructio certissima.ex v.4,5,6,8.

*Ratio* 1. Quia Deus & angeli Dei cum toto exercitu, ipsis adversatur.v.5,& 6. 2. Quia ipsi non magis possunt iræ Dei resistere, aut vim & impetum ejus ferre, quam gluma venti. v.5. 3. Quia propriæ ipsorum viæ, quibus consilia sua persequuntur, erunt ipsis causa ruinæ.v.6

*Usus Admonitionis*,ut illud supra omnia caveamus, ne Deum habeamus nobis adversarium, sed propitium,& faventem.

V. Innocentia eorum, qui ab improbis opprimuntur, certiorem & celeriorem reddit improborum destructionem. ex v.7.

*Ratio* 1. Quia multo magis improbum est, immerito alium lædere, quam ex aliqua causa. 2. Quia immerito patiens injurias,

rias, magis potest Dei auxilium expectare, quam qui aliquo modo meretur. 1 Pet. 4. 14.

*Vsus Admonitionis*, ut innocentiam in omnibus conservemus, quia ex illa pendet consolatio nostra.

VI. Ad gloriosam istam Dei liberationem condigne celebrandam, omnibus viribus nostris ferri debemus. ex v. 9, & 10.

*Ratio* 1. Quia omnes vires nostras conservatas accipimus à Deo quasi de novo, in istiusmodi liberatione. Job 31. 20. Psalm. 51. 10. 2. Quia omnes vires nostras libenter intenderemus ad liberationem talem consequendam: par igitur & æquum est, ut easdem intendamus ad eum laudandum, qui nos gratis liberavit. 3. Quia gaudium & exultatio magna naturaliter sequitur ex tali liberatione, ut autem pia sit, necessario debet referri ad Deum liberatorem. Jer. 9. 23, 24.

*Vsus Redargutionis*, adversus tepiditatem & torporem nostrum in Dei nomine celebrando.

VII. Liberationem Dei accelerat iniquitas, ingratitudo, & perfida simulatio improborum hostium coram Deo piè repræsentata. v. 11. ad 17.

*Ratio* 1. Quia ex istis apparet. 1. Innocentia piorum, in tempore protegenda. 2. Improbitas hostium, in tempore coërcenda. 3. Extrema necessitas Deum inclamandi, & auxilium ejus implorandi. 4. Affectus ipsi desiderii vehementis, & spei firmæ, quibus preces efficaces redduntur.

*Vsus* 1. *Consolationis*, adversus impiorum malignitatem. 2. *Directionis*, ut coram Deo illam repræsentemus. Jes. 37. 14.

VIII. Perpetua Dei inspectio eandem liberationem certam reddit. v. 17, & 22.

*Ratio* 1. Quia Deus non potest iniquitatem improborum intueri sine detestatione illa, quæ infert vindictam. Habac. 1. 13. 2. Quia non potest oppressionem piorum intueri sine misericordia. Exod. 3. 7. 3. Quia inspectio Dei non est otiosa, sed cum efficaci providentia conjuncta.

*Vsus* 1. *Consolationis*, adversus omne genus calamitatum: propter omniscientiam & omnipræsentiam Dei. 2. *Exhortationis*, ut ædificemus nosmetipsos, in hujus providentiæ fide.

IX. Ut gloriatio improborum, per maturam piorum liberationem, convertatur in eorum confusionem, interest gloriæ Dei. ver. 19, 21, 25, 26.

*Ratio* 1. Quia certamen hic certatur inter Deum & hominem, cujus verbum & voluntas prævalebit. Jerem. 44. 28. 2. Quia hæc est maxima tentatio piorum, cum vident improbos in sua improbitate exultantes. Psalm. 73. 10, 11. 3. Quia justitia Dei hoc postulat, 2 Thess. 1. 6.

*Vsus Consolationis*, & confirmationis animi, adversus omnes improborum insultationes.

X. Celebrandum est nomen Dei, de liberatione præstita, non tantum nobis, sed & aliis piis. v. 18. 27, 28.

*Ratio* 1. Quia hic est proprius finis, & genuinus fructus Divinæ liberationis. Psalmo 50. 15. 2. Quia bonitas Dei, piis his aut illis

illis communicata, spectat ad omnes, tam communionis, quam exempli ratione. 1 Corinth. 12. 26. Romanor. 15. 4. Quia fides viva bonitatem Dei apprehendens non potest eam non celebrare.

*Usus Exhortationis*, ut animos nostros comparare studeamus, ad istud officium ex omni occasione præstandum.

## PSALMUS TRIGESIMUS SEXTUS.

*Magistro symphoniæ*: Ode *servi Jehovæ, Davidis.*

2. *Dictum defectionis ad improbum, in intimo cordis mei* est, *coram oculis ejus non* esse *pavorem Dei.*

3. *Blandiri eum sibi in oculis suis, quum assequitur iniquitatem suam,* quæ *odio habenda* esset.

4. *Verba oris ejus vana & dolosa* sunt, *desinit adhibere intelligentiam ad benefaciendum.*

5. *Vanitatem cogitat in cubili suo; sistit sese in via non bona: malum non spernit.*

6. *Iehova, in cœlis* est *benignitas tua, fides tua usque ad superiores nubes:*

7. *Iustitia tua instar montium maximorum; judicia tua* instar *abyssi magnæ: homines & jumenta conservas, Iehova.*

8. *Quam pretiosa* est *benignitas tua, Deus; quum filii hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt.*

9. *Uberrime explentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis.*

10. *Quandoquidem penes te* est *fons vitæ, in luce tua fruamur luce.*

11. *Protende benignitatem tuam erga cognoscentes te, & justitiam tuam erga rectos animo.*

12. *Ne aggrediatur me pes superbi, & manus improborum ne inducat me ad aberrandum* eo:

13. *Ubi cadunt operarii iniquitatis, ita impelluntur ut non possint surgere.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in isthoc Psalmo, est implorare benignitatem Dei, ut adesset piis, & singulariter sibi, adversus omnia illa pericula, quæ imminere videbat à malignitate improborum. v. 11, 12, 13. quæ petitio illustratur descriptione piorum. v. 11. & improborum. v. 12. & 13.

Tempus & occasio hujus Psalmi, una cum authore, breviter subindicatur in titulo: Ode servi Jehovæ Davidis, cum enim iste titulus nullibi præterea occurrat, nisi Psalm. 18. & ille Psalmus administrationem regni jam peractam spectabat; 2 Sam. 22. probabile est, hunc Psalmum eandem regni administra-

miniſtrationem ſpectaſſe, non peractam, ſed peragendam: & proinde huc fuiſſe Pſalmum ejus initialem, ſicut ille fuit quaſi finalis: hic regnum aggredientis, ille idem reſignantis.

Hujus petitionis neceſſitas, & fiducia declaratur in reliquo Pſal.

Neceſſitas indicatur ex perniciosis moribus improborum: qui deſcribuntur gradatim, ad v. 6. 1. Ex vacuitate timoris Dei, vel religionis, quæ teſtimonio concientiæ Davidis confirmatur. v. 2. 2. Ex adjuncto gloriationis in malitia conſummata: quæ contrario adjuncto deteſtationis illuſtratur. v. 3. 3. Ex adminiſtrante cauſa aſtutiæ & ſimulationis verborum, qua illam ſtudet conſummare: quæ contraria ſapientia benefaciendi illuſtratur. ver. 4. 4. Ex effecto interno, cogitationum perverſa machinatione: quæ adjuncto vanitatis vel fruſtrationis illuſtratur. verſ. 5. in princ. 5. Ex effecto externo, improbo vitæ inſtituto. v. 5. in medio. 6. Ex hujus effecti extentione, qua complectitur facinora fœdiſſima, & maxime horrenda. v. 5. in fine.

Fiducia petitionis explicatur per ejus cauſam, gubernationem ſcil. Dei, in oppoſitione quadam ad perverſitatem, & machinationes improborum. quæ 1. conſideratur abſolute. v. 6, & 7. 2. in relatione ad fideles v. 8 9, 10.

Abſolute declaratur gubernatio Dei. 1. Per ejus adjuncta, benignitatem, fidem, ac juſtitiam: quæ etiam adjuncta ſua perfectione illuſtrantur per comparationes tres. Et 2. Per ejus effectum, conſervationem hominum & jumentorum.

In relatione ad fideles. 1. Generaliter declaratur per comparatam ejus bonitatem, quod ſit omnium rerum precioſiſſima, quæ correlatæ fidei deſcriptione illuſtratur. v. 8. 2. Specialiter per ejus effecta, omnia illa, quæ pertinent ad bene beateque vivendum. v. 9. quæ ſua cauſa, ſufficientia, & efficientia Dei illuſtrantur. v. 10.

## DOCUMENTA.

I. Fideles non tantum in communibus officiis pietatis, ſed etiam in ſingularibus illis muneribus quibus funguntur, ſunt ſervi Dei. ex v. 1. ſic Moſes fuit Dei ſervus in populo Dei regendo. Johan. 1. 2. & non tantum Apoſtoli, ac miniſtri, ſunt ſervi. Rom. 1. 1 ſed & Reges, ſi fideles ſunt voluntaria obedientia. Actor. 13. 26. ſi infideles, arcana quadam gubernatione. Jer. 25. 9. Jeſ. 10. 7. hic autem profeſſio ſit voluntariæ ſervitutis.

*Ratio* 1. Quia Dei mandata habent pro primaria ſua directione. 2. Quia Dei gloriam habent pro primario ſuo fine. 3. Quia primariam etiam mercedem expectabant à Deo. Epheſ. 6. 6, 7, 8.

*Uſus Directionis*, ut relationem iſtam noſtrorum munerum in oculis geſtantes, alacriores, fortiores, & fideliores fiamus.

II. Ad ſervitium iſtud rite exequendum requiritur ſpiritualis communio cum ipſo Deo. ex titulo, ſimul & toto Pſalmo.

*Ratio* 1. Quia Deo debemus noſmetipſos offerre in hoc ſervitio. Rom. 12. 1. 2. Quia gratiam à Deo accipere debemus ad

officia

officia nostra præstanda. Hebræ. 12. ult. 3. Quia protectione, auxilio & benedictione Dei perpetuo indigemus, ut illa officia effectum suum optatum consequantur. 1 Cor. 3. 6.

*Usus Exhortationis*, ut comparemus animos nostros ad istam communionem frequenter & religiose exercendam.

III. Qui addicti sunt servitio Dei, gravissime afficiuntur peccatis improborum. ex v. 2. *Dictum defectionis, in intimo cordis mei*. Psal. 119. 139, 158.

*Ratio* 1. Quia gloriæ Dei (cui illi maxime student) adversantur. 2. Quia impediunt servitium quod illi perficere cupiunt. 3. Quia alios removent ab ejusdem servitii participatione.

*Usus Redargutionis*, adversus eos, qui neque aliorum, neque suis propriis peccatis afficiuntur.

IV. Improbitas vitæ manifeste arguit timoris Dei vacuitatem. ex vers. 2.

*Ratio* 1. Quia timor Dei est quasi habena, vel retinaculum, quo homines avertuntur ab omni improbitate. Proverb. 14. 26, 27. Levit. 19. 14. 2. Quia timor Dei, prout religionem totam metonymice designat, est habitus ille cujus privatio est improbitas. Gen. 18. 42. & 20. 11. 3 Quia improbi, ex conscientia sui reatus, amovere à sese conantur omnem timorem judicii Dei, cui propter improbitatem suam subjiciuntur. 2 Pet. 3. 4.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut caveamus nobis ab improbitate, quia timori Dei adversatur. 2. *Exhortationis*, ut timorem Dei conservemus, quia improbitati adversatur.

V. Gloriatio in improbitate est summus gradus impietatis. ex v. 3. Prov. 2. 14.

*Ratio* 1. Quia hæc gloriatio est perfectissimus consensus, & approbatio. 2. Quia maxime adversatur illi resipiscentiæ, qua per displicentiam & dolorem de peccato, convertitur ad Deum peccator. 3. Quia hæc gloriatio est insultatio quædam, in justitiam, & veritatem Dei, tanquam devictam & superatam. Mal. 3. 15.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis imprimis ab ista gloriatione, & conservemus in nobismetipsis detestationem peccati, sicut est in textu.

VI. Verba dolosa, ad peccati consummationem tendentia, sunt gravissimæ hujus impietatis signa. ex. v. 4.

*Ratio* 1. Quia ostendunt intelligentiam à voluntate ad nequitiam plane applicatam, atque adeo cor totum eo ferri. in textu. 2. Quia dolus in machinatione mali, ab æstimatione pravi consilii provenit tanquam à causa, & ad gloriationem de fœlici ejus successu tendit, tanquam ad effectum. 3 Quia spes occultationis, quæ in dolo continetur, Dei neglectum declarat, & impii propositi confirmationem parit.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis ab isthoc dolo, in nobismetipsis, & ab ejus insidiis, in aliis. Rom. 16. 18, 19. Prov. 26. 25.

VII. Consummatio ipsa peccati consistit in cogitationibus pravis, in malam viam incumbentibus, cum securitate desperata. ex v. 5.

*Ratio*

*Ratio.* 1. Quia machinatio mali deliberata, eſt actus & fructus cordis dediti peccato. Prov.14.22. & 22. 8. 2. Quia machinatio mali eſt malæ viæ ingreſſus, & ſecum etiam infert progreſſum. Prov. 4. 14, 15, 16. Mich. 2.1. 3. Quia conſuetudo hujus progreſſus in peccando tollit ſenſum peccati. Epheſ. 4.18,19.

*Vſus Admonitionis*, ut quamvis peccatum nobis obrepſit, caveamus nobis tamen, ne hunc in modum perficiatur. Prov.30.32.

VIII. Ex contemplatione improbitatis hominum, attollere animos debemus ad incomprehenſibilem benignitatem, fidem, & juſtitiam Dei apprehendendam. v.6.7.

*Ratio* 1. Quia benignitas Dei in impietatis hujus toleratione apparet. 1 Pet. 3. 9, 15. Rom. 9. 23. 2. Quia fides & juſtitia Dei ſuſtentat animos noſtros adverſus omnes tentationes quæ ex improbitate illa poſſint nobis oriri. Pſal. 37. 1. 3. Quia fœlix exitus omnium periculorum, quæ nobis ab improbis creantur, pendet ex iſtis. 1 Cor. 10 13.

*Vſus Directionis*, ut in omni anguſtia, oculos noſtros ab hominibus ad Deum convertamus.

IX. Conſideratione bonitatis Dei, quæ extenditur ad omnes creaturas, confirmare fidem noſtram debemus, de gratia ejus ſpeciali erga noſmetipſos. v. 7. in fine.

*Ratio* 1. Quia magnitudo & latitudo benignitatis Dei in eo apparet. 2. Quia conſolatio inde ſequitur à minore ad majus. Matth. 6. 30.

*Vſus Admonitionis*, ut caveamus nobis à ſpiritu invidiæ perverſæ, qua occaſio ſæpe arripitur dubitandi de ſpeciali Dei gratia & fide, propter bonitatem illam, quam ad impios extendit.

X. Pretium & excellentia gratiæ Dei erga fideles non poteſt à nobis ſatis æſtimari. ex v.8. Pſal.31. 19. Jeſ.64.4. 1 Corinth. 2.9.

*Ratio* 1. Quia quoad rem ipſam, ſupperat omnem comparationem qua poſſit illuſtrari. Epheſ. 3. 18. 2. Quia ſuperabundat iſta gratia ubi peccatum maxime abundavit. Rom. 5. 20. 3. Quia quoad modum diſpenſationis, intime applicatur ad cor ipſum. Epheſ. 5. 5.

*Vſus Exhortationis*. 1. Ad iſtam gratiam cum admiratione digna ſcrutandam, intuendam, & confitendam. Epheſ. 3. 18. Neh. 9. 5. 2. Ad eam omnibus vitæ ſtudio anteponendam: ſicut per illam omnibus anteponimur. Jeſ. 43 3.

XI. Pertinet iſta gratia ad illos ſolos, qui fiduciam ſuam totam collocant in Deo, ibidem.

*Ratio* 1. Quia allicit omnes illos, à quibus percipitur, ad fiduciam ſui. 2. Quia ſola fiducia applicatur. 3. Quia fiduciam illi denegantes, indignos ſemetipſos reddunt omni gratia.

*Vſus* 1. *Exhortationis*, ut in hac fiducia noſmetipſos ædificemus. 2. *Conſolationis*, ut in hac fiducia pia quadam ſecuritate acquieſcamus.

XII. Qui confidunt in iſta gratia Dei, protectionem inde certam habent ab omni malo, & copioſam omnis boni communicationem. v. 8, 9. Jer. 17. 7. Jeſ. 55. v. 1, 2.

Ratio

*Ratio.* Quia Deus est fons omnis vitæ & lucis, id est, omnis boni. v. 10. Jerem. 2. 13. & 17. 13. & 18. 14. Joh. 4. 14.

*Usus Directionis*, ut ex istoc fonte cum gaudio hauriamus, Jerem. 12. 3.

XIII. Religiosa contemplatio gratiæ Dei impellit homines ad eam precibus implorandam, v. 11.

*Usus Redargutionis*, adversus terrestres hominum animos, in concionibus de gratia audiendis.

XIV. Præces nostræ sustentantur illa consideratione, quod gratia hæc extenditur ad omnes syncere fideles. v. 11.

*Usus* 1. *admonitionis*, ut synceritati studeamus. 2. *Consolationis*, adversus imperfectiones.

XV. Ex promissionibus gratiæ, quæ generaliter fiunt, particularem & firmam consolationem hauriunt fideles in suis privatis necessitatibus. vers. 12, 13.

## PSALMUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

ODe *Davidis. Ne accendaris irâ propter maleficos; ne invideas facientibus iniquitatem:*

2. *Nam sicut fœnum cito succidentur, & sicut viriditas teneræ herbæ decident.*

3. *Confide in Jehova & fac bonum: inhabita terram & pascere fide.*

4. *Et oblecta te in Jehova; qui dabit tibi petitiones animi tui.*

5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo nam ipse efficiet:*

6. *Proferens tanquam lucem justitiam tuam, & jus tuum tanquam meridiem.*

7. *Acquiesce Jehovæ, & indesinenter expecta eum: ne accendaris ira propter prosperantem via sua, propter virum efficientem cogitata.*

8. *Absiste ab ira, & derelinque excandescentiam; ne accendaris ira; saltem ad malefaciendum.*

9. *Nam malefici exscindentur; exspectantes vero Iehovam; ipsi hæreditario jure possidebunt terram.*

10. *Et adhuc paululum, plane non* erit *improbus: quod si consideraveris locum ejus, non extabit.*

11. *Mansueti vero hæreditario jure possidebunt terram, & oblectabunt se in multitudine pacis.*

12. *Cogitante improbo contra justum, & frendente adversus eum dentibus suis.*

13. *Dominus ridet eum; quia videt advenire diem suum.*

14. *Gladium eduxerint improbi, & adduxerint arcum suum, ad dejiciendum pauperem & egentem, ad mactandum rectos via:*

15. *Gladius eorum intrabit in cor eorum, & arcus eorum confringentur.*

16. *Bonum est parum cuique justo, plus quam copia sua improbis multis.*

17. *Nam*

17. *Nam brachia improborum confringuntur; ſuſtinet autem juſtos Iehova.*

18. *Agnoſcit Iehova tempora integrorum; adeo ut poſſeſſio eorum in ſeculum futura ſit.*

19. *Non erubeſcant tempore malo, ſed diebus famis ſaturentur:*

20. *Dum improbi pereunt & inimici Iehovæ, ut quæ pretioſa ſunt in agnis:* ut hæc *conſumuntur in fumum* abeuntia, *conſumuntur* iſti,

21. *Mutuo accipit improbus, ſed non poteſt reddere: juſtus vero gratiam facit & donat:*

22. *Quia benedicti ab illo, hæreditario jure poſſident terram: maledicti vero ab illo, exſcinduntur.*

23. *A Iehova greſſus viri ſtatuuntur, cujus delectatur via.*

24. *Quum cadit, non dejicitur; quia Iehova ſuſtentat manum ejus.*

25. *Puer fui, etiam conſenui; ſed non vidi juſtum ita derelictum, ut ſemen ejus quæreret panem.*

26. *Toto die gratiam facit, & mutuat, & ſemen ejus in benedictione* eſt.

27. *Recede à malo; & fac bonum: ſic habita in ſeculum.*

28. *Nam Iehova amat jus, neque derelinquit quos benevolentia proſequitur: in ſeculum conſervatur, ſemen vero improborum exſcinditur.*

29. *Iuſti hæreditario jure poſſidebunt terram, & habitabunt in æternum ſuper eam.*

30. *Iuſti* cujus *os meditatur ſapientiam, cujus lingua loquitur jus.*

31. *In cujus animo* eſt *lex Dei ſui,* pes ejus *non labaſcit greſſibus ſuis.*

32. *Speculante improbo adverſus juſtum, & quærente morte illum afficere.*

33. *Iehova non derelinquit illum in manu iſtius; neque ſinit eum condemnari, quum judicatur.*

34. *Attende ad Iehovam, & obſerva viam ejus: tum extollet te ad poſſidendum terram jure hæreditario, excidium improborum videbis.*

35. *Vidi improbum magna vi erumpentem; & ſeſe explicantem, tanquam arbor indigena virens.*

36. *Deinde præteriit, & ecce non* erat *amplius: nam quæſivi eum, ſed non inventus eſt.*

27 *Obſerva integrum, & aſpici rectum; finem* iſtius *viri eſſe pacem:*

38 *Defectores vero perdi pariter, finem improborum exſcindi;*

39. *Nam ſalus juſtorum a Iehova eſt, robur eorum tempore anguſtiæ.*

40. *Et adjuvat eos Iehova, ac liberat eos: liberat eos ab improbis ac ſervat eos, quia recipiunt ſe ad ipſum.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Pſalmi eſt dirigere pios, quomodo ſe gerere debeant, reſpectu impiorum & proſperitatis ipſorum. Hunc in finem. 1. Officium, quod piis hoc reſpectu incumbit, indicatur. 2. Idem officium variis argumentis ſuadetur.

Officium eſt duplex. 1. Ut caveant ſibi ab illis tentationibus & pertur-

perturbationibus, quæ hac occasione solent etiam in piorum animis suboriri, id est, ab ira & invidia. v. 1, 7, 8. quæ effecto suo maleficentiæ declarantur. vers. 8. 2. Ut ex adverso, contra istas tentationes, arment & muniant semetipsos fide ac spe. vers. 3, 5, 6, 34. quæ suis fructibus illustrantur, 1. Studio boni. v. 3. 2. Oblectatione in Deo. ver. 4. 3. Integritate vitæ. v. 27. quæ per distributionem à subjectis, ore, corde, & gressibus, vel dictis, cogitatis, & factis, illustratur. ver. 30, 31.

Rationes, quibus exhortationes illæ suadentur. 1. Generaliter proponuntur. 1. Comminatione erga impios. 2. Erga pios promissione inhabitationis terræ promissæ & pastionis. vers. 2. 3. desideriorum expletionis. ver. 4. in fine. pietatis claræ remunerationis. ver. 6. 2. Specialiter magis. 1. A fine & exitu utriusque conditionis, piorum scilicet & impiorum, qui inter sese committuntur. tandem enim bonis bene, & malis male erit. ver. 9, 10, 11. 2. A causa hujus exitus eventui, quæ est efficax Dei providentia. ver. 12. ad 25. quæ suis effectis illustratur. 1. Confusione improborum in suis consiliis. ver. 12, 13, 14, 15. 2. Benedictione modici, quod habet pius, supra abundantiam impiorum. vers. 16, 17, 18, 19, 21, 22. 3. Protectione, & liberatione piorum ab iis malis in quibus impii plane demerguntur. ver. 20, 23, 24. 3. Confirmatur hæc providentia testimonio & experientia Davidis. ver. 25, 26. 4. Eadem providentia Dei repetitur & illustratur. v. 28, 29, 32, 33, 39, 40. & ejusdem confirmatio ab experientia Davidis, repetitur etiam vers. 35, 36. cui annectitur observatio & experientia similis, quam omnes pii possint ac debeant sibimet comparare, ad eandem veritatem confirmandam. ver. 37, 38.

## DOCUMENTA.

I. Omni seculo inveniuntur homines impii, externa fœlicitate & eminentia gaudentes. ver. 1. & toto Psalmo habetur hoc pro concesso. Ecclesiast. 8. 10.

*Ratio* 1. Ut Dei patientia in illis declaretur. 2. Ut judicia Dei per ipsos perficiantur. 3. Ut filii Dei hoc pacto explorentur.

*Usus admonitionis*, ne mirum aut novum quid videatur nobis, si hoc idem experiamur.

II. Status iste impiorum piis multis solet esse scandalo & tentationi. ibidem. Psalmo 73. Job. 21. Jes. 63. 17. Jerem. 12. 1. Hab. 1. 12.

*Ratio* 1. Quia non satis intelligunt, vel non satis acquiescunt in sapienti Dei dispensatione, & gubernatione, & nimium tribuunt suæ rationi. 2. Quia in rebus externis nimis inhærent. 3. Quia ex infirmitate festinant nimis, & finem non exspectant.

*Usus admonitionis*, ut infirmitatem nostram serio ad animum revocantes caveamus nobis ab ista tentatione.

III. Præcipua tentatio, quæ oritur ex apparente fœlicitate impiorum, in ira & invidia consistit. ibid Prov. 24. 19.

*Ratio* 1. Quia fœlicitas illa externa

terna conferri videtur indignis, & dignis negari; quæ eſt iræ vel indignationis cauſa. 2. Quia hoc videtur cedere in opprobrium & contumeliam pietatis; quæ eſt cauſa æmulationis perverſæ. 3. Quia pii ex infirmitate dolent ſibi deeſſe quod impiis vident concedi: unde ſequitur invidia proprie dicta.

*Quæſt.* Annon dolere & aliquo modo iraſci liceat, cum impii exaltantur?

*Reſp.* Licet & decet, reſpectu impietatis hac ratione auctæ vel confirmatæ. Proverbio. 29. 2. ſed non licet proſperitate eorum conturbari, quaſi vel fœliciores eſſent piis, vel Deum accuſaremus iniquæ rerum diſpenſationis: cujus exemplum habemus in Jona.

IV. Adverſus iſtam tentationem corda noſtra munire debemus, fide, & ſpe firma & viva. v. 3, 5, 6, 34.

*Ratio* 1. Quia illa tentatio directe tendit ad fidem & ſpem noſtram infirmandam. ejus enim concluſio prima eſt: fruſtra pendetur à Deo. Mal. 3. 14. Pſalm. 37. 13. & inde deducitur ſecunda: ſequendas eſſe vias improborum. Proverbior. 3. 31. & 24. 1.

2. Quia fides, & ſpes, inſtar ſcuti & galeæ, defendunt nos ab omnibus Diaboli jaculis ignitis. Epheſ. 6. 16, 17. 1 Theſſ. 5. 8.

3. Quia hujus tentationis victoria ſigulariter conſiſtit in fidei ac ſpei corroboratione. 1 Johann. 5. 4. nullum enim locum habet, ubi fides ac ſpes valent & vigent.

*Vſus Admonitionis*, ut ſemper caveamus nobis à primis motibus infidelitatis; & ex ipſis occaſionem capiamus, in fide, ac ſpe, noſmetipſos magis confirmandi, & exædificandi.

V. Res eſt magnæ difficultatis, fiduciam in Deo ſolide & conſtanter collocare, ex hujus exhortationis inculcatione tam ſæpe repetita.

*Ratio* 1. Quia fidei noſtræ ſundamenta ſunt inviſibilia, & à ſenſibus remota. 2. Quia tentationes fidem impugnantes, ſunt viſibiles, & in ſenſum noſtrum incurrentes, ac ſeſe ingerentes.

3. Quia conſcii nobiſmetipſis ſumus multiplicis reatus, quo fides noſtra poſſit infirmari.

*Vſus* 1. *Redargutionis*, adverſus eos, quibus facile videtur fidem & fiduciam æque firmam perpetuo retinere, talis fides vix poteſt eſſe vera. 2. *Admonitionis*, ut magna cura & conatu huc incumbamus, ad omnes difficultates iſtas per gratiam Dei ſuperandas.

VI. Sincera fides eſt efficax & operativa in faciendo bono. ex verſ. 3.

*Ratio* 1. Quia removet illas tentationes quæ impediunt homines à faciendo bono, & ad malum faciendum impellunt. 2. Quia bonitatem Dei apprehendit, atque adeo animam facit participem boni. 3. Quia ducit ad Deum, & proinde ad viam illam bonam, quæ tendit ad Deum. 4. Quia bene faciendo, fides & ſpes alantur, & confirmantur.

*Vſus* 1. *Directionis*, ut ex operibus de ſide judicemus. 2. *Exhorta-*

*hortationis*, ut operibus bonis ex fide studeamus.

VII. Ex fide efficaci, & operante, sequitur oblectatio in Deo. vers. 4.

*Ratio* 1. Quia oblectatio est quies in boni congruentis fruitione. hæc autem omnia in fide & spe modo perfectissimo reperiuntur. 2. Quia delectatio est desideriorum satisfactio & quies. hoc autem in fide & spe efficitur, sine fastidio, & satietate elienante. Psalm. 103. 5. Jes. 55. 2. 3. Quia pertinet ad beatitudinem: quam per fidem ac spem adipiscimur in fruitione Dei. 1 Pet. 1. 8. Heb. 3. 6.

*Usus Admonitionis*, ut delectationibus sensualibus spretis, spiritualem istam & solidam consectemur.

Notæ hujus delectationis sunt hujusmodi. 1. In Dei lege cum summa voluptate versatur. Psalm. 119. 16. delectatio enim perficit operationem, quatenus signum est operationis aliquo modo perfectæ; & quatenus excitat ad operationem illam exercendam & frequentandam. 2. Instituta Dei maximi facit. Jes. 58. 13. quia ista sunt media communionis cum Deo habendæ. 3. In sanctis Dei delectatur. Psalm. 16. 3. quia imago quædam Dei in illis apparet.

VIII. Qui credunt in Deum, & in eo se oblectant, devolvent super eum vias suas, v. 5. Proverb. 16. 3. Psalm. 55. 22. 1 Pet. 5. 7.

*Ratio*. Quia devolvere vias nostras super Deum, nihil aliud est, quam vias nostras ad eum dirigere, cum certa exspectatione fœlicis eventus. hoc autem includit vera fides & oblectatio in Deo syncere collocata. fides enim in Deum tendit, promissionem apprehendens: & oblectatio allicit & trahit ad Deum.

*Usus* 1. *Redargutionis*, adversus eorum impietatem, in quorum viis Deus non spectatur. 2. *Consolationis*, erga pios, qui Deum quærunt in via bona: qua possint omnem curam suam devolvere in Deum.

IX. Patienter silere in difficultatibus magnis, propter Deum, fructus est spei insignis. vers. 7. 1 Thess. 1. 3. Lament. 3. 25, 26. Psal. 39. 10. & 26. 1, 5. & 131. 2.

*Ratio*. Quia spes est patiens exspectatio: obmurmuratio autem est impatiens perturbatio.

*Usus Admonitionis*, ut sancto huic silentio studeamus.

X. Singulare fulcrum fidei nostræ adversus tentationes illas quæ ex prosperitate impiorum, & piorum afflictione oriuntur, est finem & exitum harum rerum spectare. ex v. 9. &c.

*Ratio* 1. Quia ex fine & fructu omnia sunt estimanda. 2. Quia rerum differentiæ ex initiis & principiis non possunt sæpe dignosci, sed ex progressu & fine. 3. Quia in eo differt impiorum & piorum status, quod impii à meliore conditione in pejorem ruant; pii vero ad meliora semper tendant & ascendant. Bonum vinum iis primo apponitur, sed istis ultimo in loco, secundum distinctionem architriclini. Joh. 2. 10. Luc. 16. 25. 4. Quia sicut inter cætera animalia, & hominem, hoc interest, quod homo solus futura cogitat, illis presentia tantum

tum intuentibus: sic etiam spirituales homines, ab hominibus animalibus, stultis, & brutis in eo differunt, quod cum illi toti sint in iis quæ aliquo modo vel in se, vel in conjectura sunt sensui præsentia, isti spectant futura, sensui nullo modo apparentia.

5. Quia fides & spes natura sua feruntur in bona futura, non apparentia.

*Usus Directionis*, ut qualiacunque sint præsentia, nos de fine semper cogitemus, & ad eum vias nostras dirigamus. Deut. 32. 29.

XI. De fine rerum judicium certum ferri potest solummodo ex promissionibus & comminationibus Dei. ex vers. 9, 10, 11, &c.

*Ratio* 1. Quia omnes aliæ regulæ sunt incertæ & fallaces: ex iis enim nulla necessaria consequentia potest finis hic aut ille concludi, quæ superioris potestatis dispositioni subjiciuntur. 2. Quia promissiones & comminationes Dei, sunt testimonia ejus, qui omnia novit, ordinat, disponit, & (quoad finem ultimum) facit.

*Usus Admonitionis*, ne ex mediis apparentibus, ex sensu & imaginatione nostra, vel opinione vulgi judicemus de fine; sed ex Dei voluntate revelata pendeamus toti.

XII. Finis hujus manifestatio paululum tantum differtur. v. 10. *adhuc paululum*.

*Ratio* 1. Quia dilatio ejus non est ex tarditate, sed ex longanimitate, & bonitate. Heb. 10. 37. 2 Pet. 3. 9. 2. Quia tempore constituto perficietur. 1 Sam. 26. 10. Ezech. 21. 25. 29. Jerem. 50. 27. Psalm. 137. 7.

*Usus Admonitionis*, ut in patientia animas nostras possideamus. Heb. 10. 36.

XIII. Potens & efficax Dei providentia finem suum assequitur invitis impiis, idque per ipsornm propria consilia, & conatus. ex v. 12, 13, 14, 15. Psalm. 31. 16.

Exempla habemus in Pharaone, Hamane, Judæis, &c. spiritualiter hoc semper fit, & sæpe visibiliter.

*Ratio* 1. Quia impii ipsi subjiciuntur Dei providentiæ, tanquam serræ, baculi virgæ in ejus manu. 2. Quia gloria potentiæ & justitiæ Dei magis elucet, quando consilia improborum in sua capita retorquet, quam si aliis mediis ipsos puniret. 3. Quia hac ratione consilia illa improba in quibus maxime sibi placent, redduntur fatua, authoribus pœnitenda, & aliis fugienda.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne quis in consiliis improbis fiduciam ullam collocet. 2. *Consolationis* erga pios, qui consiliis improbis impugnantur.

XIV. In hac ipsa vita providentia ista aliquo modo apparet. ex versiculis 16, 17.

*Ratio*. Quia quamvis non semper carnalibus oculis, spiritualiter tamen differentia magna inter pios & impios potest observari.

*Usus Admonitionis*, ne ex sensu pendeamus, sed ex fide spirituale judicium feramus de viis Dei.

XV. In eo magna pars hujus differentiæ consistit, quod melius parum cuique justo, quam abundantia magna improbis multis ex v. 16. Prov. 15. 16 & 16. 18. 1 Tim. 6. 6.

*Ratio* 1. Quia meliore jure possident & fruuntur. 2. Quia

majorem in illo habent contentationem. 3. Quia majorem inde percipiunt consolationem. accipiunt enim quod habent, tanquam pignus benevolentiæ Divinæ. 4. Quia benedictionem Dei singularem habent conjunctam. omnia siquidem piis ex amore communicantur, & co-operantur in bonum. ex usu etiam illo, quem gratia docet, auctarium accedit, qui (si comparatio instituatur cum improborum quorundam abusu) proportionem habet ad multiplicationem olei viduæ Sareptæ. 1 Reg. 17.

*Usus Exhortationis*, ad contentationem in maxima rerum tenuitate. 1 Tim. 6. 8.

XVI. Pii ex portiuncula sua parva sunt benefici, cum impii ex sua copia sint malefici. v. 21, 22.

*Ratio* 1. Quia aliqua pars benedictionis & maledictionis, in hac differentia consistit. 2. Quia pietas & impietas tanquam dispositiones internæ varietatem hanc faciunt in dipensatione donorum Dei sibi concreditorum. 1 Pet. 4. 10.

*Usus Exhortationis*, ad illa quæ habemus quantulacunque fuerint recte collocanda.

XVII. Benedictio ista potest obscurati, sed non extingui. v. 24.

*Ratio* Immutabilis Dei assistentia. ibid.

*Usus Consolationis*, adversus quaslibet angustias, quibus pii possint premi.

XVIII. Sapientibus hæc providentia per experientiam confirmatur. ex v. 25, 26.

*Ratio* 1. Quia sapientes distinguunt inter casum, & dejectionem vel abjectionem, sic enim v. 25. interpretationem habet ex vers. 24. 2. Quia sapientes non judicant ex iis quæ præsentia sua incurrunt in sensus, sed finem patienter exspectant. sic interpretandus est iste versiculus ex v. 10, 11. sicut apparet ex continuatione illa miseriæ justi & seminis ejus, quæ istis verbis diserte negatur. 3. Quia sapientes distinguunt inter maledictionem & castigationem vel explorationem paupertatis. 4. Quia sapientes norunt externam prosperitatem eatenus promitti, quatenus Deus eam viderit expedire. 5. Quia sapientes intelligunt defectum terrenæ prosperitatis, non minus compensari & exhauriti fœlicitate cælesti, quam lucernæ alicujus defectus à præsentia solis absorbetur.

*Usus Directionis*, ut sapienti observatione experientiam illam nobis comparemus, qua fiducia nostra de bona Dei providentia confirmatur.

XIX. Tota ista consolatio ad illos solos pertinet, quorum gressus in via illa statuuntur, qua Deus delectatur. ex v. 23.

*Ratio* 1. Quia solidæ benedictionis Dei principium & fundamentum est gratia. 2. Quia via gratiæ sua natura ducit ad omnem benedictionem: habet enim promissiones vitæ hujus & futuræ. 3. Quia sicut peccatum benedictiones convertit in maledictiones, sic ex adverso gratia in gravissimis afflictionibus benedictionem apprehendit.

*Usus Admonitionis*, ut prima nostra cura sit de gratia Dei ad gressus

ſus noſtros recte dirigendos: reliqua enim adjicientur, Matth. 6. 33.

XX. Omnes exhortationes, promiſſiones, & comminationes divinæ tendunt ad obedientiam perſuadendam. ex v. 27. &c. cum antecedentibus. 1 Johan. 2. 1.

*Ratio* 1. Quia hic eſt finis & perfectio Theologiæ, vel doctrinæ ſacræ, ut Deo vivamus. 1 Pet. 4. 2. Tit. 2. 12. 2. Quia exhortationes, promiſſiones & comminationes ſunt ſigna voluntatis Dei à nobis implendæ: illa autem voluntas obedientia ſola poteſt à nobis impleri. 3. Quia exhortationes pleræque omnes tanquam obedientiæ præcepta finem iſtum expreſſe deſignant: promiſſiones autem & comminationes nihil aliud ſunt quam ſanctiones præceptis illis ad eorum confirmationem adjunctæ.

*Uſus Directionis*, ut ex omni verbo Dei in obedientia nova perficere diſcamus.

XXI. Prima pars obedientiæ eſt recedere à malo. ex v. 27.

*Ratio* 1. Quia reſipiſcentia conſiſtit in converſione, cujus terminus à quo, eſt malum deſerendum & deponendum. 2 Quia quod bonum eſt non poteſt cuiquam ſerio placere, cui malum contrarium non prius incipit diſplicere. 3. Quia nulla eſt communio tenebris cum luce, malo cum bono, in deliberata voluntatis electione & intentione.

*Uſus Redargutionis*, adverſus eos qui videri volunt boni, & non abhorrent interim à malo.

XXII. Non ſatis eſt à malo recedere, niſi etiam quod bonum eſt perſequamur. ibid.

*Ratio* 1. Quia vocamur proprie ad bonum; ſi ab omni malo eſſemus immunes, vocatio tamen invitaret ad bonum. 2. Quia perfectio noſtra conſiſtit proprie in bene vivendo; non in eo, ſi minus male vivamus. 3. Quia fieri non poteſt ut ſolide recedamus à malo, niſi bonum faciendo. privatio enim non tollitur, niſi habitu ſuperveniente: tenebræ non removentur, niſi per præſentiam lucis.

*Uſus* 1. *Redargutionis*, adverſus eos quorum pietas omnis in negationibus conſiſtit. 2. *Exhortationis*, ut ſtudio boni, pietatem & obedientiam non privativam ſed poſitivam conſectemur.

XXIII. Amor Dei erga jus, debet in nobis excitare amorem juſte vivendi. ex v. 28. Pſalm. 35. 5.

*Ratio* 1. Quia ſimiles debemus eſſe Patri noſtro cœleſti. Matth. 5. 48. quæ ille amat amantes, & odio proſequentes quæ ille odio habet. Apoc. 2. 6. 2. Quia amor juris in Deo infert neceſſario amorem juſte viventium. 3. Quia iſte amor Dei erga jus & juſtos certam reddit juſtis mercedis promiſſæ exſpectationem. 2 Tim. 4. 8.

*Uſus Directionis*, ut iſtiuſmodi meditationibus fidem ac ſpem noſtram confirmemus, ad animas noſtras Deo commendandas bene agendo. 1 Pet. 4. 18.

XXIV. Vir juſtus ſingulariter dignoſcitur ex ſermone ſapiente & juſto. ex verſ. 30. Proverb. 10. 20. & 12. 18. & 15, 2, 4.

*Ratio* 1. Quia citius, facilius, &

ſæpius bene loquuntur homines pii, quam bene poſſint operari.
2. Quia pii multi affectus, qui opere externo non poſſunt exequutioni mandari, poſſunt tamen ſermone ſignificari. 3. Quia ſermo magis perfecte exprimit quo animo bona opera fiunt, quam opera ipſa per ſe.

*Vſus Admonitionis*, ut magnam curam habeamus ſermonis noſtri. Epheſ.4.29. Jacob.1.26.

XXV. Præcipua tamen pietas & juſtitia hominis in eo conſiſtit, quod legem Dei habet in corde. ex v.31. Deut.6.6. Pſalm.40.9. Jeſ.51.7. Jer.31.33.& 32.40. Heb. 8.10.

*Ratio* 1. Quia Deus præcipue requirit cor. Prov.3.1.& 4.4.21.23. & 6.21. & 7.3. & 23.26. 2. Quia Deus etiam eſt cordis ſcrutator, & judicat ex corde. Prov. 21.2. & 24.12. 3. Quia cordis & voluntatis actus eſt proprie actus humanus, & hominis totius. Rom. 7.20. 4. Quia ſecundum cordis inclinationem, tam ſermo, quam actiones omnes externæ exercentur & diriguntur. Prov. 16.23. 5. Quia verba & opera nihil bonitatis in ſeſe habent ſi à corde ſeparentur: ex corde enim ſolo obedientiæ & inobedientiæ ratio in omnes actus emanat. Prov.4.23.

*Vſus Admonitionis*, ut ſupra omnia cuſtodiamus corda noſtra. ibid.

XXVI. Pietatis & juſtitiæ perfectio pendet ex patientia & conſtantia ſpei. ex v.34.

*Ratio* 1. Quia ſpes mercedis obedientiam alit. idcirco enim cum alacritate Dei mandatis obtemperamus; quia in promiſſionibus ejus ſperamus. 1 Cor.15.58.
2. Quia ſpes eadem ſuſtentat obedentiæ ſtudium ad tentationes omnes adverſas contemnendas. Heb. 12.2. 3. Quia patientia ſpei obedientiam reddit conſtantem. Heb. 10.35,36.

*Vſus Directionis*, ut in vera & viva ſpe noſmetipſos magis magiſque exædificemus.

XXVII. Obſervatio & experientia religioſa ſpem iſtam confirmat. ex v 35,36,37,38. Rom.5.4.

*Ratio* 1. Quia promiſſio illa, qua ſpes nititur, vias Dei religioſe obſervantibus, ex parte impleta demonſtratur. 2. Quia ex iſtis primitiis integrum promiſſionum complementum ſequuturum indicatur, propter immutabilem conſtantiam promittentis.

*Vſus Exhortationis*, ad obſervationem non vulgarem, ſed ſeriam, gravem, & religioſam in iſtis rebus adhibendam.

XXVIII. Obſervatio religioſa reſpicit finem prout à Deo ordinatur. ex v 37. ad finem.

*Ratio* 1. Quia rerum omnium perfectio in fine conſiſtit.
2. Quia ſecundum finem omnes actiones noſtras, tanquam media, dirigere debemus. 3. Quia cum Deus ipſe ſit aliquo modo finis piorum; qui reſpicit finem, reſpicit Deum ipſum.

*Vſus Directionis*, ut in omnibus de fine ſemper cogitemus.

## PSALMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

*Psalmus Davidis ad recordandum.*

2. *Iehovah, ne in fervente ira tua arguas me, aut in excandeſcentia tua caſtiges me.*

3. *Nam ſagittæ tuæ* altæ *infixæ ſunt in me, & dimiſiſti ſuper me manum tuam.*

4. *Non* eſt *integritas in carne mea, propter deteſtationem tuam: non* eſt *pax in oſſibus meis propter peccatum meum.*

5. *Nam iniquitates meæ tranſcendunt caput meum; ut onus grave, graviores ſunt quam perferre queam.*

6. *Putruerunt, contabuerunt tumices mei, propter ſtultitiam meam.*

7. *Diſtorqueor, incurvor pervalde; tota die atratus pergo.*

8. *Quia ilia mea plena ſunt vilitate, adeo ut non* ſit *ulla integritas in carne mea.*

9. *Debilitatus & attritus ſum pervalde, rugio præ fremitu animi mei.*

10. *Domine, coram te* eſt *totum deſiderium meum; & ſuſpirium meum à te non eſt abſconditum.*

11. *Cor meum palpitat, derelinquit me virtus mea; & lux oculorum meorum, etiam ipſi non* ſunt *penes me.*

12. *Amici mei & proximi mei è regione plagæ meæ ſubſiſtunt, & propinqui mei è longinquo abſiſtunt.*

13. *Tendunt vero laqueos, qui quærunt animam meam: & qui requirunt malum meum, loquuntur ærumnas, & dolos toto die meditantur.*

14. *Quos ego tanquam ſurdus non audio, & tanquam mutus non aperiens os ſuum;*

15. *Sed ſum tanquam is qui non audit, & in cujus ore non* ſunt *argumenta.*

16. *Quia te Iehova expecto,* ut *tu exaudias, Domine Deus mi:*

17. *Quia dico,* videndum *ut non lætentur de me; nutante pede meo, contra me magnificent ſe;*

18. *Si ego ad claudicationem comparatus* fuero; *& dolor meus* fuerit *coram me jugiter.*

19. *Quandoquidem iniquitatem meam judico, ſollicitus ſum de peccato meo:*

20. *Inimici autem mei vivi roborantur, & multiplicantur qui oderunt me falſis de cauſis.*

21. *Et reddentes malum pro bono, adverſantur mihi; eo quod ſector bonum.*

22. *Ne derelinquas me, Iehova: Deus mi, ne longe abſis à me.*

23. *Feſtina ad auxilium meum, Domine ſalus mea.*

# ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est misericordiam Dei implorare respectu prementium afflictionum. Indicatur iste scopus in titulo, *ad recordandum*: qui Psalm. 70. ex simili occasione adhibetur. recordatio autem intelligitur miseriæ ex misericordia. Psalm. 132. Jes. 62. 6. & 63. 7. Idem scopus petitione distincta explicatur in principio tanquam quæstio v. 1. & in fine, tanquam conclusio Psalmi. v. 22, 23. Suadetur hæc petitio. 1. A gravitate afflictionum quatenus à Deo irato procedebant. à v. 1. ad 12. 2. Ab earam iniquitate & acerbitate, quatenus ab hominibus proficiscebantur. vers. 12, 13. 3. Ab obedientia sua in iisdem afflictionibus tolerandis. v. 14. ad 21.

Gravitas afflictionis à Dei immissæ declaratur. 1. Ab intentione earum, quatenus ad intima viscera tanquam sagittæ penetrabant. v. 3. 2. A causa, quæ fuerunt peccata, quæ Deo erant detestationi. v. 4. 3. Ab earum extensione, quatenus undequaque obruebant Davidem quasi aquis multis demersum, & pressum onere gravissimo. v. 5. 4. A partibus, quarum inductione amplificatur. v. 6, 7, 8, 12. 5. Ab effectis. v. 10, 11.

Iniquitas & acerbitas earundem afflictionum ratione hominum ostenditur tam in amicis, à quibus deserebatur v. 12. quam in inimicis, qui insidias exitiales illi struebant. v. 13.

Patientia Davidis 1. Describitur tanta fuisse, ut hominibus ἀναλγησία aut insensibilitas stupida potuerit videri. v. 14, 15. 2. Eadem patientia illustratur à propria ejus causa, spe scilicet & fiducia in Deo collocata. v. 16. 3. Spes ista declaratur per proprium ejus effectum, preces coram Deo effusas. v. 17, 18. 4. Harum precum consolatio declaratur ab effecto earum, quod certo exspectabat. v. 16. in fine. 5. Hujus exspectationis confirmatio additur, ab humiliatione sua, & superbia ac malitia inimicorum. v. 19, 20, 21.

## DOCUMENTA.

I. Afflictiones in piis eliciunt preces recordationis. v. 1.

*Ratio* 1. Quia excitant pios ad omnis officii curam. hoc autem est commune officium piorum: Levit. 22. 9. 1 Chron. 16. 4. Jes. 66. 3. Nehem. 13. 14. Act. 10. 4. 2. Quia hoc officium maxime convenit afflictis, quorum Deus videtur sæpe quasi oblitus, quia illi in peccando obliti fuerant Dei. 3. Quia Deus quando constituit suorum recordari, Spiritum suum emittit, qui præparat eos ad istam recordationem quærendam.

*Usus Admonitionis*, ut semper Dei memores ab ipso in memoria haberi quæramus, sed præcipue in afflictionibus nostris.

II. Adversus afflictiones non solent pii simpliciter precari. v. 2.

*Ratio* 1. Quia hæc est disciplina qua Deus utitur erga suos. Heb. 12. 6. 2. Quia cedunt in bonum. ibid. v. 10, 11. Psalm. 119. 71. 3. Quia crux nobis à Deo imposita libenter & prompte ferri debet. Matth. 10. 38.

*Usus*

*Vſus Admonitionis*, ne immunitatem iſtam exſpectemus.

III. Contra ferventem iram & excandeſcentiam Dei precantur v.2. Jer.10.24.

*Ratio* 1. Quia illas afflictiones fugiunt quæ conſolationem tollunt. 2. Quia deſertionem Dei fugiunt. v.22. 3. Quia tentari metuunt ſupra ſuas vires.

*Vſus Directionis*, ut in afflictionibus noſtris præcipuam rationem habeamus iræ Dei peccatis noſtris provocatæ.

IV. Dei manum ſentiunt & agnoſcunt. v.3.

*Ratio* 1. Quia providentiam ejus efficacem eſſe norunt in afflictionibus ordinandis ac dirigendis. 2. Quia impii & duri cordis eſt, manum Dei in afflictionibus non curare. Jeſ. 26.11. & 9.13. 3. Quia ſenſus viſitationis Dei eſt principium humiliationis illius, qua liberatio ita quæritur ut obtineatur.

*Vſus Admonitionis*, ne in caſum, aut cauſas ſecundas afflictiones noſtras rejiciamus, ſed manum Dei ſemper intueamur.

V. Peccatorum ſuorum merita in omnibus ſuis afflictionibus agnoſcunt. v. 4, 5.

*Ratio* 1. Quia peccatum eſt propria cauſa mortis, & culpa pœnæ. Rom. 5. 2. Quia illæ utique afflictiones, quæ vel probationis, vel exempli cauſa, piis immittuntur, fundamentum ſuum habent in peccato. 3. Quia niſi hominis mala patientis peccatum agnoſcatur, juſtitia Dei eadem infligentis non poteſt agnoſci.

*Vſus Directionis*, ut in omnibus preſſuris oculos noſtros ad peccata imprimis convertamus.

VI. Suſpiria ſua eorum Deo effundunt cum ſpe. v.10. Lam.3.41.

*Ratio* 1. Quia iram Dei ut fugiant, confugiunt ad gratiam & miſericordiam Dei. 2. Quia peccatis iram illam provocantibus non poſſunt liberari, niſi per converſionem ad Deum in vera fide & ſpe. 3. Quia afflictionum finis eſt afflictum excitare ad affligentem quærendum.

*Vſus Directionis*, ut iſthoc effecto, humiliationem piam, à dejectione deſperata diſcernamus.

VII. Ab hominibus nullum ſæpe levamen habent, ſed miſeriæ potius exacerbationem. v.12,13.

*Ratio* 1. Quia impii homines inſultant piis, quos vident afflictos. hoc ſingulariter expertus eſt Chriſtus, & David tanquam typus ejus. 2. Quia pii ſæpe non prudenter ſe gerunt erga attritos. Pſalm.41 2. 3. Quia Deus hac ratione evidenter facit apparere, ſuum auxilium per ſe ſufficiens eſſe ſuis.

*Vſus Admonitionis*, ne ab hominibus pendeamus, ſed à Deo ſolo.

VIII. Conſolatio & robur eorum eſt in ſilentio, & ſpe. v 14,15, 16. Jeſ.30.15. Silentium non intelligitur ſtupidum, ſed prudens & patiens. Deo enim humiliter loquuntur. v.19. & hominibus etiam loquitur vita eorum v.21. ſed abſtinent à murmuratione adverſus Deum, & ab inutili cum hominibus litigatione.

*Ratio* 1. Quia conſcii ſunt ſibi ſuorum demeritorum coram Deo. 2. Quia cum Deo magis quam cum hominibus intelligunt ſe negotium habere. 3. Quia ſpes vera patientiam parit.

*Vſus Admonitionis*, ne afflictionis tempore perturbationibus indulgeamus.

# PSALMUS TRIGESIMUS NONUS.

*Magistro symphoniæ Ieduthuni; Psalmus Davidis.*

2. *Dixeram; observabo vias meas, ne peccem lingua mea; servabo circa os meum capistrum, tantisper dum improbus* erit *coram me.*

3. *Obmutueram taciturnus, silebam* etiam *a bono; sed dolor meus incrudescebat.*

4. *Incalescente vero animo meo in me, in meditatione mea exardescente igne; loquutus sum lingua mea,* dicens;

5. *Fac ut experiar, Iehova, finem meum, mensura dierum meorum quid sit; experiar, quam durabilis sum.*

6. *Ecce, palmares disposuisti dies meos; & tempus meum ut nihil* est *coram te: profecto omnimoda vanitas omnis homo* est, quantumvis *constitus maxime.*

7. *Profecto per imaginem præterit vir, profecto* in *vanum perstrepunt: congregat* quispiam, *sed nescit quis recepturus sit ea.*

8. *Sed jam quid exspecto Domine? spes mea in te est.*

9. *Ab omnibus defectionibus meis eripe me, probro stultis ne exponas me.*

10. *Obmutesco, non aperio os meum: quia tu fecisti.*

11. *Remove à me plagam tuam, à conflictu manus tuæ ego deficio.*

12. *Si reprehensionibus pro iniquitate castigares quempiam, dissolveres sicut tineam quod inest ei desiderabile: profecto vanitas* est *omnis homo maxime.*

13. *Audi orationem meam, Iehova, & clamorem meum; aurem adverte ad lacrymas meas, ne surdum agas: quia peregrinus sum coram te, inquilinus ut omnes majores mei*

14. *Desiste à me, ut recreem me; quum nondum abeo, ut non amplius* sim.

## ANALYSIS.

PROPOSITUM Davidis in isthoc Psalmo est, petere liberationem à gravi calamitate, qua propter sua peccata fuit à Deo, per improbos homines, in conspiratione Absalomi (ut maxime verisimile est) affectus. Istam petitionem proponit vers. 9. cum confessione suorum peccatorum, & stultitiæ vel improbitatis persecutorum suorum accusatione. Eandem repetit vers. 11. cum agnitione justæ visitationis & castigationis Dei. Triplicem etiam istam considerationem calamitatis suæ conjungens eandem illam petitionem generalibus verbis inculcat. v. 13. & 14.

Hanc petitionem suam illustrat per oppositionem confessionis suæ infirmitatis, qua præter officium hominis pii, & ex Deo pendentis, impatienter optaverat mortem, & de conditione tam sua, quam hominum omnium in communi, sicut homines in desperatione positi solent, accusatorie fuerat conquestus. vers. 4, 5, 6, 7. Hanc tamen obmurmurationem, ex infirmitate, non ex impietate profectam esse declarat per diversum propositum contra faciendi. vers. 2. & ejusdem ad tempus observationem, vers. 3. atque etiam per vehementiam tentationis,

ex qua violatio hujus propoſiti in perturbatione contraria ſequebatur.v.3.in fine, & v.4.

Petitionem hoc modo illuſtratam confirmat ac ſuadet. 1. A profeſſione ſuæ ſpei, & expectationis priori deſperationi oppoſitæ. verſ.8. quæ ſpes ita cauſa eſt petitionis, ut exauditionis etiam & certitudinis ejus per gratiam Dei, ſit cauſa adminiſtrans. 2. Eandem petitionem confirmat à profeſſione patientiæ ſuæ,priori obmurmurationi oppoſitæ, quæ ſilentio tanquam effecto, & providentia Dei, tanquam cauſa procreante ac impellente declaratur. verſ. 10 Hæc autem patientia ſubjungitur ſpei tanquam fructus ejus, & una cum illa medium exauditionis vel liberationis conſequendæ. 3. Petitionis exauditionem urget ab eventu ex ejus negatione aut dilatione ſecuturo.v. 11. in fine.*ego deficio.* & verſ. 14. in fine.quem eventum quatenus particulariter ad ipſum ſpectabat, illuſtrat à pari con ditione omnium hominum quorum excellentiam coram ira Dei ſimilem eſſe tineæ agnoſcit : cujus cauſam notat (cum pathetica exclamatione ) in generali vanitate hominum reſidere. ver. 12. 4. Ad petitionem urgendam, addit etiam confeſſionem ſuæ egeſtatis, qua tanquam cauſa prolicitur auxilium Dei. quæ egeſtas ſimili hominis peregrini, & pari conditione patrum illuſtratur.v.13.in fine.

DOCUMENTA.

I. In omni vexatione, primaria noſtra cura debet eſſe,ne peccemus. ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia omnis afflictionis præcipuum malum, & aculeus, eſt peccatum, 1 Corinth. 15. 56. 2. Quia hic eſt Satanæ præcipuus ſcopus, ut per afflictionum vexationes induceret nos in tentationem. Job 1. 11. & 2. 5. 3. Quia Deus nos in afflictionibus probat, quomodo illas ferre valeamus, in melius, non in pejus ex iis proficientes. 4. Quia peccatum non tollit aut minuit, ſed maxime aggravat, auget,& infigit afflictiones.

*Uſus Directionis*, ut in omnibus moleſtiis, ad peccati periculum imprimis attendamus.

II. Ut abſtineamus à peccato, diligens obſervatio requiritur, tum circa vias noſtras omnes, tum circa linguam & verba noſtra. ibidem.

*Ratio* 1. Quia tentatio tot viis obrepit, ut ſine diligenti vigilatione non poſſit vitari. 2. Quia nos tot modis obnoxii ſumus peccato, ut cuſtodia diligenti opus habeamus, ne ex aliqua occaſione prolabamur. 3. Quia lingua noſtra ita parata eſt quemlibet conceptum pravum parere,& perficere, ut ſingulariter debeat frænari & coërceri. Jac. 3.8.

*Uſus Admonitionis*, ne unquam ſecuritati locum demus, ſed in ſpecula,& obſervatione noſtra jugiter perſtemus.

III. Vis aliquando facienda eſt affectibus noſtris, ne prorumpant, ibidem. *ſervabo circa os meum capiſtrum.*

*Ratio* 1. Quia ſic conceptio peccati non debet perfici. Jac. 1. 15. Prov. 30. 32. 2. Quia hac ratione peccatum in prima conceptione ſuffocatur. 3. Quia regnum peccati hoc modo impeditur. Rom.8.12,13.

Uſus

*Usus Admonitionis*, ne molliter nimis cum pravis nostris cupiditatibus agamus, sed fortiter iis resistamus.

IV. In præsentia improborum maxime cavendum est piis ne peccent. ibidem. *Tantisper dum improbus erit coram me.*

*Ratio* 1. Quia illi confirmarentur in sua improbitate. 2. Quia religionem blasphemarent. 3. Quia hæc esset victoria impietatis.

*Usus Refutationis*, adversus eos, qui sua peccata trajiciunt in consortium improborum; cum propter præsentiam improborum magis debeant sibi cavere.

V. Ut caveamus à malo, abstinendum est aliquando ab eo quod bonum est. v. 3. Hoc tamen intelligi debet de bono licito, non de bono necessario & præcepto. David abstinuit ab hostibus pro ipsorum merito accusandis, & à justa sua coram hominibus defensione: sed non ab humiliatione & oratione coram Deo.

*Ratio* 1. Quia bonum aliquando speciem habet mali. 2. Quia bonum non bene dictum aut ordinatum, sed ex perturbatione profectũ, convertitur in malum. 3. Quia ex infirmitate nostra sæpe accidit, ut licitum & bonum introductio sit ad malum vicinum.

*Usus increpationis*, adversus eos, qui in licitis omnibus sibi indulgẽt, quamvis nullo modo expediant.

VI. Observatio, cura & vigilantia piorum à valida tentatione ad tempus nonnunquam superatur. ver. 4.

*Ratio* 1. Quia sæpe remittitur cura nostra tentatione invalescente, & animum ad alia avocante. 2. Quia carnem habemus in nobismetipsis, quæ cum tentatore conspirat ad animas nostras prodendas. 3. Deus ita disponit, ut infirmitatem nostram experti, minus à nobis, & magis ab ipso pendeamus.

*Usus Admonitionis*, 1. Ut in observatione & vigilantia magis magisque circumspecti & accurati esse studeamus. 2. Ut una cum vigilantia qua nobis cavemus, conjungamus orationem jugem ad Deum, ut ille nobis cavere velit. *vigilate, & orate.*

VII. Tentationis prævalentis & animi fatiscentis indicium est, calamitate aliqua premente, mortem eo nomine optare, & de vitæ hujus conditione nimis queritari. ex v. 5, 6, 7.

*Ratio* 1. Consolationem & patientiam labefactatam ostendit. 2. Quia subjectioni erga Dei voluntatem repugnat. 3. Quia murmurationis aliquid habet adversus Deum & providentiam ejus.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis ab hac impatientia.

VIII. Tentationis victoria pendet ex fidei & spei confirmatione. ex v. 8.

*Ratio* 1. Quia fides est scutum. & spes galea, quibus ignita Diaboli jacula extinguuntur. Ephes. 6. 16, 17. 1 Joh. 5. 4. 2. Quia fides & spes in plerisque tentationibus impugnantur: prout igitur vel infirmantur, vel confirmantur illa, tentationem talem vel vincere, vel vinci necesse est. 3. Quia ex fide ac spe cæteræ omnes virtutes pendent & una cum ipsis vel infirmantur, vel confirmantur.

*Usus*

*Uſus Directionis*, ut in omnibus tentationibus præcipuam curam in fide ac ſpe noſtra confirmanda & excitanda ponamus.

IX. Fidei ac ſpei vivæ individuus comes eſt patientia, in viſitatione Dei ferenda. ex v. 10.

*Ratio* 1. Quia religioſam humiliationem ſub manu Dei includunt & ſupponunt. *tu feciſti*. 2. Quia exitum optatum certum reddunt. 3. Quia patientia exſpectationis eſt proprius fructus ſpei exſpectantis.

*Uſus Exhortationis*, ad patientiam iſtam colendam & in ſpe viva fundandam, eaque fovendam.

X. Spei patientis effectum proprium eſt invocatio Dei. v. 9, 11, 13, 14.

*Ratio* 1. Quia ſpes & oratio non aliter ſeſe habent quam auxillii exſpectatio & imploratio. 2. Quia ſpes eſt orationis conditio, quæ promiſſionem habet exauditionis. 3. Quia oratio eſt ſpei medium, & manus, ad obtinenda ſperanda. 1 Joh. 5. 14.

*Uſus Admonitionis*, ne acquieſcamus in ulla fide aut ſpe, quæ non exerit ſeſe in oratione jugi.

XI. Senſus vanitatis, egeſtatis & externæ neceſſitatis noſtræ, orationes reddit efficaces. v. 11, 12, 13, 14.

*Ratio*. Quia & nos excitant ad auxilium quærendum, & coram Deo humiliter explicata valent, ut objecta prolicientia, & argumenta moventia commiſerationem.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ, Davidis Pſalmus.*

2. *Conſtanter expectavi Iehovam, qui inclinans ad me audivit vociferationem meam:*

3. *Educens me à lacu tumultuoſo, è luto cœnoſo; ſtatuit ſuper petram pedes meos, firmavit greſſus meos:*

4. *Denique indidit ori meo canticum novum, laudationem Deo noſtro: videntes multi reverebuntur, & confident in Iehova,* dicentes:

5. *Beatus* eſt *vir ille, qui ponit in Iehova fiduciam ſuam; neque reſpicit ad ſuperbos aut declinantes ad mendacium.*

6. *Tu multa præſtas Iehova, Deus mi, mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos: nemo recenſendis* iis *par tibi; ſi indicabo & eloquar, numeroſiora ſunt quam ut enarremus.*

7. *Sacrificio,* inquis, *& munere non delectatus es, aures perfodiſti mihi: holocauſtum & oblationem pro peccato non expetiviſti.*

8. *Tum dixi, ecce venio: in volumine libri ſcriptum eſt de me:*

9. *Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: & lex tua* eſt *in viſceribus meis.*

10. *Prædico juſtitiam in congregatione multa: ecce labia mea non cohibeo; Iehova, tu noſti.*

11. *Iuſtitiam tuam non tego in animo meo, fidem tuam & ſalutem tuam dico: non celo benignitatem tuam & veritatem tuam congregationi multæ.*

12. *Tu Iehova, ne cohibeas miſerationes tuas à me: benignitas tua & veritas tua jugiter cuſtodiant me.*

13. *Nam circumdantia invadunt me mala innumerabilia: aſſequuntur*

*tur me iniquitates meæ, adeo ut nequeam dispicere, numerosiores sunt capillis capitis mei; animus etiam meus derelinquit me.*

14. *Velis, Iehova, eripere me; Iehova ad auxillium meum festina.*

15. *Pudesiant & rubore perfundantur pariter quærentes animam meam ad perdendum eam: agantur retrorsum & ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.*

16. *Desolentur pro mercede pudoris sui; qui dicunt de me, euge, euge.*

17. *Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te, ac dicant jugiter, magnificetur Iehova, amantes salutis tuæ.*

18. *Sum quidem pauper & egens, sed Dominus cogitat de me: auxillum meum & liberator meus es, Deus mi, ne tardes.*

## ANALYSIS.

PROPOSITUM Davidis in hoc Psalmo, est petere liberationem ex magnis angustiis quibus premebatur. Hæc petitio generaliter proponitur, & declaratur à caussis illis principalibus quibus nitebatur, misericordia scil. benignitate, & veritate Dei. v. 12. deinde particulariter explicatur ex adjuncto festinationis. v. 14 & 18. Primarium argumentum, quo petitionis hujus fiducia confirmatur, petitur ab experientia similis fiduciæ in paribus angustiis, cum fœlici successu in Deo collocatæ. Angustiæ metaphorice declarantur. v. 3. fiducia cum successu ejus. v. 2. qui successus effecto suo proprio illustratur, cantico scilicet laudationis & gratiarum actionis: cujus itidem effectum notatur esse multorum ædificatio, in simili fiducia & religione erga Deum. v. 4. Exemplum hujus laudationis proponitur. v. 5. ad 12. in quo. 1. Adjuncta beatitudo hujus fiduciæ prædicatur, una cum synceritas ejus nota, in impietatis fuga & detestatione. v. 5. 2. Illa beatitudo declaratur per multitudinem & magnitudinem benedictionum, quibus Deus cumulare solet eos qui in ipso confidunt. v. 6. 3. Præcipuum benedictionis omnis fundamentum in redemptione per Christum positum esse declaratur: cujus ordinatio indicatur, ac per antithesin illustratur. v. 7. & obedientia ejus singularis describitur. v. 8, 9. & fructus etiam ejusdem in Dei gloria promovenda. v. 10, 11. Quæ Duo posteriora, quia ab omnibus piis pro suo modulo præstari debent, idcirco pertinent etiam ad professionem gratitudinis piorum erga Deum pro beneficiis in Christo acceptis.

Præter primariam istam petitionis confirmationem, ejusdem etiam suasio additur. 1. A multitudine & gravitate malorum quibus premebatur David. v. 13. 2. Ab effecto duplici quod ex liberatione concessa fuit secuturum, confusio scilicet improborum. v. 15, 16. & pium gaudium piorum. v. 17. 3. A fiducia quam habuit de fœlici hoc eventu. v. 18.

## DOCUMENTA.

I. Experientia misericordiæ Dei, fiduciæ nostræ satisfacientis, fiduciam singulariter confirmat. ex v. 2, 3.

*Ratio* 1. Quia talis experientia testimonii vim habet de fiduciæ effi-

efficacitate. 2. Quia ſimiles cauſæ ſimilia effecta producunt. cum igitur miſericordia Dei ſit ſui ſemper ſimilis. ſi ſimilem fiduciam adferamus, ſimilem liberationem certo poſſumus expectare. 3. Quia fiduciæ impletio fiduciæ renovationem gratitudinis loco requirit.

*Uſus Directionis*, ut hujuſmodi obſervationibus ſpem noſtram confirmemus. Gen. 32.10. Pſ. 22.5.

II. Ut iſta conſolatio ſolida fiat de miſericordia in futurum percipienda, requiritur gratitudo pro miſericordia antea percepta. ex verſ. 4.

*Ratio* 1. Quia fiducia illa non eſt genuina, quæ non refertur ad gloriam Dei. 2. Quia miſericordia Dei indigne recipitur, ſi non pariat in animis noſtris congruentem gratitudinis affectum. 3. Quia pudor prohibet animum ab illa miſericordia exſpectanda, quam antea conceſſam ingrate neglexit.

*Uſus admonitionis*, ne Dei beneficia ingratitudine noſtra corrumpamus.

III. Gratitudo erga Deum parit ſtudium homines ad Deum adducendi. ex v. 4. in fine.

*Ratio* 1. Quia maxime pertinet ad gloriam Dei, quam pia gratitudo unice quærit. 2. Quia gaudium gratitudinis eſt ſui communicativum. 3. Quia charitas erga homines eſt proprius fructus charitatis & gratitudinis erga Deum.

*Uſus Exhortationis*, ad zelum iſtū in cordibus noſtris excitandum.

IV. Adducuntur homines ad Deum, quando reverentur Deum & in eo confidunt. ibid.

*Ratio* 1. Quia reverentia Dei religionem notat, & fiducia eſt primarius ejus actus. 2. Quia iſtis duobus, duo illa extrema caventur, quibus homines à Deo alienantur, ſecuritas & deſperatio. 3. Quia reverentia hominem ſubjicit Deo, & fiducia Deum homini unit.

V. Fiduciæ in Deo vero collocandæ. & reverentiæ debitæ ipſi exhibendæ cauſa efficax eſt fides beatitudinis, hæc facientium propriæ. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia beatitudinem appetunt omnes: & idcirco promiſſiones beatitudinis annexas voluit Deus fiduciæ & obedientiæ, ut eſſent omnibus efficacia earum incitamenta. 2. Quia fides hujus connexionis, fiduciæ & obedientiæ eodem deſiderio ſtudere nos facit, quo beatitudinem ipſam proſequimur. 3. Quia fides beatitudinem cum religione connectens, religionis officia ſuavia reddit & plena delectationis.

*Uſus Directionis*, ut iſta fide tanquam in fundamento religionis, magis magiſque noſmetipſos exædificemus.

VI. In hac fide directe exædificamur ſeria obſervatione & admiratione benedictionum Dei in Eccleſiam collatarum. ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia benedictiones iſtæ ſunt vel partes, vel cauſæ, vel ſigna beatitudinis æternæ. 2. Quia earum obſervatio fidem confirmat de tota beatitudine promiſſa. 3. Quia admiratio earum continet in ſeſe illam æſtimationem, quæ animum attollit ad ardentius deſiderium, & majorem expectationem

tionem complementi ipsarum.

*Usus directionis*, ut applicemus animos ad benedictiones Dei hunc in modum intuendas.

VII. Præcipua benedictio Dei erga Ecclesiam est redemptio per Christum. ex v. 6. &c. cum. Heb. 10.5.

*Ratio* 1. Quia dilectionis Dei, & Christi erga Ecclesiam illustrius effectum ne cogitatione quidem potest comprehendi. 2. Quia in hac redemptione per Christum cæterarum omnium benedictionum fundamentum collocatur. 3. Quia cæteræ omnes ad salutem necessariæ, ex hac una certo sequuntur.

*Usus Directionis*, ut in Christi redemptione oculos nostros præcipue semper teneamus defixos.

VIII. In obedientia Christi perfectum exemplar habemus omnis gratitudinis *Officii* erga Deum præstandi.

*Offic.* 1. Obedientiæ firmum propositum. v. 6. *aures perfodisti mihi.* 2. Promptitudo in eadem perficienda. v. 8. *ecce venio.* 3. Verbi scripti observatio, *in volumine libri scriptum est de me.* 4. Delectatio cordis in illa observatione. vers. 9. 5. Publica professio & communicatio bonitatis Dei. ver. 10, 11.

*Usus Directionis*, ut secundum istud exemplar studeamus nos Deo probare.

IX. Promptitudo nostra ad bonitatem Dei glorificandam, certum est argumentum promptitudinis ejusdem bonitatis uberius porro nobis exhibendæ. ex v. 12. cum 10. *labia mea non cohibeo: tu Iehova ne cohibeas miserationes tuas à me.*

*Ratio* 1. Quia hæc est illa dispositio & præparatio animi, quam Deus requirit ad suæ bonitatis participationem. 2. Quia ex hac dispositione sequitur fructus ille gloriæ divinæ, qui Deo ex omnibus suis beneficiis debetur. 3 Quia ex isthoc fructu, perfectio beneficiorum Dei tam nostro, quam ipsius respectu pendet.

*Usus Directionis*, ut in omnibus quæ optamus à Deo, hanc animi dispositionem imprimis optemus, eique sedulo studeamus.

X. Nihil tamen quod in nobis est, sed miseratio, benignitas, & veritas Dei est fiduciæ nostræ fundamentum. ver. 12.

*Ratio* 1. Quia quicquid boni nos offerimus, est debitum, imperfectum, inquinatum, & gratiæ Dei effectum. 2. Quia sola miseratio, benignitas, & veritas Dei tollere potest peccata nostra, & cæteras miseriæ causas, ac salutis nostræ impedimenta. 3. Quia integra gloria totius nostræ salutis, Deo soli, & in solidum debetur.

*Usus Directionis*, ut quamvis confirmationi fiduciæ piis omnibus officiis nostris operam demus, ex Dei tamen gratia unice semper pendeamus.

XI. Multitudo, & gravitas, vel calamitatum, vel etiam peccatorum, non removet gratiam Dei ab iis, qui eam in fide & resipiscentia quærunt. v. 13.

*Ratio* 1. Quia magna est misericordia Dei, & superat miseriam omnem. 2. Quia abundantia miseriæ materiam præbet abundantiæ gratiæ. 3. Quia extremitas miseriæ excitat nostrum desiderium, &

& accelerat salutem Dei.

*Usus Consolationis*, fidelium & resipiscentiū, adversus maxima mala.

XII. Declaratio gratiæ Dei erga fideles cedit in confusionem impiorum, & piorum omnium consolationem. ex v.15, 16, 17.

*Ratio* 1. Quia impiorum expectationi adversatur, piorum autem implet vota. 2. Quia testimonium est divinum de infœlici malorum & fœlicissimo bonorum fine.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis, ne ulla gratiæ Dei manifestatio sit vel nobis confusioni, vel aliis bonis per nos, sed genuinum suum habeat fructum.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

*Magistro symphoniæ, Psalmus Davidis.*

2. *Beatus qui attendit ad attenuatum*; dicens, *tempore mali liberabit eum Iehova.*

3. *Iehova servabit eum & vitæ restituet eum, beatus reddetur in terra; item, ne tradas eum desiderio inimicorum ejus:*

4. *Iehova sustentet eum*, decumbentem *in sponda languoris: totum cubatum ejus ex morbo ejus mutaveris.*

5. *Me dicente, Iehova gratiam fac mihi, sana animam; quia peccavi tibi:*

6. *Inimici mei dicebant malum de me, quando morietur, & perierit nomen ejus?*

7. *Quod si quis veniebat ut inviseret, mendacium loquebatur animus ejus, congregabat iniquitatem sibi: egressus foras, eloquebatur.*

8. *Simul contra me mussitabant omnes osores mei; contra me cogitabant quod* esset *malo mihi* dicentes:

9. *Res nequissima tenaciter inhæret ei; & quod decumbit, non amplius exsurget.*

10. *Etiam vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens cibum meum; sustulit adversum me calcem.*

11. *At tu Iehova, gratiam fac mihi, & exsuscita me, ut rependam illis:*

12. *Hac re expertus fuero quod delectaris me, quum non clanget inimicus meus de me;*

13. *Sed me, me* inquam *sustentabis in integritate mea; & restitues me coram te in seculum.*

14. *Benedictus Iehova Deus Iisraelis, a seculo usque in seculum; amen, iterum amen.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est, homines instituere, quomodo se gerere debeant erga pios in tempore mali. Hoc autem officium, 1. Generaliter describitur à causa, judicio scilicet recto de eorum conditione, & laudatur ac suadetur, à beatitudine quam habet adjun-

junctam, tanquam officium singulariter Deo gratum. v. 2. in principio. 2. Specialiter declaratur per suas partes, quæ sunt spes & desiderium liberationis divinæ, in consolationem hominis afflicti. ver. 2, 3, & 4. sive enim his verbis beatitudo illius describatur qui recte sese gerit erga afflictum, ut quidam volunt, sive indicetur quomodo quis recte se gerere possit, quæ est aliorum sententia, eodem fere res redit. priore enim sensu, indirecte hoc officium declaratur in praxi Davidis, & posteriore idem officium omnibus directe præscribitur, & explicatur. 3. Illustratur hoc officium ab opposita iniquitate, quam David ipse in sua calamitate fuerat expertus. vers. 5. ad 11. ubi pietatem suam declarat per preces quas ad Deum fuderat in tempore mali. vers. 5. & cum injurias varias exponit, quibus (illa pietate non obstante) ab hominibus fuerat affectus & vexatus. Istæ autem injuriæ distribuuntur à causis efficientibus, inimicis notis. v. 6, 7, 8, 9. & amico simulato. v. 10. Inimicorum injuriæ fuerunt. 1. Exoptatio & expectatio mortis & interitus Davidis & extinctionis etiam nominis ipsius. v. 6. 2. Simulatio benevolentiæ, quæ vim habuit irrisionis. v. 7. 3. Consultatio & machinatio mali adversus ipsum. v. 8. 4. Calumniosa censura de causa calamitatis ejus, una cum ominatione desperati eventus, qua machinatio eorum nitebatur. v. 9. Amici injuria fuit perfida ingratitudo, quæ metaphorice explicatur per equi protervi recalcitrationem; & amplificatur per dissentaneam ejus professionem erga Davidem, & merita Davidis erga ipsum. v. 10. 5. Iniquitas ista hominum erga Davidem refutatur, & contrarium officium confirmatur ex judicio & testimonio Dei opposito ut qui integritati, Davidis gratia, liberatione sua est attestatus; quod efficaciter explicatur partim in forma fidelis precationis. v. 11, 12, 13. & partim gratæ benedictionis. v. ult.

## DOCUMENTA.

I. Rari sunt qui officium suum faciunt erga afflictos. ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia plerique personas & species hominum externas respiciunt, & illa ratione judices evadunt de afflictis male disceptantes. Jac. 2. 4. 2. Quia de causa afflictionum non recte judicant homines. Joh. 9. 2, 3. Lucæ. 13. 2, 4. Intelligunt enim aliquo modo mortem à peccato suam originem habere, quod est legis: sed non percipiunt eandem mortem à Deo in bonum fidelium dirigi & ordinari, quod est gratiæ in Evangelio revelatæ. 3. Quia afflictorum conditio non promittit retributionem, cujus expectatione excitantur multi ad bene de aliis merendum. Luc. 14. 14. 4. Quia spiritus est in homine, qui fertur ad invidendum aliorum fœlicitati, & miseriæ eorum insultandum. Jacob. 4. 5.

*Usus Admonitionis*, ut animos nostros ad istud officium religiosa cura præparemus.

II. Officium nostrum erga fideles in afflictione, est omnia bona ipsis tam sperare, quam optare, & quantum in nobis est, procurare. v. 3, 4.

*Ratio* 1. Quia hoc ab aliis nobis fieri vellemus in tempore mali. 2. Quia hoc est officium charitatis, quod fratribus omnibus debemus. 3. Quia Dei benignitas hoc ipsum suadet iis qui gustarunt quam bonus sit & misericors erga peccatores.

*Usus Exhortationis*, ad Christianam compassionem erga afflictos.

III. Fideles afflicti ad gratiam Dei confugiunt, peccata sua humiliter confitentes. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia Dei providentiam in omnibus agnoscunt. Job. 5. 6, 8. 2. Quia causam justam afflictionum in semetipsis hærere agnoscunt. Lament. 3. 39. 3. Quia resipiscentia, cui Deus promisit gratiam, incipit à seria confessione peccatorum.

*Usus Directionis*, ut hac via quæramus omnium molestiarum levamen.

IV. Homines maligni male nihilominus de fidelibus censent in tempore mali. ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia gratiam Dei nesciunt, ex qua fideles pendent. 2. Quia ex invidia, & odio, male illis volunt & cupiunt.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis, ne istiusmodi quidquam in nobis reperiatur.

V. Malignorum istorum sermones sæpe sunt mendaces. ex v. 7, 8, 9.

*Ratio* 1. Quia sunt hypocritæ, Prov. 26. 24.

*Usus Admonitionis*, ne talibus fidamus, Prov. 26. 25, 26.

VI. Illa malignitas in multis non potest ullis beneficiis vinci. ex vers. 10.

*Ratio*. Quia altiores radices agit malignitas in animis malorum quam beneficii alicujus sensus.

*Usus Directionis*, ut animos nostros comparemus ad perfidiosas hominum injurias patienter ferendas.

VII. Malignitas hominum non debet minuere, sed excitare fiduciā illam quam in gratia Dei habemus, ex vers. 11. &c.

*Ratio*. Quia ab hominibus dum male habemur, eo ex natura rei adigimur, ut unicam nostram consolationem in Deo quæramus.

*Usus Directionis*, ut hac ratione ex hominum perfidia, in vera fiducia proficere discamus.

VIII. Hæc fiducia in petitione & gratiarum actione sese ostendit. ex v. 11. & 14.

*Ratio*. Quia hi sunt actus fiduciæ.

*Usus Admonitionis*, ne in alia fiducia nobis complacemus.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

M*agistro symphoniæ in posteris Korachii*, ode *didascalica*.

2. *Sicut servus glocitat* aspirans *ad alveos aequarum, sic anima mea glocitat* aspirans *ad te Deus*.

3. *Sitiens est anima mea Dei, Dei fortis viventis*, dicens: *quando accedam, ut appaream* in *conspectu Dei*?

4. *Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu & noctu; dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?*

5. *Hæc recordans effundo in me animam meam quod me fuisse transiturum*

*in turba, gressurum cum illis ad domum usque Dei cum voce cantus & laudationis, multitudine feriante.*

6. *Quid dejicis te anima mea & perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum,& salutem omnimodam faciei ejus.*

7. *Deus mi in me anima mea dejicit se; propterea recordor tui è terra Iordanis,& Chermoniterum, è monte exiguo.*

8. *Abyssus abyssum inclamat ad sonum emissariorum tuorum, omnes irrumpentes fluctus tui & undæ tuæ super me transeunt;*

9. *Interdiu* tamen *amandaturus est Iehova benignitatem suam & noctu canticum suum ad me; oratione mea ad* Deum *fortem vitæ meæ* perstabo.

10. *Dicam* Deo *forti petræ meæ, quare oblivisceris mei? quare atratus incedo propter oppressionem inimici?*

11. *Sicâ invadunt ossa mea, probo afficientes me hostes mei; dum dicunt mihi quotidie, ubi* est *Deus tuus?*

12. *Quid dejicis te, anima mea,& quid perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ, & Deum meum.*

## ANALYSIS.

PROPOSITUM Davidis in isthoc Psalmo est consolari semetipsum, contra dejectionem animi, quam subinde sentiebat oriri ex illis malis quæ in exilio patiebatur vers. 6. & 12. Hæc autem consolatio, quia fuit cum lucta, & in tempore gravis tentationis, congruenter igitur declaratur per increpationem vel correctionem diffidentiæ, & excitationem ac confirmationem fidei ac spei. Diffidentia autem metaphorice describitur per suum effectum, dejectionem & tumultuationem: fides autem vel spes, per suum objectum primarium *Deum*, & secundarium *salutem Dei*, una cum effecto *celebrationis Dei*.

Consolatoriæ hujus luctæ quia duæ sunt partes, dejectionis amolitio, & erectio spei, idcirco dejectio animi primo declaratur, & postea erectio. Dejectio 1. declaratur per desiderium vehemens & pium, ex indigentia & privatione oriundum, quod similitudine explicatur. vers. 2, & 3. 2. Per inanitatem illius desiderii, quod non nisi lachrymis satiabatur, quæ illo respectu vocantur cibus vel panis, v. 4. in principio. 3. Per doloris hujus exacerbationem, partim ab exprobationibus impiorum illatam, ibidem in fine. & partim à recordatione fœlicitatis illius, cujus privationem jam patiebatur & ejusdem comparatione cum miseria præsenti. v. 5.

Erectio animi (quæ altera pars est luctæ, consolationem quæsitam complectens.) Declaratur. 1. Per causam ejus administrantem, fidelem scilicet recordationem Dei, quæ illustratur ab opposita dejectione, & à diverso, distantia scilicet locorum à visibili præsentia Dei. ver. 7. 2. Per causam principalem, benignitatem nempe Dei. v. 9. quæ describitur per efficaciam,

caciam, *mandato* quicquid velit procurantem: & per constantiam, qua *interdiu & noctu* consolationem adfert: & illustratur per gravitatem periculi ex quo liberaret, v. 8. 3. Per aliam causam administrātem, fidelem scilicet invocationem benignitatis illius Dei, v. 9. in fine. cujus invocationis quædam summa exponitur. v. 10, & 11: constans ex fiducia in Deo, & querimonia gravissima, de desertione Dei, quæ declaratur ex consequente oppressione, & vexatione non ferenda.

DOCUMENTA.

I. Desiderium efficax, pietati congruens, certissima est nota hominis pii. ex v. 2, 3.

Congruit autem pietati desiderium illud quod fertur in verum bonum, non tantum qua nobis est commodum, sed etiam qua rectum est, & Deo placens.

*Ratio* 1. Implicat cognitionem boni aliquo modo experimentalem. 1 Pet. 2. 3. 2. Implicat etiam aliquam dilectionem. Affectus enim unionis, qui simpliciter consideratus est amor vel dilectio, respectu boni absentis est desiderium. 3. Implicat etiam odium, & tædium oppositi, in qua aversatione animi resipiscentia continetur. 4. Desiderium hoc est præparatio vel dispositio ad boni desiderati fruitionem. 5. Acceptatur sæpe coram Deo desiderium aliquid faciendi pro ipso facto. 2 Corinth. 8. 12. 6. Promissionem habet satisfactionis. Iesaiæ 55. 1. Iohan. 7. 37. Apoc. 22. 17.

*Vsus Consolationis*, erga Christianos, qui in infirmitatibus & tentationibus nonnunquam pressi ac vexati, nihil in semetipsos saluti affine sentire possunt præter desideria pia.

II. Desiderium pium primo & præcipue fertur in deum, ibidem.

*Ratio* 1. Quia Deus, est summum bonum. 2. Quia Deus verus est Deus vivens, & fons aquarum viventium, quibus omnia desideria pia saturantur. Jer. 2. 13. & 17. 13. 3. Quia præter Deum nihil est, quod possit animum satiare. Ies. 55. 2.

*Vsus Exhortationis*, ut animos nostros indies magis magisque ab omnibus rebus mundanis avertentes, in Deum toti feramur.

III. Desiderium quod recte fertur in Deum, simul complectitur sancta ejus instituta. ex v. 3. in fine.

*Ratio* 1. Quia signa sunt singularis præsentiæ Dei, & quasi facies Dei. 2. Quia media sunt efficacia, per quæ Deus quæri vult & inveniri. 3. Quiu sin istius vitæ via, non sumus capaces visionis Dei, nisi per speculum institutorum ejus. 1 Cor. 13. 12.

*Vsus Condemnationis*, adversus eos qui profitentur se Deum amare, & tamen sanctissima ejus instituta parum aut nihil curant.

IV. Desideria hujusmodi maxime pia diu sæpe differuntur antequam impleantur. ex vers. 4. in principio.

*Ratio* 1. Quia desideria pia semper debent adesse: sed eorum impletio certa habent momenta temporis à Deo definita. 2. Quia patiens expectatio fidelium non minus facit ad Dei gloriam quam ipsa

ipsa expletio desideriorum.

3. Quia dilatio desiderii facit sæpe ad amorem rei desideratæ, & gratitudinem de ejus concessione augendam.

*Usus Admonitionis*, ne frangamur animis, si piis nostris desideriis non statim satisfiat.

V. Insultatio impiorum de vanitate spei fidelium, magis est ipsis molesta, quam spei protractio. ex v. 4. in fine.

*Ratio* 1. Quia talis irrisio est gravis tentatio. 2. Quia in illa triumphat aliquo modo Diabolus cum suis de fide & spe piorum. 3. Quia directe lædit nomen & gloriam Dei.

*Usus Directionis*, ut muniamus nos adversus istud malum, non affectum istum deponendo, sed animo confirmando.

VI. Istiusmodi malorum experientia auget æstimationem bonorum, quibus privamur: & illa æstimatio auget mœrorem de tali privatione. v. 5.

*Ratio*. Quia contraria juxta se posita magis elucescunt.

*Usus Directionis*, ut hujusmodi experientiam convertamus ad pia desideria magis acuenda.

VII. Quando protractione desideriorum, & malis inde consequẽtibus turbari nos aliquo modo sentimus, unica animos nostros erigendi ratio est, resistere diffidentiæ, & fiduciam in Deo confirmare. ex v. 6. & 12.

*Ratio* 1. Quia fidei ac spei fiducia est scutum, & galea, qua sola muniri possimus adversus Diaboli tentationes. Ephes. 6. 16, 17. 2. Quia dejectio animi oritur ex metu, metus ex diffidentia; & erectio animi fluit ex gaudio, gaudium autem ex fiducia fidei ac spei. Heb. 3. 6. 1 Pet. 1. 8.

*Usus Directionis*, ne, quando laboramus hujusmodi infirmitate, vel despondeamus animos, vel in symptomate curando hæreamus, sed hunc in modum causæ mali occurramus.

VIII. In ista lucta plurimum juvat, animas nostras quasi alloquendo, iterum atque iterum increpare earum diffidentiam, & fiduciam ipsis imperare. ibidem.

*Ratio* 1. Quia reflexo & practico hoc actu directe curantur, & maxime afficiuntur animæ nostræ. 2. Quia dum sic agimus, confitemur ac damnamus nostram infirmitatem, & contrarium officium suscipimus, eoque adspiramus. 3. Quia perversitas, & pravitas animarum nostrarum postulat, ut hujusmodi calcaria sæpius illis admoveantur.

*Usus Directionis*, ut exerceamus nosmetipsos in ista ratione meditandi & cum animis nostris efficaciter agendi. Psalmo 77. 4, 7.

IX. Diffidentia maxime proprie minuitur, & excitatur fiducia, recordatione Dei, & benignitatis ac misericordiæ ejus religiosa meditatione. ex vers. 7, 8, & 9.

*Ratio* 1. Quia Dei benignitas & misericordia est fidei ac fiduciæ nostræ proprium objectum. 2. Quia est etiam efficacissimum argumentum, vel causa movens & alliciendo impellens ad fiduciam sui. 2. Quia finis est & scopus ad quem fiducia collimat.

*Usus directionis*, non sufficit de

verbo

verbo Dei meditari, ſed cum prudentia debemus hoc facere, ad excutiendam ſecuritatem, de ſeveritate Dei meditantes, & benignitatis ejus recordantes ad conſolationem acquirendam.

X. Cum religioſa meditatione conjungenda ſemper fervens oratio, ex v. 9, 10, 11.

*Ratio* 1. Quia meditatio talis tendit ad orationem, meditando enim diſcernimus, quid ſit quærendum, & præparamus nos ad idem proſequendum, quærimus autem præcipue, orando. 2. Meditatio ſine oratione, vel neglectum, vel præſumptionem habet conjunctam; ſed oratio ex meditatione emanans, & ſolicitudinem indicat conſequendi boni quod apprehendimus, & humilitatem religioſam, quia noſtris viribus diffidentes, quærimus illud à Deo ſolo.

*Uſus Admonitionis*, ne unum horum ab altero ſeparemus.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

*Vindica me Deus, & ſuſcipe contentionem meam, à gente non benigna, à viro doloſo & iniquo libera me.*

2. *Nam tu es Deus roboris mei, quare rejiceres me? quare atratus indeſinenter irem propter oppreſſionem inimici?*

3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam; ipſæ deducant me: adducant me in montem ſanctitatis tuæ, & in tabernacula tua:*

4. *Ut accedens ad altare Dei, ad* Deum *fortem auctorem lætiſſimæ exſultationis meæ; celebrem te cithara, ô Deus, Deus mi.*

5. *Quid dejicis te, anima mea; & quid perſtrepis in me? ſpera in Deo; nam adhuc celebraturus ſum eum, omnimodam ſalutem faciei meæ, & Deum meum.*

### ANALYSIS.

PSALMUS iſte occaſionem & ſcopum eundem habet cum priore: conſolationem ſcilicet adverſus oppreſſionem & exilium, quibus David animum ſuum vexari, turbari, & graviter tentari ſentiebat, verſ. 5. verſ. 2. in fine, & verſ. 3.

Ad conſolationem iſtam acquirendam duplex medium adhibet. 1. Precationem erga Deum, quatuor primis verſiculis. 2. Commonefactionem ſui ipſius, v. 5.

In precatione 1. Medium illud unicum petit, ex quo ſolida ejus conſolatio pendebat, generaliter v. 1. ut jus ſibi a Deo diceretur adverſus ſuos hoſtes, & ſpecialiter ut liberaretur ab eorum perſecutione. ver. 1, 2. ac libere poſſet ſolemnem Dei cultum participare. v. 3, 4. qui gradatim explicatur per adjuncta, montem, tabernaculum, & altare Dei. 2. Argumenta proponit quibus hæc petitio urgetur. 1. Juſtitiam cauſæ, quæ comparatione iniquitatis hoſtium illuſtratur. ver. 1. 2. Fiduciam in Deo collatam, una cum relatione ad Deum inde exurgente; quæ diſſentanea Dei deſertione illuſtratur. ver. 2. 3. Perfectiones illa

Dei ex quibus illa fiducia pendebat quæ & omnisufficientes esse innuuntur ad præstandum quod postulatur, & idem certo effecturæ: gratia scilicet & veracitas Dei. vers. 3. 4. Finem & fructus petitionis concessæ: celebrationem scilicet nominis Dei.

In commonefactione sui ipsius 1 Corrigit suam diffidentiam qua inceperat cedere tentationi. 2. Fiduciam suam confirmat de fœlici exitu, cujus confirmationis rationem petit à relatione quæ inter Deum & ipsum intercedebat. vers. 5.

DOCUMENTA.

I. In causa bona sperare possumus ac debemus. ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia omnis causa bona est causa Dei, quam ille suscipiet, & aget. in textu. 2. Quia Deus ut justus judex, vindex est & liberator eorum qui in causa bona premuntur. hinc judicare Dei, idem sæpe sonat quod vindicare ac liberare oppressos. 2. Sam. 19. 18, 31. Jud. 3. 10. 2. Quia dispensatio divinæ providentiæ requirit, ut causa bona bonum tandem habeat finem.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut in omni contentione primaria nostra cura sit, ut causa quam agimus sit bona. 2. *Consolationis*, adversus omnes difficultates, quæ in tali causa occurrere nobis possint.

II. Causa bona tum bene agitur, quando religiose ad Deum defertur. ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia hoc est certum signum conscientiæ bonæ quod sistat semetipsam coram Deo cum spe. 2. Quia hac ratione Dei misericordia, justitia, veritas, & providentia efficaciter agnoscitur, & glorificatur, non in genere tantum, sed in particulari illa causa. 3. Quia Dei memoria prohibet improba omnia consilia in illa causa procuranda.

*Usus Directionis*, ut in omnibus difficultatibus Deo animas nostras, bene agendo, commendemus. 1 Pet. 4. 19

III. Iniquitas hostium coram Deo facit pro oppressis. ex v. 1.

*Ratio* 1. Quia cogit eos magis instanter Dei opem implorare. 2. Quia iniquitas opprimentium æquiorem reddit causam oppressorum. 3. Quia justitiam & vindictam Dei accersit.

*Usus Consolationis*, adversus crudelitatem, & impietatem eorum, qui vel nostri sunt hostes particulares vel Ecclesiæ in communi.

IV. Apprehensio Dei, ut Dei nostri, in omnibus angustiis solidam adfert consolationem. ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia plus boni in Deo habemus, quam possumus mali ab aliis pati. 2. Quia Deus est omnipotens: ita ut jure dicere nobis liceat cum fiducia: si Deus nobiscum, quis contra nos? in textu. 3. Quia misera desertio adeo dissentit à relatione ista erga Deum, ut diu non possit durare. in textu.

*Usus Directionis*, ut hoc fundamentum firmum nobis reddere nitamur.

V. Gratia & veritas Dei sufficiunt nobis in omni necessitate. ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia sunt immensæ. Psal. 57. 11. 2. Quia facillime efficiunt quæ desideramus: nihil aliud requirit, quam ut mittantur à Deo,

id est, ut Deus velit eas extendere erga nos. in textu, & Psalm. 57. 4. 3. Quia tum etiam sustentat fideles, quando desideria eorum non implent. 2 Cor. 12. 9.

*Vsus* 1. *Directionis*, ut ex istis pendeamus. 2. *Consolationis*; erga eos qui ita faciunt.

VI. Finis piorum desideriorum, & fructus beneficiorum Dei ipsis communicatorum est celebratio nominis divini. ex v. 4. passim occurrit.

*Vsus Directionis*, in examine desideriorum nostrorum.

VII. De istis omnibus non Deo tantum loqui debemus precando, sed nobismetipsis etiam meditando, admonendo, & in cordibus nostris eadem reponendo, ex v. 5. Psalmo præcedenti.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

M*Agistro symphoniæ in posteris Karachi*: ode *didascalica.*

2. *O Deus, auribus nostris audivimus; majores nostri narraverunt nobis* quod *opus operatus sis temporibus eorum, temporibus priscis:*

3. *Te manu tua gentes expulisse, & plantasse ipsos: malo affecisse nationes & propagasse ipsos.*

4. *Non enim gladio suo hereditario jure possiderunt terram, & brachium eorum non dedit salutem eis; sed dextera tua brachiumque tuum, & lux faciei tuæ; quia eras benevolus eis.*

5. *Tu ipse es rex meus, ô Deus: præcipe omnimodam salutem Iahakobi.*

6. *Per te hostes nostros cornu feriemus; per nomen tuum conculcabimus insurgentes in nos:*

7. *Nam arcui meo non confido, aut gladius meus non est servator meus.*

8. *Quum servaveris nos ab hostibus nostris, & osores nostros pudefeceris;*

9. *Deum laudantes toto die; nomen tuum in seculum celebrabimus summe.*

10. *Atqui rejecisti & ignominia affecisti nos, quod non processeris cum exercitibus nostris:*

11. *Fecisti ut retro cederemus ab hoste, & osores nostri diripiunt sibi:*

12. *Tradidisti nos ut pecudes cibarias, & in gentes sparsisti nos:*

13. *Vendidisti populum tuum pro re vili, & non auxisti rem pretiis eorum.*

14. *Exposuisti nos probro viciniis nostris, sannæ & ludificationi circumstantibus nos.*

15. *Posuisti nos parabolæ argumentum in gentibus, agitationis capitis in nationibus.*

16. *Toto die ignominia mea obversatur mihi: & pudor faciei meæ obtegit me;*

17. *Propter vocem probro afficientis, & blasphemi; propter inimicum & ultorem sui.*

18. *Totum hoc evenit nobis; nec tamen obliviscimur tui, neque mendaciter agimus contra fœdus tuum.*

19. *Non agitur retrorsum animus noster, aut declinat gressus noster à semita tua:*

20. *Quamvis contriveris nos* conjectos *in locum cetorum, & obtexeris nos lethali umbra.*

21. *Si obliti fuissemus nominis Dei nostri, aut expandissemus manus nostras ad* Deum *fortem extraneum:*

22. *Nonne Deus pervestigasset istud? quum ipse cognoscat abscondita animi.*

23. *Sed propter te occidimur quotidie; æstimamur ut pecudes mactandæ.*

24. *Evigila, quare dormires Domine? expergiscere, ne rejicias in æternum.*

25. *Quare faciem tuam absconderes? obliviscereris afflictionis nostræ, & oppressionis nostræ?*

26. *Nam dejecta est in pulverem vita nostra, adhæret terræ venter noster.*

27. *Surge ad auxilium nobis, & redime nos propter benignitatem tuam.*

## ANALYSIS.

ISTE Psalmus non est unius hominis, sed totius populi Israëlitici, insigni calamitate pressi, fervida & efficax precatio. Scopus ejus est impetrare salutem, aut liberationem ab hostibus suis, à quibus opprimebantur. Hæc petitio. 1. Generaliter proponitur, & illustratur ab adjuncto modo præcipiendi, quo omnipotentia Dei in ista opera perficiendo, ad gloriam ejus & populi consolationem declaratur. v. 5. in fine. 2. Eadem petitio obiter explicatur per suas partes, liberationem populi, & hostium confusionem. vers. 8. 3. Illustratur variis comparationibus, quibus per gradus idem votum declaratur & urgetur. ver. 24, 25, 27. Petunt enim. 1. Ut Deus vellet evigilare, id est, finem imponere illi cessationi, quia ipsorum conditionem negligere videbatur & nihil curare. vers. 24. 2. Ut vellet ipsos benevolo vultu intueri. v. 25. id est, demonstrare se bene ipsis favere. 3. Ut vellet exsurgere ad auxilium. ver. 27. in principio. id est accingere sese ad opem ferendam. 4. Ut vellet redimere, ibidem in fine. id est, ut salutem ipsam optatam actu perficeret ac præstaret.

Argumentum *primum* & primarium, quo hæc petitio suadetur, petitur ab adjuncta conditione fiduciæ piæ, cui istiusmodi salutem Deus ex professione generali fœdere promisit. à v. 1. ad 8. Hæc fiducia professione generali indicatur. v. 5, in principio; & speciali determinatione declaratur. v. 6. & per antithesin impiæ fiduciæ negatæ. v. 7. Illustratur autem & confirmatur hæc fiducia, in Dei potentia & favore collocata per ejusdem potentiæ ac favoris effectum. v. 3. quod testimonio majorum confirmatur. v. 1. in principio; & temporis adjuncto. ibidem in fine; & negatione causæ oppositæ, quæ fingi posset, illustratur. v. 4. In istis autem talis argumentatio continetur.

Illi qui habent Deum pro Deo suo, omnimodam salutem accipient

pient ab ejus potentia & benevolentia.

Sed nos Deum habemus pro Deo noſtro. Ergo omnimodam ſalutem à potentia & benevolentia ejus accipiemus.

Propoſitio non tam exprimitur, quam inſtantia probatur, v.2,3,4. Aſſumtio exprimitur v. 5. in principio & v.7. Concluſio habetur. v.5. in fine, & v.6.

*Secundum* argumentum petitur à fine & fructu liberationis petitæ. v.8,9.

*Tertium* petitur à gravitate & indignitate malorum, quibus ex ira Dei premebantur: quod ſcilicet à Deo deſerebantur. v. 10. ab hoſtibus. 1. Fugabantur. Et 2. Spoliabantur. v. 11. 3. Occidebantur v. 12. 4. In captivitatem ducebantur. v. 13. 5. Exponebantur omnibus probris quibus ab omni genere hominum omni modo, tam verbis quam factis & geſtibus omni tempore indeſinenter afficiebantur, uſque ad omnimodam confuſionem faciei. v. 14, 15, 16, 17. Hæc autem querimonia ut eſſet efficacior, diſcretive diſponitur cum iis quæ antea dicta fuerunt de benevolentia Dei erga ſuos tanquam oppoſitum effectum; ſicut apparet v. 10. in illa particula, *atqui.* quaſi dictum fuiſſet: Quæ à majoribus noſtris audivimus de potentiæ & benevolentiæ tuæ operibus magnis erga populum tuum, & nomen illud tuum quod ſuper nos vocatur, & à nobis debet celebrari, omnia bona ſperare nos jubens: ſed tamen in præſentiarum & à tempore longo, contrariis malis obruti, & omni ope deſtituti jacemus.

*Quartum* argumentum petitur à modo quo ferebant mala illa tam gravia & indigna: quod ſcilicet illis non obſtantibus, conſtanter & religioſe adhærebant Deo. v. 18, 19, 20. cujus conſtantiæ tam cauſa, quam teſtimonium adfertur, efficax ſcilicet cognitio & inquiſitio, quam Deus exercet in vias humanas & præſertim populi ſui. v. 21, 22. Hæc autem conſtantia in religione vera, ut efficacius Deum moveret, arguitur ab effecto, quod habuit inter hoſtes, odii ſcilicet & perſecutionis incrementum. v. 23. ita ut illa ratione, non tam de ipſorum, quam de Dei ipſius cauſa ageretur.

## DOCUMENTA.

I. Officium eſt majorum, alias religioſe narrare magnifica Dei facta. ex v.2. Exod. 12.26. & 13.14. Joſ. 4.6,7.

*Ratio* 1. Quia magna Dei opera magnum habent uſum, neque debent intra terminos unius ſeculi contineri. Rom. 15.4. 2. Quia talium operum ſpectatores, & omnes qui certam eorum cognitionem habent, eo vocantur, ut ſint eorum teſtes. 1 Joh. 1.1. 3. Quia Dei gloria, & hominum ædificatio hoc poſtulat. 1 Cor. 10.11. 6. Heb. 12.1.

*Uſus* 1. *Redargutionis*, adverſus eos, qui omnem inſtitutionem ſuorum liberorum, & aliorum à ſe rejiciunt ut alienum quid. 2. *Exhortationis*, ut religioſam curam habeamus hujus officii. Deut. 6. 7, & 11. 19.

II. Officium eſt minorum in animis ſuis reponere, & ad praxin referre, quæ à majoribus audiverunt:

runt de operibus Dei. ex v. 2, &c. Deut. 32. 7. Jud. 2. 10. Psalm. 22. 5.

*Ratio* 1. Quia præcipua pars est hæreditatis quam accipiunt à majoribus. 2. Quia brevitas & incertitudo vitæ nostræ monet, ut ex majorum experientia proficiamus. 3. Quia infirmitas nostra omni genere fulcrorum debet sustentari.

*Usus Redargutionis*, adversus eos, qui ad historicam tantum narrationem referunt quæ de istiusmodi rebus audiverunt, non ad fructum pietatis.

III. Ut ex beneficiis Dei proficiamus, requiritur imprimis, ut illa in solidum tribuamus gratiæ & potentiæ Dei. ex vers 4.

*Ratio* 1. Quia alias non possumus Deum sicut oportet glorificare. 2. Quia in fiducia pia non possumus alia ratione ædificari. 3. Quia nisi hoc fiat, maximæ Dei benedictiones convertuntur à nobis in superbiæ occasiones, Deut. 7. 7. & 8. 14. & 9. 4.

*Usus Directionis*, ut in omnibus bonis corporalibus, & multo magis in spiritualibus totum Deo tribuamus.

IV. Ut solidam consolationem ex gratia & potentia Dei percipiamus, prærequiritur, ut fiducia vera illis innitamur. ex v. 5, 6, 7.

*Ratio* 1. Quia fiducia est conditio fœderis novi. 2. Quia fiducia sola apprehendit & applicat sufficientiam Dei, ut in nobis efficientiam habeat specialem. 3. Quia fiducia qua nitimur causa salutis est propria, & unica causa spei & proinde consolationis inde manantis.

*Usus Directionis*, ut fiduciæ veræ comparandæ, conservandæ, & excitandæ, non minus studeamus, quam consolationi & saluti.

V. Fiducia vera conjunctum semper habet studium Dei glorificandi pro beneficiis concessis, ex v. 8, 9.

*Ratio* 1. Quia in fiducia vera, vera semper est apprehensio benignitatis Dei, & indignitatis nostræ; ex quibus necessario exsurgit gratitudo. 2. Quia fiducia vera fertur in Deum secundum ejus voluntatem. hæc autem est voluntas Dei, ut quæramus gratiam & salutem ejus in ipsius gloriam. 3. Ipsa fiducia tribuit Deo gloriam gratiæ & potentiæ. Rom. 4. 20. gratitudo autem re ipsa idem facit. differentia est in eo, quod fiducia tribuat gloriam gratiæ & potentiæ manifestandæ, & gratitudo tribuat gloriam & fidem gratiæ ac potentiæ manifestatæ.

*Usus Redargutionis*, adversus eos, qui fiduciam jactant, dum nihil minus curant quam Deum glorificare.

VI. Studium nominis divini celebrandi retardatur sæpe ad tempus calamitatibus illis gravissimis, quibus fideles premuntur. ex v. 10. &c.

*Ratio* 1. Quia peccatis suis indignos, & inhabiles sese reddunt ad nomen Dei celebrandum. Rom. 2. 23, 24. Ezech. 20. 31. 2. Quia Deus vult semetipsum honorificare in peccatis eorum castigandis. Lev. 10. 3. 3. Quia hac ratione magis parantur ad nomen Dei rite postea celebrandum. Psalm. 50. 15.

*Usus Admonitionis*, ne vel parvi faciamus castigationem Domini; vel nimis turbemur, aut frangamur animis, quando arguimur ab eo. Heb. 12. 5.

VII. Prin-

VII. Principium eſt omnium miſeriarum, à Deo deſeri. ex v. 10, &c.

*Ratio* 1. Quia deſertio Dei eſt in ſeſe privatio veri ac ſummi boni: quæ magna pars eſt miſeriæ noſtræ. 2. Quia cum Deus deſerit homines, tum illa protectione deſtituuntur, qua ſola poſſint à malis liberari. Pſalm. 104.29. 3. Quia una cum deſertione Dei, conjungitur ejus ira, qua vult deſertos experiri quid ſit Deum habere alienatum. Deut. 28.47,48.

*Uſus Admonitionis*, ut ſupra omnia caveamus ne Deum deſerendo, ab ipſo deſeri mereamur.

VIII. In maximis miſeriis conſolatio non deeſt illis qui manent conſtantes in vero Dei cultu. ex v. 18. &c.

*Ratio* 1. Quia tales nunquam penitus deſeruntur à Deo, præſertim quoad ſpiritualem communionem. 2. Quia promiſſiones habent vitæ præſentis & futuræ. 1 Tim. 4. 8. 3. Quia contra aculeum & maledictionem omnis miſeriæ bene armantur.

*Uſus Directionis*, ut præmuniamus noſmetipſos ad iſtam conſtantiam, tam in rebus adverſis, quam in ſecundis.

IX. Conſtantiæ hujus cauſa eſt, fides omniſcientis adminiſtrationis Dei. ex v. 21, 22.

*Ratio* 1. Quia hæc fides parit reverentiam Dei, & metum offenſæ. Eccleſ. 12. ult. 1 Pet. 1. 17. 2. Quia hæc fides repræſentat nobis Deum tanquam ſolum dignum ut à nobis colatur. Jer. 10. 5, 6, 7. 3. Quia omnes tentationes vincit quibus à vero cultu poſſimus abduci. 1 Joh. 3. 20. & 5. 4.

*Uſus Directionis*, ut in iſthac fide aſſidue noſmetipſos exædificemus.

X. Certum ſignum hujus conſtantiæ eſt, quando propter Deum libenter patiuntur graviſſima mala. v. 23.

*Ratio* 1. Quia fortis patientia eſt conſtantia omnis virtutis. 2. Quia pro Deo patientes omnia mala, Deum extollimus ſupra omnia bona, Heb. 11. 35. 3. Quia ex hac patientia inſeparabiles nos oſtendimus à Deo, & illa ratione victores omnium tentationum. Rom. 8. 35, 36, 37.

*Uſus Exhortationis*, ut animi præparatione abdicemus perpetuo noſmetipſos, & crucem attollamus. Mat. 16. 24.

XI. Iſtiuſmodi conſtantia in malis tolerandis, certam ſpem facit de iiſdem in tempore tollendis. v. 24, &c.

*Ratio* 1. Quia Deus non poteſt obliviſci afflictionis eorum, qui non obliviſcuntur nominis ejus. v. 18. 21. cum 25. 2. Quia ita diſpoſitus rite pendet à Deo, & petit liberationem, cum ſubjectione erga voluntatem ejus, ſine feſtinatione. Heb. 10. 36, &c.

*Uſus* 1. *Conſolationis* erga illos, qui in religione vera ſunt conſtantes. 2. *Directionis*, ut hujuſmodi conſtantiæ ſtudio ſpem noſtram foveamus.

# PSALMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

*MAgistro symphoniæ in posteris Korachi ad hexachorda, didascalicum canticum animarum.*

2. *Ebullit animus meus verbum bonum; dicturus sum ego poëmata mea de rege; lingua mea & stylo,* ut *scriba promptus.*

3. *Multo pulchrior effectus es filiis hominum: infusa est gratia labiis tuis; proterea benedixit tibi Deus in seculum.*

4. *Accinge gladium tuum super femur, ô robustissime;* gladium *gloriæ tuæ & decoris tui:*

5. *Et decore tuo prospere equita cum verbo veritatis, & proloquere justitiam: & ede documenta tua terribilibus* gestis *dextera tua.*

6. *Sagittis tuis acutis, populi sub te procident, ex animo* procident, *inimici regis.*

7. *Solium tuum, ô Deus, in seculum & sempiternum; sceptrum rectum est sceptrum regni tui.*

8. *Dilexisti justitiam, & odisti improbitatem, proterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.*

9. *Myrrah & santalis,* casiaque *omnia vestimenta tua,* prodeuntis è *templis eburneis, præ* iis qui *lætificant te.*

10. *Filiæ regum inter charas tuas: collocata est conjunx ad dexteram tuam cum insigni auro Ophirio.*

11. *Audi filia, ac vide, & inclina aurem tuam; obliviscereque populi tui & domus paternæ tuæ*

12. *Et delectabitur rex pulchritudine tua: cumque sit Dominus tuus, incurva te* habens honorem *ei.*

13. *Tunc filia Tyri cum munere faciem tuam precabuntur divites in populo.*

14. *Tota honorata filia regis intro, fundis aureis vestita.*

15. *Cum phrygianis deportatur ad regem; virgines post eam amicæ ejus adducuntur ad te:*

16. *Deportantur cum summa lætitia & exsultatione, intrant in palatium regis.*

17. *Loco parentum tuorum erunt filii tui: præpones eos principes in tota terra.*

18. *Memorabo nomen tuum in unaquaque ætate; idcirco populi celebrant te in seculum & sempiternum.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est, celebrare nomen & gloriam Christi, tanquam regis maxime gloriosi. v. 2, & 18. De Christo enim agi in hoc Psalmo, testatur Apostolus Heb. 1. 8, 9. Quamvis autem in phrasibus allegoricis, quæ in toto fere Psalmo adhibentur, respectus quidam habeatur ad gloriam Salomonis, & ejus nuptias cum filia Pharaonis;

raonis; nihil tamen fuit vel in filia Pharaonis, vel in conjugio ejus cum Salmone, quod in hoc myſterio typi rationem ſuſtinere poſſit.

Celebratio iſta Chriſti generaliter 1. Deſcribitur à genere & cauſis inſtrumentalibus v. 1. Deinde illuſtratur v. 2. 1. A cauſa procreante, quod proveniebat ex cordis abundantia: *ebullit cor meum.* 2. Ab adjuncta ejus qualitate generali, *verbum bonum.* 3. A cauſis inſtrumentalibus: *lingua mea, & ſtylo.* 4. Ab adjuncto modo alacritatis: *ut ſcriba promptus.* 5. Illuſtratur etiam v.ult. à fine, & fructu, celebritate ſcil. nominis Chriſti in Eccleſia, per omnes generationes.

In Pſalmo ipſo celebratur primo præſtantia formæ, vel pulchritudo Chriſti. Collatione imparium. v. 3. in principio. 2. Præſtantia ſermonis. v. 3. in medio, quæ ſua cauſa declaratur. ibid. in fine. 3. Potentia & majeſtate ejus. v. 4. 4. Sermonis potentiæ, & majeſtatis illius efficacia, tam in ſubditis ſuis beandis, veritate & juſtitia v. 5. quam in hoſtibus debellandis. v. 6. 5. Efficaciæ illius opus, effectum, regnum ſcil. perpetuum, & juſtum. v. 7. 6. Effecti illius cauſa proxima, voluntatis & affectuum rectitudo. v. 8. in princip. & remota, abundantia ſcil. gratiæ divinæ: 7. Gratiæ iſtius communicatio. v. 9. 8. Eccleſia cui communicatur. v. 10. quæ 1. Dignitate, honore, & ornatu ſuo deſcribitur. v. ibidem. 2. Sub admonitionis forma, obſequium ejus explicatur, tam in terrenis cupiditatibus exuendis v. 11. quam in omni ſpirituali amore ac honore in Chriſtum conferendo. v. 12. quod officium ſuadetur ab honore conſecuturo, tam à Chriſto. v. 12. quam ab hominibus. v. 13. 3. Celebratur denuo ejus dignitas. v. 14. communio quam habet cum Chriſto. v. 15, 16. & communionis exoptatus fructus, in fœlici Eccleſiæ propagatione. v. 17.

## DOCUMENTA.

I. Cum ardore, & excitatione animi, Deum colere debemus. ex v. 2. hæc enim eſt emphaſis hujus vocis, ſicut colligitur ex Levit. 2. 7. & 7. 9.

*Ratio* 1. Quia rerum divinarum amplitudo corda noſtra tota debet occupare, poſſidere & in iiſdem dominari. *toto corde tuo.* 2. Quia Spiritus Sanctus corda illa in quibus habitat, ſpiritualium omnium affectuum zelo accendit; ſed præcipue in iis, quæ directè ſpectant ad Deum ipſum. 3. Quia cordis diſpoſitio eſt vita & eſſentia cultus.

*Vſus Directionis*, ut ſeria meditatione & intentione hunc in modum corda noſtra præparemus ad Deum colendum.

II. Ad iſtum ardorem & excitationem animi ſingulariter facit apprehenſio & æſtimatio juſta præſtantiæ & excellentiæ illius, quæ ineſt rebus divinis. ibidem. *verbum bonum.*

*Ratio* 1. Quia animus ex ordine naturæ maximo ardore fertur in illud, in quo maximum bonum apprehendit. 2. Quia cum Deus ſit ſummum bonum, non poſſumus rite verſari circa res divinas, niſi ſub ratione ſummi boni.

3. Quia

3. Quia summum bonum, finis, & fœlicitas naturaliter appetuntur sine mensura vel limitatione, & cætera prout se habent ad illum finem.

*Usus Directionis*, ut omni studio conservemus in nobisinetipsis hanc æstimationem rerum divinarum.

III. Singulariter affici nos decet in iis, quæ ad Christum spectant. ibid. *de Rege*.

*Ratio* 1. Quia gloria Dei maxime resplendet in Christo. Heb. 1. 3.

2. Quia in Christo exhibetur nobis bonitas, gratia, misericordia, & charitas omnis Dei salutifera.

Hinc verbum Evangelii, quia Christum nobis proponit, vocatur verbum veritatis, justitiæ, gratiæ, solatii, salutis ac vitæ æternæ: quæ omnia continentur hoc uno titulo, cum *bonum Dei verbum* appellatur. Heb. 6. 5.

*Usus Exhortationis*, ut omni studio excitemus animos nostros ad istiusmodi apprehensionem Christi cum affectu singulariter excitato. Exemplum habemus in Paulo. Ephes. 1. 6. & 2. 4. 7. & 3. 19.

IV. Affectus pius parit alacritatem & promptitudinem in exercitiis pietatis. ibidem. *ut scriba promptus*.

*Ratio* 1. Quia perfectio interni hujus affectus consistit in inclinatione, qua quis fertur ad Deum glorificandum. 2. Quia ex voluntatis affectu pendet exercitium omnium facultatem, quæ sunt in hominis potestate.

3. Quia pro abundantia affectus abundant etiam ex ordine naturæ consimiles operationes. Matth. 12. 34.

*Usus Directionis*, ut in exercitiis, quæ pertinent ad pietatem, affectuum piorum excitationem magis curemus, quam linguæ aut verborum expolitionem.

V. Piæ animæ in Christo majorem pulchritudinem vident, quam in ullis aliis rebus possint invenire. ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia in Christo vident, quod maxime ipsis placet, & in quo maxime delectantur.

2. Quia vident in eo, quod maxime ipses allicit ad desiderium fruitionis. 3. Quia perfectionem omnem vident, qua Christus & perfectus est in sese, & illos omnes etiam perficit, qui ad ipsum accedunt.

*Usus Exhortationis*, ut oculos mentis nostræ ab rebus mundanis ad Christum convertamus, & in illo defixos teneamus.

VI. Pulchritudo ista Christi præcipue apparet in verbo ejus. ib.

*Ratio* 1. Quia in verbo Evangelii Christi omnia bona explicantur.

2. Quia per idem verbum nobis exhibentur & communicantur.

3. Quia vivam imaginem Christi in verbo habemus depictam. Gal. 3. 1.

*Usus Exhortationis*, ut verbum Dei pro oblectamento nostro habeamus, ita ut etiam pedes eorum, qui illud adferunt, sint nobis semper speciosi. Rom. 10. 15.

VII. Una cum pulchritudine conjungitur in Christo majestas & potentia summa. ex v. 4, 5.

*Ratio* 1. Quia hæc pulchritudo est perfectio divina. 2. Quia sine potentia summa, desideria nostra non posset implere, atque adeo non nisi evanidam delectationem nobis adferret.

*Usus Admonitionis*, ut cum omni reverentia delectemus nosmetipsos in Christo.

VIII. Efficacia potentis verbi Christi quoad fideles, est in veritate, & justitia ipsis communicanda. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia Christus ipse est via, veritas, & vita. Joh. 14. 6. 2. Quia in hunc finem venit Christus, ut communicaret nobis veritatem, & justitiam. Joh. 18. 37. Rom. 3. 25, 26. 3. Quia in istis consistit salus eorum, qui sunt Christi.

*Usus Directionis*, ut istam efficaciam, omnibus votis, cùm nobis, tum etiam aliis quæramus, sicut est in textu: *prospere equita cum verbo veritatis*. v. 5.

IX. Efficacia Christi quoad infideles est in ipsis vincendis, & subjugandis. ex v. 6. Rev. 6. 2.

*Ratio* 1. Quia Christus dominari debet in medio inimicorum suorum. Psalm. 110. 1, 2. 2. Quia Ecclesia Christi debet ab istis hostibus asseri & liberari. 1 Cor. 15. 24, 25, 26. 3. Quia judex mundi debet justitiam agere. 2 Thess. 1. 5, 6, &c.

*Usus Admonitionis*, ne Christo nos ulla in re opponamus. 2. *Cons.* adversus omnes Ecclesiæ hostes.

X. Regnum istud Christi est æternum. ex v. 7.

*Ratio* 1. Quia Rex est æternus. 2. Quia fideles vocantur ad salutem æternam in isthoc regno fruendam. 3. Quia hostibus omnibus potentia Regis devictis, nihil potest felicitatem hujus regni interturbare.

*Usus Consolationis*, erga fideles, adversus momentaneas hujus vitæ molestias.

XI. Administratio hujus regni est cum omni rectitudine. v. 7, 8.

*Ratio* 1. Quia quoad essentiam est regnum veritatis & justitiæ. Rom. 14. 17. 2. Quia quoad finem, ut omne curvum, obliquum, aut inordinatum corrigatur. Jes. 40. 4. 3. Quia Rex hujus regni, nec potest errare in præcipiendo, neque in judicando, neque etiam in judicii sententia executioni mandanda.

*Usus Admonitionis*, ne perversitate ulla leges hujus regni violantes, indignos nos illo reddamus.

XII. Felicitas hujus regni est, quod omnis plenitudo gratiæ sit in Christo, ut consolatio & gaudium ab eo in fideles consortes ejus derivetur. ex v. 8, 9. Joh. 1. 16. 1 Joh. 2. 20, 27.

*Ratio* 1. Quia Christus ita rex est gubernando, ut sit etiam caput influendo. Ephes. 4. 15. 2. Quia in ipso ita est omnis plenitudo, ut per illam nos simus etiam completi Coloss. 2. 10. 3. Quia beatitudo nostra consistit in ista perfectione. 1 Cor. 13. 10. & 15. 28.

*Usus Directionis*, ut istam fœlicitatem in Christo quæramus.

XIII. Ecclesia est quasi sponsa Christi. ex v. 10. Apocalyps. 21. 9, 10.

*Ratio* 1. Propter dilectionem socialem qua illam prosequitur Christus. Ephes. 5. 25. 2. Propter unionem intimam quam habet cum Christo. ibidem 30. 3. Propter communionem omnium bonorum, quæ ex unione illa fluit. ibidem 23, 29. 4. Propter jus & modum gubernationis, quo

Christus

Christus ipsi præest. vers. 23. 5. Propter immutabilitatem fœderis, quo ista omnia rata & firma redduntur. Ezech. 16.8.

*Usus* 1. *Consolationis*, erga omnes fideles, quia qualescunque mundo videantur, Christo sunt charissimi. 2. *Admonitionis*, ut fœdus cum Christo initum fideli, sancta, & simplici castitate colamus & observemus. 2 Corinth. 11.2,3.

XIV. Ecclesia hæc ita honoratur à Christo, ut illa etiam sit ipsi honori. v. 10.

*Ratio* 1. Quia Christus imponit ipsi majestatem suam. Ezech. 16. 14. 2. Quia ista majestas Ecclesiæ sicut est à Christo ut causa efficiente, sic etiam tendit ad Christum tanquam ad finem. 1 Cor. 3.23.

*Usus Admonitionis*, ut omni studio caveamus ne dedecori simus nomini Christi, sed ita versemur in mundo, sicut dignum est Christo. Colos. 1.10.

XV. Honor qui Christo debetur ab Ecclesia, est ut omnia carnalia deserens, cultui & obsequio Christi dedat sese totam. ex vers. 11, 12.

*Ratio* 1. Quia hac ratione profitetur se Christum omnibus præferre, omnia ipsi debere, & ab illo solo pendere. 2. Quia honor hic est spiritualis, ex quo omnia officia sponte sequentur. Hose. 2. 20. 3. Quia hic est finis gratiæ illius, quæ fiet Ecclesiæ in isto connubio. Ephes. 5.24.

*Usus Exhortationis*, ut omni studio in hoc officium incumbamus.

XVI. Ecclesia Christum honorans, tam à Christo, quam ab iis qui sunt Christi, in omni gente honoratur. v. 12, 13.

*Ratio* 1. Quia hæc est æquissima Dei dispensatio, ut honoret eos à quibus honoratur. 1 Sam. 2.30. 2. Quia Ecclesia Christum honorando allicit ad sese electos Dei, ut idem faciant. Jes. 2.2,3. Mat. 5.16. factum hoc in ipsis Tyris. Mar. 3.8. Act. 21. 3,4,5. 3. Quia illi qui aggregantur Ecclesiæ, se & omnia sua dedunt Christo imprimis, sed Ecclesiæ etiam in Christo. 2 Cor. 8. 5.

*Usus Directionis*, ut hac sola via honorem & gloriam quæramus. Rom. 2.7.

XVII. Præcipuus ornatus Ecclesiæ est internus, vel in homine interno. v. 14. Secundarius est in multorum conversione.

*Ratio* 1. Quia essentialis status Ecclesiæ est spiritualis. Ephes. 3.16. 2. Quia placere debet illi qui interna cordis intuetur. 3. Quia Christus delectatur etiam accretione numeri fidelium, tanquam ornatu Sponsæ suæ. Jes. 49.18.

*Usus Admonitionis*, ut huic ornatui præ aliis omnibus studeamus. 1 Pet. 3.4.

XVIII. Felicitas Ecclesiæ præcipua est in communione quam habet cum Christo v. 15, 16.

*Ratio*. Quia Christus est via, veritas, vita. Joh. 14.6.

*Usus Exhortationis*, ut istam communionem secundum ordinationem Christi sedulo quæramus, & colamus. Philip. 3.7,8,9,10, &c.

XIX. Christi & Ecclesiæ generatio fœcunda est & gloriosa. vers. 17.

*Ratio* Quia in Ecclesia ex immortali semine gratiæ & verbi divini generantur filii Deo, & regni ejus hæredes.

*Usus*

*Vſus Admonitionis*, ne acquieſcamus in generatione aut ſtatu alio quocunque, ſed unice quæramus teſtimonium Spiritus, quod nos ſimus filii Dei. Rom. 8. 16.

## PSALMUS QUADRAGESIMUSSEXTUS.

*Magiſtro ſymphoniæ in poſteris Korachi ad acutam ſymphoniam, canticum.*

2. *Deus nobis* eſt *receptus & robur; auxilium in anguſtiis præſentiſſimum.*

3. *Idcirco non timeremus, ſi commutaret terra* locum; *aut ſi dimoverentur montes* depulſi *in ima maris:*

4. *Fremerent, lutoſæ fierent aquæ cujuſque illorum; commoverentur montes elatione ejus maxime.*

5. *Flumen, rivi ejus, lætificant civitatem Dei; ſanctiſſimum* locum, *habitacula excelſi.*

6. *Deus* eſt *in medio illius, non dimovetur* illa; *adjuvat illam Deus ab appetente matutino.*

7. *Frementibus gentibus, moventibus ſe regnis, edit vocem ſuam, liqueſit terra.*

8. *Iehova exercituum nobiſcum* eſt, *locus editus* eſt *nobis Deus Iahakobi maxime.*

9. *Age, videte opera Iehovæ, ut diſponat deſolationes in terra.*

10. *Faciens ut ceſſent bella uſque ad extremitatem terræ; arcum perfringat, & truncet haſtam; currus comburat igne.*

11. Dicens, *deſiſtite & agnoſcite me eſſe Deum, me exaltatum iri in gentibus, exaltatum iri in terra.*

12. *Iehova exercituum nobiſcum* eſt, *locus editus nobis Deus Iahakobi maxime.*

### ANALYSIS.

PROPOSITUM Pſalmiſtæ in iſto cantico eſt, nomine populi Judaici, profiteri & prædicare conſolationem illam quam percipiebant ex gratioſa Dei protectione, quam ex promiſſionibus & fœdere ejus vera fide apprehendebant.

Hæc protectio declaratur v. 2, 8, & 12. Illuſtratur. 1. Ab effectu fiduciæ imperterritæ. v. 4. Cujus fiduciæ conſtantia & firmitas amplificatur ex eo quod oppoſita validiſſima ſuperaret, id eſt, omnia pericula quæ vel accidere vel fingi poſſint v. 3. 4. 2. Similitudine fluminis, cujus rivi ſufficiant ad omnem lætitiam. v. 5. Cujus comparationis redditio eſt quod Dei præſentia ſit perennis fons omnis boni, & beneficentiâ ejus opportunâ, omnis conſolatio ad populum ejus derivetur. verſ. 5 6. 3. Ab efficacia Dei, ſi vel vocem ſolum edat. v. 7. 4. Ab effectis, quæ ſunt hoſtium omnium profligatio. verſ. 9. pacis conſtitutio. v. 10. & nominis divini exaltatio. v.

 11. Quæ

11. Quæ omnia declarantur à fine & usu suo, in forma exhortationis, ut scilicet videant hæc omnes, & ab impietate desistentes Deum agnoscant & revereantur. vers. 9, & 11.

## DOCUMENTA.

I. Protectio Dei sufficiens est & certa fidelibus. ex vers. 2,8, & 12. Jes. 4.4, 5.

*Ratio* 1. Quia Deus est omnipotens. Hoc respectu vocatur v. 8. & 12. *Dominus exercituum*. 2. Quia suam omnipotentiam fidelium saluti procurandæ ex fœdere gratiæ addixit. Hoc respectu dicitur, *Deus Iahakobi nobiscum*. ibid. 3. Quia ubique adest, & efficaci providentia sua omnia & singula administrat. Hac ratione dicitur v. 2. *auxilium præsentissimum*, facile inventu, vel quia Deus facile invenitur, vel nos facile Deum & auxilium in eo invenimus.

*Usus Directionis*, ut fidem nostram erigamus ad istam protectionem cum omni certitudine apprehendendam.

II. Decet fideles de hac protectione Dei gloriari. v. 2,8,12. Jer. 9.24.

*Ratio* 1. Quia facit hoc plurimum ad gloriam Dei, qui enim gloriatur de Deo, glorificat Deum. 2. Quia facit etiam ad consolationem nostram, nam hac attenta meditatione exsugitur dulcissimus succus promissionum, quo animæ pascuntur. 3. Quia usum & fructum beneficentiæ divinæ reddit hoc ampliorem, spiritualem fructum colligit ex beneficio temporali, fructum constantem ac permanentem ex actu transeunte.

*Usus Exhortationis*, ad frequentem hujus gratiæ meditationem.

III. Protectionis divinæ fiducia superare & expellere debet ex animis nostris oppositum omnem timorem. ex v. 3, 4.

*Quæst.* Qualis sit ille timor, qui opponitur fiduciæ veræ?

*Resp.* Neque timor ille naturalis, qui est mera passio, neque ullus timor qui retrahit à peccato, sed ille omnis qui retrahit ab officio. Quum enim spes erigit animum ac dilatat ad beatitudinem in via recta prosequendam; non potest cum illa consistere timor ille mali, qui animum dejicit, & constringit, ita ut faciat hominem resilire ab illa via qua beatitudinem quærere debet, propter difficultates que occurunt in eadem. Phil. 1. 28. 1 Pet. 3. 14. Timor est diffidentiæ. Apo. 21. 8.

*Ratio* 1. Quia fiducia apprehendit bonum illud æternum, quod omnibus hujus vitæ malis oppositum, facit ut res leviculæ nobis videantur. 2 Cor. 4. 17. Rom. 8. 18. 1 Pet. 5. 10. Heb. 12. 2. 2. Quia fiducia divina illo nititur auxilio quo omnia pericula facile superantur. Rom. 8. 31, 37. 1 Cor. 10. vers. 13.

*Usus Exhortationis*, ut exerceamus nosmetipsos tam ad timorem hujusmodi præsentem excutiendum, quam ad illum omnem antevertendum qui possit nobis accidere. Hoc est quod Psalmista facit in hoc textu.

*Quæst.* An consultum sit, ut fingamus nobismetipsis istiusmodi timores?

*Resp.* Infirmis, qui faciunt hoc ex quadam inclinatione ad desperandum, non est consultum: quia semet-

metipsos hoc pacto tentant. Quando vero fides & fiducia viget, ad majorem ejus elevationem & confirmationem plurimum facit, hoc modo quasi sub pedes ejus conterere omnes oppositas difficultates. Psalm. 27. 1, 2, 3.

IV. Beneficia præsentia Dei in Ecclesia, vera fide apprehensa, alit spem, & timorem expellit. v. 5, 6.

*Ratio* 1. Quia ex ista præsentia Dei percipimus (ex parte) illud ipsum bonum quod speramus. *lætificant.* in textu. 1 Pet. 1. vers. 8. 2. Quia hæc præsentia pignus est & arrha conjunctionis & communionis illius perfectæ quam exspectamus. 3. Quia præsentia Dei est præsentia auxilii ad omnia sufficientis. v. 2.

*Usus Exhortationis*, ut in fide & communione Ecclesiæ cum religiosa cura nosmetipsos exædificemus.

V. Vox ipsa Dei sufficit ad ferocissimos Ecclesiæ hostes reprimendos. v. 7.

*Ratio* 1. Quia majestatem divinam habet conjunctam. 2. Quia conscientia impiorum voce judicis terrefacta confusionem ipsis adfert. 3. Quia vox Dei est index voluntatis ejus, qua efficit id quod voce declarat.

*Usus Admonitionis*, ne frangamur animis propter mediorum defectum.

VI. Quæ Deus pro Ecclesia & adversus hostes ejus operatur, cum fructu pietatis debent observari. v. 9, 10, 11.

*Ratio* 1. Quia perfectionem Dei nobis declarant. 2. Quia sua natura invitant & alliciunt ad illam perfectionem fruendam. 3. Quia in istum finem & fiunt hæc opera, & celebrantur.

*Usus Admonitionis*, ne cæci aut stupidi simus in operibus Dei negligendis habendis.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

*Magistro symphoniæ in posteris Korachi, Psalmus.*

2. *Omnes populi plaudite manu, clangite Deo voce canora.*

3. *Iam Iehova excelsus, reverendus, rex magnus* est *super terram.*

4. *Cogit in caulam populos in locum nostrum, nationesque in locum pedum nostrorum.*

5. *Seligit nobis possessionem nostram, excellentiam Iahakobi quem diligit maxime.*

6. *Ascendit Deus cum clangore, Iehova cum sono buccinæ.*

7. *Psallite Deo, psallite: psallite regi nostro, psallite.*

8. *Nam rex totius terræ* est *Deus: psallite* Psalmo *didascalico.*

9. *Regnat Deus super gentes; Deus insidet solio sanctitatis suæ.*

10. *Voluntarii populorum congregantur, populus Dei Abrahami; quia Dei* sunt *protectiones terræ, valde excelsus est.*

## ANALYSIS.

PROPOSITUM Prophetæ in isthoc Psalmo est celebrare laudes Dei, ex occasione deductionis Arcæ Dei in templum ipsi præparatum, sicut apparet ex v. 6. Peragitur autem hæc celebratio (sicut aliæ multæ) per modum exhortationis, qua omnes populi invitantur ad hoc officium præstandum. v. 2. 7, 8.

In hac vero hortatoria celebratione, officium ipsum describitur primo, & postea suadetur argumentis. Describitur 1. Ab objecto, quod Deus verus sit celebrandus. 2. Ab efficiente causa, quod fieri hoc debeat ab omnibus populis. 3. A modo externo, qui consistit in omnimoda lætitiæ, & gratulationis testificatione, tam manuum plausu, quam vocis cantu, & musicorum organorum concentu. 4. A modo interno, zelo scilicet & perseverantia, quæ vehementi illa repetitione innuuntur. v. 7.

Argumenta, quibus hoc officium suadetur, sunt illa ipsa, in quorum confessione celebratio ipsa consistit: quod scilicet Deus propter summam ejus majestatem, & supremum ac universale dominium, sit ab omnibus reverendus. v. 3, 8, 9. Hæc autem suis effectis in reliquo Psalmo demonstrantur.

Effecta illa sunt 1. Subjectio gentium erga Ecclesiam Dei vers. 4. 2. Ecclesiæ procuratio, quâ fit ut singulariter excellat. v. 5. 3. Aggregatio electorum ex omnibus gentibus ad Ecclesiam. v. 10 Quæ aggregatio illustratur à modo, quod sit voluntaria, & à causa impellente, quia protectio vera est in Deo solo.

## DOCUMENTA.

I. Dei gloria cum omni lætitia est celebranda. v. 2. Psalm. 97. 12.

*Ratio* 1. Quia omnes causæ gaudii in Deo reperiuntur: præsentia scilicet summi boni, summe amandi. Psalm. 118. 1. &c. 2. Quia hic finis est, cur Deus semetipsum nobis notum facit. 1 Joh. 1. v. 4. 3. Quia Deus maxime delectatur isthoc honore: nihil enim à nobis proficisci potest, quo magis vel regnum Dei extollamus, vel beatitudine nostra fruamur. Rom. 14. 17. Jer. 33. 11.

*Usus Exhortationis*, ut omni studio comparemus nosmetipsos ad istud officium explendum. Phil. 4. vers. 4.

II. Majestas & Dominium Dei singularem causam præbet nominis ejus celebrandi. ex v. 3. Psalm. 95. 1, 3.

*Ratio* 1. Quia in illis proprie designatur illa excellentia, cui reverentia & honor debetur. Jer. 10. 7. 2. Quia in hac excellentia agnoscenda & prædicanda, celebratio Dei proprie consistit. Jer. 10 10, 12.

*Usus Directionis*, ut in meditationibus nostris singularem respectum habeamus hujus excellentiæ Dei.

III. Subjectio ipsa qua homines Deo & Ecclesiæ subduntur, præbet illis materiam gaudendi. ex v. 4. cum 2.

*Quæst.* Quomodo intelligatur hoc, quod populi & nationes subditi fuerint Judæis, cum Judæi potius, quando regnum Dei fuit inter gentes

gentes conſtitutum, ſervi facti ſunt gentium, & alieni à Deo?

*Sol.* Judæi hic non conſiderantur ut Judæi, ſed ut Eccleſia Dei, quæ manet eadem, quamvis Judæi ſint rami defracti, & alii eorum loco inſerantur. Rom.11.24.

*Ratio* 1. Quia Dei regnum hoc pacto amplificatur. 2. Quia illa ſubjectio adfert ſecum ejuſdem gratiæ cum Eccleſia participationem & ſocietatem.

*Vſus Admonitionis*, ne ſubjectionem ſpiritualem habeamus pro dura ſervitute, ſed pro læta & optanda libertate.

IV. In Eccleſia dilectionis & electionis ſigna ſunt maxime obſervanda. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia per illa diſtinguitur Eccleſia à cæteris omnibus populis. 2. Quia illa proxime & efficaciter excitant ad Deum glorificandum. 3. Quia illa invitant & alliciunt homines tam ut aggregent ſeſe Eccleſiæ, quam ut maneant eadem.

*Vſus Directionis*, ut ædificemus noſmetipſos in certitudine electionis noſtræ.

V. Perfectio omnis celebrationis gloriæ divinæ eſt lubenti animo adhærere Deo, ejuſque Eccleſiæ, & ex protectione ipſius pendere. ex v. 10.

*Ratio* 1. Quia realis glorificatio Dei eſt finis omnis verbalis confeſſionis. 2. Quia hoc eſt Deo vivere, in quo tota religio conſiſtit. 3. Quia ex hoc omnia officia quibus Deus glorificatur, ſua ſponte ſequuntur.

*Vſus Exhortationis*, ut omni ſtudio huc incumbamus.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

*Canticum* & *Pſalmus poſteris Korachi.*

2. *Magnus* eſt *Jehova*; *& laudatus valde, in civitate Dei noſtri, monte ſanctitatis ejus.*

3. *Ornamento tractus, gaudio totius terræ monte Tzijonis, lateribus Aquilonis, urbe regis magni.*

4. *Deus in palatiis ejus, agnoſcitur pro loco edito.*

5. *Nam ecce reges convenerunt, progreſſi ſunt pariter.*

6. *Ipſi viderunt, ſimiliter admirati ſunt, conturbati ſunt, accelerarunt* abitum.

7. *Tremor prehendit eos illic, dolor ut parturientis.*

8. *Euro perfringis naves Oceani.*

9. *Quemadmodum audiveramus, ita vidimus in civitate Jehovæ exercituum, in civitate Dei noſtri, Deus ſtabilit eam in ſeculum uſq; maxime.*

10. *Cogitamus ô Deus benignitatem tuam in medio templo tuo:*

11. *Sicut nomen tuum ô Deus, ſic laudem tuam eſſe uſque ad extremitates terræ: Juſtitiæ plenam eſſe dexteram tuam.*

12. *Lætetur mons Tzijonis, exſultent filiæ Jehudæ propter judicia tua.*

13. *Circuite Tzijonem, & cingite eam; numerate turres ejus:*

14. *Apponite animum veſtrum ad præmunitionem; attollite* oculos *ad palatia ejus; ut enarretis generationi poſteræ.*

15. *Nam hic Deus Deus noster est in seculum & sempiternum; hic nos deducturus est ad mortem usque.*

## ANALYSIS.

INTENTIO Prophetæ in isto Psalmo est Dei nomen celebrare de beneficiis in civitatem Hierosolymitanam collatis.

In illum finem 1. Prædicat in genere magnitudinem eorum beneficiorum quæ laudem magnam merebantur. v. 2. non enim quantitate molis, sed virtute dicitur Deus *magnus*, quemadmodum inter homines quidam principes vocantur magni, ut Alexander *magnus*, Carolus *magnus*, &c.

2. Magnitudinem istam beneficiorum Dei erga Hierosolymam declarat ex statu civitatis, tanquam effecto: qui status describitur 1. A relatione quam dignatione Dei habuit ad ipsum, tanquam possessio peculiaris, & sancta. v. 2, & 3. in fine. 2. Ab excellentia quam habuit in comparatione vicinorum locorum: *ornamento tractus*. v. 3. 3. Ab hujus excellentia & adjuncto, quod in illa *gaudebat tota terra*. v. 3. 4. A causa hujus gaudii, quæ fuit protectio & salus Dei ibi singulariter manifestata & nota. v. 4.

3. Illustrat istam magnitudinem beneficiorum Dei speciali exemplo defensionis. v. 5, 6, 7, 8, 9. ubi periculi magnitudo 1. Declaratur per multitudinem, potentiam, & machinationes hostium. v. 5. 2. Liberationis magnitudo. per effecta potentis operationis Dei adversus illos hostes, tam in eorum animis percellendis. v. 6, 7. quam in viribus eorum frangendis. v. 8. 3. Ex illa liberatione concluditur, & confirmatur constans protectio Hierosolymæ. v. 9. per comparationem promissionis, & experientiæ, simul & similiter eam contestantium. *quemadmodum audiveramus, ita vidimus.*

4. Officium piorum propter ista beneficia præstitum, & præstandum declarat: 1. In seria & solemni meditatione benignitatis Dei, v. 10. 2. In laude ejus diffundenda. v. 11. 3. In lætitia & exultatione de ejus rebus gestis. v. 12. 4. In operum ejus attenta observatione, & propagatione. vers. 13, 14.

5. Tam beneficiorum, quam officiorum causa & ratio redditur: fœdus nempe Dei cum populo suo initum constans, & efficax. v. 15.

## DOCUMENTA.

I. Deus est magnus. v. 2. non intelligitur hoc de extensione substantiæ, (quamvis divinæ omnipræsentiæ respectu possit eo etiam divino modo applicari, 1 Reg. 8. 27. Jesaiæ ult. 1. Act. 7. 47.) sed de intensione & gradu maximo virtutis.

*Ratio* 1. Quia tanta est Dei perfectio, ut superet omnem comparationem. *Quis similis tibi?* Psal. 89. 7, 9. 2. Quia superat omnem apprehensionem. Psalm. 145. 3, 6. 3. Quia in operatione superat oppositam omnem difficultatem. Deut. 9. 26. 4. Quia superat omnem nostram indigentiam. Rom. 5. 15. Ephes. 1. 8. 19. & 2. 4. & 3. 18, 19, 20.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omni cogitatione, quæ aliquid

quid in Deo parvum & anguſtum facit.

II. Honor magnus Deo debetur. ibid. Pſalm. 76. 2.

*Ratio* 1. Quia non eſt honor, niſi aliquam habeat proportionem cum dignitate honorati. Pſalm. 29. 2. & 99. 3. 2. Quia nomen Dei ſuperat omnem benedictionem & laudem. Nehem. 9. verſ. 5. 3. Quia nihil aliud rependere Deo poſſumus pro beneficiis ejus magnis. Pſalm. 116. 12, 13.

*Vſus Exhortationis*, ut in omni parte religionis eo adnitamur, ut Deum toto corde, tota mente, & omnibus viribus honoremus.

III. Magnitudo Dei nullibi magis apparet, quam in beneficiis ejus erga Eccleſiam. v. 2, 3, 4.

*Ratio* 1. Quia proveniunt hæc à maximo amore. 2. Quia elevant fideles ſupra omnem ordinem naturæ. 3. Quia omne bonum complectuntur, & malum omne è medio tollunt.

*Vſus Directionis*, ut iſta beneficia primo & ſupra cætera omnia quæramus. Matth. 6. 33.

IV. Magnitudo omnis hoſtium & periculorum, quibus Eccleſia exercetur, inſervit magnitudini Dei in Eccleſia illuſtrandæ, ex v. 5, 6, 7, & 8.

*Ratio* 1. Quia in iſta concertatione comparatio ad oculum exhibetur & repræſentatur, qua magnitudo Dei ſuperior apparens, illuſtratur per alteram magnitudinem, quæ nobis eſt notior. 2. Quia magnitudo hoſtium & periculorum eſt propria materia vel objectum magnæ virtutis Dei liberantis & vindicantis. 3. Quia liberatio magna eſt proprium effectum virtutis magnæ.

*Vſus Conſolationis*, adverſus hoſtes magnos & pericula magna, quibus Eccleſia exercetur.

V. Promiſſiones iſtiuſmodi liberationis & protectionis, ſenſu & experientia confirmantur. ex v. 9.

*Ratio* 1. Quia promiſſio divina eſt ſignum certum voluntatis Dei efficaciſſimæ. cum igitur ſit de rebus ſenſibilibus, ſenſui ipſi efficax debet apparere. 2. Quia ſenſus obſervatio & experientia hujus efficientiæ, eſt teſtimonium reale veritatem promiſſionum nobis confirmans. 3. Quia fides & ſpes noſtra hac ratione obſignatur.

*Vſus Directionis*, ut iſtiuſmodi obſervationibus & collationibus ædificemus noſmetipſos in fiducia vera.

VI. De confirmata iſta Dei benignitate omnes pii religioſe meditantur. v. 10.

*Ratio* 1. Quia in iſtum finem declaratur, ut à nobis rite agnoſcatur ac celebretur, quod ſine religioſa meditatione fieri non poteſt. 2. Quia iſta meditatio eſt ſpiritualis paſtio animarum noſtrarum. 3. Quia coram Deo, qui cogitationes intuetur, religioſa meditatio operum Dei habetur pro eorum celebratione.

*Vſus Exhortationis*, ut corda noſtra ad vias iſtas Dei ſerio & reverenter apponamus.

VII. Qui rite cogitant de benignitate Dei, vident & agnoſcunt, nomen & laudem Dei pariter & ubique celebrandam. ex v. 11.

*Ratio* 1. Quia quicquid nobis de Deo innoteſcit, (quod nomen Dei vo-

vocatur ) totum illud meretur honorem. 2. Quia cogitationes & vota fidelium erga Dei honorem longe superant angustos terminos hujus mundi.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut de nomine Dei nec loquamur, ne cogitemus sine honore. 2. *Exhortationis*, ut honorem Dei studeamus pro viribus dilatare.

VIII. In Deo celebrando, perfecta justitia ejus simul cum potentia perfecta est agnoscenda & commemoranda. v. 11 in fine.

*Ratio* 1. Quia posse & velle juste in omni efficientia Dei concurrunt. 2. Quia consolatio nostra non pendet ex eo quod Deus possit tantum, aut velit solum nobis succurrere, sed quod simul possit, & velit. 3. Quia perfectio potentiæ & justæ voluntatis Dei invitat homines ad eum colendum.

*Usus Directionis*; ut ista duo in meditationibus nostris ex omni occasione conjungamus.

IX. Lætitiæ materia est piis in ipsis judiciis divinis, quæ potenter & juste exercet. ex v. 12.

*Ratio* 1. Quia maxima ex parte sunt pro Ecclesia, adversus ejus hostes. 2. Quia cum Ecclesiam exercent cedunt in ejus bonum. Jes. 26. 9. 3. Quia semper cedunt in gloriam justitiæ & potentiæ Dei.

*Usus Consolationis*, si enim in judiciis Dei possimus sanctæ lætari, tum multo magis in benedictionibus ejus puris.

X. Judicia & beneficia Dei tam attente sunt ab omnibus piis observanda, ut eadem cum fructu possint aliis enarrare. v. 13. 14.

*Ratio* 1. Quia sine hac attentione non possunt Deum in operibus suis glorificare. 2. Quia grati non possunt esse sine ista cura.

*Usus Admonitionis*, ne quisquam se excusatum putet vel occupationibus aliis, vel eruditionis defectu, ab hoc officio omnium piorum communi.

XI. Principium & finis omnis celebrationis Dei, est constans fiducia in Deo ex fœdere ejus collocata. v. 15.

*Ratio* 1. Quia sine hac fiducia non possumus Deo tribuere gloriam illam quæ ipsi debetur. 2. Quia istius fiduciæ confirmatio est perfectio glorificationis quam Deo in nobismetipsis possumus deferre.

*Usus Directionis*, ut hoc sit α & ω in omni officio nostro quod Deo præstamus.

## PSALMUS QUADRAGESIMUS NONUS.

*Magistro symphoniæ in posteris Koracbi, Psalmus.*

2. *Audite hæc omnes populi: auribus percipite omnes habitatores mundi.*

3. *Tum nati* plebeio *homine, tum nati* præstante *viro: simul dives & egens.*

4. *Os meum loquuturum est variam sapientiam, & meditatio animi mei multiplicem prudentiam.*

5. *Inclinans ad parabolam aurem meam, pandam in cithara ænigma meum.*

6. Cur

6. *Cur timerem temporibus male*, ut *iniquitas veſtigiorum meorum circumdet me?*

7. *Eorum qui confidunt in opulentia ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur;*

8. *Fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, non dare Deo redemturam ejus.*

9. (*Eſt enim cara redemtio vitæ eorum; imo ceſſat in ſeculum*)

10. *Vt vivat adhuc in æternum, non experiatur corruptionem.*

11. *Nam videt, ſapientes mori, pariter ſtultum & brutum perire, ac relinquere aliis opulentiam ſuam.*

12. *Animus* fuit *illis domos ſuas in ſeculum, habitacula ſua in quamq; generationem* ſtatui: quum ea *vocarent de nominibus ſuis per terras.*

13. *Neque tamen homo* qui *in honore* eſt, *commoraturus eſt, ſimilis fit jumentis* quæ *intereunt.*

14. *Hæc* quum ſit *via iſtorum, exſpectatio* eſt *eis; & poſteri eorum os eorum approbant maxime.*

15. *Tanquam pecudes, in ſepulcro diſpoſitos mors depaſcet eos: donec dominentur eis recti mane, & formam eorum conſumat infernus* receptam *ex habitaculo ejus.*

16. *Enimvero Deus redemturus eſt animam meam à ſepulcro, quum recepturus me ſit potentiſſime.*

17. *Ne timeto, quum dives evaſerit quiſpiam; quum aucta fuerit gloria domeſtica ejus.*

18. *Non enim in morte ſua aſſumturus eſt illius quicquam, non deſcenſura eſt poſt eum gloria ejus.*

19. *Quum animæ ſuæ in vita ſua benedixerit, atque celebraverint te quod benefacias tibi:*

20. *Vt perveniat uſque ad ætatem majorum ejus, in æternum* tamen *non ſunt fruituri luce.*

21. *Homo* qui eſt *in pretio, neque eſt intelligens; ſimilis fit jumentis* quæ *intereunt.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt inſtituere & hortari fideles, ne metu nimio percellantur, vel turbentur animis, ex proſperitate impiorum hoſtium. verſ. 6. ubi metus cavendus objecto ſuo materiali declaratur. & verſ. 17. ubi cauſa ipſius expreſſe deſignatur. Hæc autem exhortatio illuſtratur primo, & poſtea confirmatur. Illuſtratur generaliter. 1. Ab objecto externo vel perſonis ad quas ſpectat, quæ & totaliter, & per diſtributionem notantur. verſ. 2. & 3. 2. Ab objecto interno, quod in vera ſapientia & prudentia conſiſtit. v. 4. 3. A modo præſtantiam rei propoſitæ, quod ſit quaſi parabola, vel ænigma, quam actus proponendi quod ſemetipſum imprimis ad iſtam exhortationem recipiendam, comparaverit Pſaltes, & ſimul alios vocaverit ad communionem ejuſdem officii, & con-

consolationis. v. 5.

Confirmatur eadem exhortatio 1. A vanitate opulentiæ illius qua impii nituntur, & aliis formidabiles apparent. Vanitas ista ex eo apparet, quod non possint istæ divitiæ effectum producere redemtionis à miseria & morte. v. 7, 8, 9, & 10. Ista vanitas confirmatur experientia & sensu communi. v. 11. Quæ illustratur primo opposito studio & conatu eorum, qui se & nomina sua quantum possunt à morte vindicatum eunt, & tamen nihil reipsa præstant. v. 12. & 13. Illustratur secundo à diversis, fatua scilicet exspectatione quam alunt, & approbatione insana, quam apud posteros habent. v. 14, & 15. 2. Confirmatur obiter exhortatio illa à potiore conditione fidelium, quam certa spe debent exspectare, & cujus respectu dicuntur impiis dominaturi. v. 15, & 16. 3. Confirmatur etiam ab instabilitate divitiarum, quæ neque à suis possessoribus possunt in morte hinc deferri, neque illis possunt vitæ fruitionem adferre, aut à morte liberare. v. 18, 19, 20, & 21.

## DOCUMENTA.

I. Verbum Dei ab omni genere hominum diligenter est audiendum. ex v. 2, & 3.

*Ratio* 1. Quia Deus, cujus voluntas in hoc verbo revelatur, est Dominus omnium. 2. Quia finis & usus verbi ex æquo spectat ad omnes. 3. Quia omnium interest ut à Deo audiantur: quod tamen non potest exspectari, nisi illi Deum audiant. Prov. 1. 28. & 28. 9.

*Usus Condemnationis*, adversus varia genera hominum, qui vel ex superbia, vel abjectione animi, semetipsos eximunt à verbo Dei audiendo. Jer. 5. 4, 5.

II. Verbum Dei est summa sapientia & prudentia. ex v. 4. Jer. 4. 22. & 8. 9.

*Ratio* 1. Quia tam finem, aut summum bonum, quam media quibus eo pervenitur accurate declarat. 2 Timot. 3. 15. 2. Quia particeps nos facit sapientiæ divinæ. 1 Cor. 1. 24. 3. Quia hæc sapientia fructus profert divinos. Jac. 3. 13, 15. Prov. 3. 13. & 8. 11, 19. & 16. 16.

*Usus Exhortationis*, ut supra cætera omnia hanc sapientiam nobis comparare studeamus. Prov. 2. 3, 4, 5, 6. & 4. 5, 7.

III. Qui Verbum Dei aliis proponunt audiendum debent semetipsos ad idem audiendum sollicite comparare. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia opus Dei facere debent ex toto corde. 2. Quia aliæ conciones in cerebro natæ aut inter dentes, sunt frigidæ, mortuæ, & inefficaces. 3. Quia aliter concionantes semetipsos condemnant. Rom. 2. 1.

*Usus Redargutionis*, adversus illos qui alios docent, & semetipsos non docent.

IV. Qui verbum Dei loquuntur, legitimis omnibus mediis uti debent, ut illud auditoribus sit gratum & acceptum. ex v. 5. *parabola, ænigma, cithara.*

*Ratio* 1. Quia majestatem verbi divini tueri debent. 2. Quia hoc maxime facit ad ædificationem auditorum. Ecclesi. 12. 12, 13.

*Usus Increpationis*, adversus eos qui verbum Dei vel cauponantur, vel neg-

negligenter tractant. 2 Corinth. 2. 17.

V. Metui illi malo, qui diffidentiam habet conjunctam, fideles omnes fortiter debent resistere. vers. 6.

*Ratio* 1. Quia talis metus non facit ut fugiamus à malo ad Deum, sed à Deo in malum. Prov. 14. 16. & 29. 15. 2. Quia talis metus proprius est impiorum. Prov. 1. 33. 3. Quia sanctificationi nominis Divini repugnat. 1 Pet. 3. 14, 15.

*Usus Admonitionis*, ne locum demus istiusmodi tentationibus, sed in vera fiducia animos nostros confirmemus.

VI. Præcipua causa metus hujusmodi est peccatum: sed in fidelibus ne peccatum quidem tale effectum debet habere. ex v. 6.

*Ratio* 1. Peccatum est præcipua causa hujus metus. 1. Quia est aculeus mortis. 1 Corinth. 15. 56. 2. Quia solum peccatum separat à Deo, in quo fiducia est collocanda. Jes. 59. 2.

Hoc tamen effectum non debet habere in fidelibus: quia fide recipimus peccatorum omnium remissionem.

VII. Impii hominis est in opulentia confidere, & in divitiis gloriari. v. 7.

*Ratio* 1. Quia hæc est idololatria maxime opposita religioni. Ephes. 5. 5. 2. Quia singulariter impedit ingressum in regnum Dei. Marc. 19. 24. 3. Quia multæ perniciosæ cupiditates ex isto fonte dimanant. 1 Tim. 6. 9.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omni participatione & specie hujus insaniæ.

VIII. Fiducia ista, & gloriatio in divitiis non magis est impia, quam vana. v. 8, 9, 10.

*Ratio* 1. Quia divitiæ ipsæ sunt vanitas vanitatum, id est, res vanissimæ. Eccles. 1. 2. Non habent in sese illam vim beatificam, quam præ se ferunt; non producunt effecta, quæ sibimet homines ex illis pollicentur: atque adeo fallunt spem & exspectationem eorum qui in ipsis confidunt. Job 6. 15, 16, &c. 2. Quia Deus omni confidentiæ maledicit, quæ in creaturis collocatur. Jer. 17. 5.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis, ne temere, frustra, & impie in rebus externis fiduciam nostram collocemus.

IX. Vanitas hujus fiduciæ, quamvis experientia ipsa satis sit manifesta, non tamen agnoscitur ab hominibus vanis & mundanis. v. 11, 12, 13.

*Ratio* 1. Quia cæci sunt, præsentia tantum, non remotiora cernentes. 2 Pet. 1. 9. 2. Quia ex affectu erga res terrenas, semetipsos student magis magisq; occæcare. 2 Pet. 3. 5. 3. Quia propter peccata sua juste traduntur à Deo in mentem omnis judicii expertem. Rom. 1. 28.

*Usus Admonitionis*, ne mundum insanientem ulla ex parte sequamur, sed veritatem Dei studiose in omnibus exquiramus.

X. Istiusmodi insaniam vel verbis, vel factis approbare, est plusquam insanire. v. 14, 15.

*Ratio* 1. Quia exemplo peccare, est bis peccare. Ezech. 23. 11. Rom. 1. 32. 2. Quia hujusmodi continuatione peccati, mensura ejus impletur. Matth. 23. 32.

Usus

*Usus Admonitionis*, ne vel peccatis aliorum patrocinemur, vel aliorum exempla in patrocinium nostrorum peccatorum detorqueamus.

XI. Unica ratio fiduciam istam vanam superandi, est veram fiduciam in Deo collocare, & in ea gloriari. vers. 15. 16.

*Ratio* 1. Quia nulla tentatio superatur nisi fide & fiducia. Ephes. 6. 16. 2. Quia fiducia vana non deponitur, nisi solidiore assumpta. 2 Tim. 6. 17.

*Usus Directionis*, ut in fiducia vera diligenter nos exædificemus.

XII. Fiducia nostra ita debet in Deo collocari, ut nihil timeamus mundanum. ex v. 17, &c.

*Ratio* Quia Deum non glorificamus, nisi supra mundum eum extollamus.

*Usus Admonitionis*, ut hac armatura præmuniamus nosmetipsos adversus omnes mundanos terrores.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS.

*Psalmus, Asapho.* Deus *fortis, Deus Iehova eloquitur & inclamat terram, ab ortu solis usque ad occasum ejus.*

2. *E Tzijone, perfectissimæ pulchritudinis* loco, *Deus illucescit.*

3. (*Veniat Deus noster, & ne surdum agat*) *ignis ante ipsum consumit; & circa ipsum procellosus valde.*

4. *Inclamat cœlos superne; & terram* inclamat, *jus populo suo dicturus;*

5. *Congregate mihi quos benignitate prosequutus sum, qui icerunt fœdus mecum per sacrificium.*

6. *Quando indicarunt cœli justitiam ejus, Deum judicem esse sum:*

7. *Audi popule mi,* inquit, *& eloquar; Iisraël & contestabor te: Deus Deus tuus sim:*

8. *Non propter sacrificia tua arguam te, at holocausta tua sint coram me jugiter.*

9. *Non accipiam è domo tua juvencum, è caulis tuis hircos:*

10. *Quum mea sit omnis bestia silvestris jumenta in montibus mille.*

11. *Agnoscam omnes volucres montium, denique animalia agrestia sint penes me.*

12. *Si esurirem, non dicerem tibi: nam mea* est *terra habitabilis, & plenitudo ejus.*

13. *An vescor carne robustorum* juvencorum, *aut sanguinem hircorum bibo?*

14. *Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua.*

15. *Atque invoca me tempore angustiæ; eripiam te ut honore afficias me.*

16. *Improbo autem dicit Deus; Quid tua ut enarres decreta mea, & assumas fœdus meum in ore tuo.*

17. *Cum tu oderis disciplinam; & projeceris verba mea post te?*

[18. *Simulac vides furem, acquiescis ei; & cum adulteris* est *portio tua:*

19. Os

19. *Os tuum adhibes ad malum, & lingua tua concinnas dolum:*
20. *Sedens fratri tuo obloqueris: in filium matris tuæ edis infamiam.*
21. *Hæc te faciente quia agebam ſurdum, cogitas me prorſus eſſe ſimilem tui: arguo te, & diſſero in oculis tuis.*
22. *Animadvertite jam hoc obliviosi Dei; ne rapiam nec ſit qui eripiat.*
23. *Qui ſacrificat laudem, honore afficit me: & qui componit viam, faciam ut is fruatur ſalute Dei.*

## ANALYSIS.

PROPOSITUM hujus Pſalmi eſt inſtituere omne genus hominum quomodo debeant Deum honorare. v. 23. Hæc autem inſtitutio primo illuſtratur, ad v. 7. & poſtea proponitur vel explicatur ad v. 7. ad finem. Illuſtratur. 1. Ab authore Deo forti Jehova. v. 1. in principio. 2. A modo inſtituendi, qui duplex eſt: unus communis. v. 1. in fine: & alter proprius Eccleſiæ. v. 2. qui Eccleſiæ ipſius teſtimonio & voto arguitur v. 3. in principio; & declaratur ſuis adjunctis, antecedente igne, comitante procella. v. 3. in fine; conſequente voce efficaciſſima. v. 4, & 5. ex quibus omnibus majeſtas inſtitutoris apparebat. v. 6.

Explicatur hæc inſtitutio. 1. generaliter & poſtea ſpecialiter. Generaliter 1. A ſua materia, quæ eſt audientia vel obedientia. v. 7. in principio. 2. A ſua forma, quæ eſt conteſtatio efficaciſſima, ibidem in medio. 3. A cauſa efficiente impellente, ibidem in fine. Specialis inſtitutio complectitur officium quod à Deo requiritur. v. 8. ad 16. & perſonas à quibus debet præſtari, inde ad v. 22. una cum applicatione. v. 22, & 23.

Officium quod exigitur, explicatur per comparationem minoris & majoris. minus quod comparative rejicitur & improbatur, eſt cultus cæremonialis & externus, verſ. 8, & 9. cujus neceſſitas improbatur ex dominio, omnipotentia, & cæleſti perfectione Dei. v. 10, 11, 12, 13.

Majus officium, quod comparative ſolum exigitur, eſt cultus moralis & ſpiritualis, qui ſynecdochice declaratur per orationis partes, gratiarum actionem & petitionem. v. 14. 15. & promiſſione fœlicis eventus illuſtratur v. 15. in fine. Perſonæ à quibus hoc officium præſtari debet negative deſcribuntur, pii & probi, dum improbi omnes amoventur. v. 16, 17. quorum improbitas per inductionem declaratur, ab interno affectu, externis factis ac verbis, v. 18, 19, 20. una cum adjuncta obduratione cordis, & conſcientiæ evictione. v. 21.

Applicatio hujus inſtitutionis ad improbos fit cum interminatione graviſſima. v. 22. & pios, cum promiſſione & conſolatione ſumma. v. 23.

## DOCUMENTA.

I. Verbum Dei cum ſingulari attentione & reverentia debet audiri, quia eſt verbum Dei. ex v. 1. *Deus Iehova eloquitur.* 1 Theſſ. 2. 13.

*Ratio* 1. Quia verbum Dei eſt ver-

verbum Domini dominantium, & Regis Regum, quod sine timore & tremore non potest rite audiri. Amo. 3. 8. Jud. 3. 20. 2. Quia vox, voluntas, & testamentum est patris nostri. Genes. 49. 2. 3. Quia ex isto verbo solo pendet vita nostra æterna. Deut. 32. 47. Joh. 6. 68.

*Usus Directionis*, ut ista consideratione in verbo Dei audiendo, excutiamus nobismetipsis omnem dispositionem perversam, & obedientiæ veræ adversam. Jer. 13. 15.

II. Deus omnes mortales hactenus instituit, ut scire possint Deum esse cum omni observantia honorandum, ex v. 1. in fine.

*Ratio* 1. Quia opera ipsa creationis hoc docent. Rom 1. 19, 20, 21. Acto. 17. 27. 2. Quia hoc inscriptum est aliquo modo in cordibus omnium. Rom. 2. 15. 3. Quia Deus etiam extraordinariis suis operibus, eodem solet omne genus hominum invitare.

*Usus Admonitionis*, ne excusationem aliquam nobis ex ignorantia putemus relinqui, si Deum honorare negligamus, quum gentes maxime barbaræ inexcusabiles fiant. Rom. 1. 20.

III. Præcellens lux institutionis hujus est in Ecclesia. v. 2.

*Ratio* 1. Quia altera illa per se non sufficit ad salutem. 2. Quia Deus Ecclesiæ lucem Verbi dedit. Psalm. 119. 105. & 147. 19, 20. 3. Quia in Ecclesia non solum institutio ipsa, sed etiam fructus ejus percipitur in solida consolatione. Psalm. 65. 5.

*Usus Exhortationis*, ut qui in Ecclesia sumus, vivamus ut filii hujus lucis.

IV. Ecclesia suis votis promovet & auctam cupit illam communionem divinæ lucis quam habet. ex v. 3. in principio. Psalm. 132. 8. Rev. 22. 20.

*Ratio* 1. Quia magnam ex illa consolationem percipit, & majorem exspectat. 2. Quia Dei gloria (quæ piis est charissima) promovetur simul cum ista communione. 3. Quia pia vota fidelium sunt media à Deo ordinata ad istam communionem promovendam & perficiendam.

*Usus Exhortationis*, ut excitemus nosmetipsos ad istiusmodi preces.

V. Tremenda illa Dei præsentia, quæ impiis est horribilis, piis est optabilis. ex v. 3. in fine. Deut. 4. 24. Heb. 12. 29.

*Ratio* 1. Quia pii cum Deum apprehendunt ut Deum suum, illa etiam quæ in Deo sunt maxime terrifica, quamvis contra impios faciant, pro se tamen stare norunt. 2. Quia timor ille & tremor qui incutitur piis ex tremenda Dei præsentia facit ad pietatem promovendam. 3. Quia terror ille qui incutitur impiis, facit ad Dei gloriam, & ipsorum humiliationem & conversionem.

*Usus Consolationis*, erga fideles adversus omnia terrifica Dei judicia quæ Deus in mundo exercet.

VI. Cælum & terra præsentia & voce Dei afficiuntur. ex v. 4.

*Ratio* 1. Quia omnes creaturæ pendent ex nutu Dei. 2. Quia testes adhibentur majestatis illius divinæ, cui omnis reverentia debetur. Deut. 31. 28. & 32. 1. Jes. 1. 2. 3. Quia sunt administri præmiorum & pœnarum variarum, quæ

Deus inter homines diſpenſat. Levit.26.19.

*Vſus Admonitionis*, ne corda noſtra obduremus in voce Dei audienda.

VII. Fœdus à nobis cum Deo initum ſingularem obedientiæ curam debet nobis adferre, ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia ſingulare implicat beneficium Dei, qui voluit nos pro ſuis fœderatis præ aliis habere. 2. Quia ſingularem obligationem in ſe continet ex fœderis natura. 3. Quia ſingularem offenſam & reatum infert ſi contemnatur.

*Vſus Admonitionis*, ne unquam fœderis noſtri cum Deo initi obliviſcamur.

VIII. Cæremoniæ externæ per ſe non placent Deo. ex v.8,9,&c.

*Ratio* 1. Quia cæremonias nudas, quatenus ſunt tales, Deus nunquam præcepit, ſed tanquam appendices cultus realis. Jerem. 7. 22. Jeſ.1.12. 2. Quia nullum uſum bonum habent, neque reſpectu Dei, cui nullam vel gloriam vel utilitatem adferunt; neque reſpectu hominum, quibus nulla ratione proſunt. in textu. & Mic.5. 3. Quia cæremoniæ nudæ ſunt totidem hypocriſeos profeſſiones, quum enim inſtitutæ ſint, ut eſſent proteſtationes fidei & obſervantiæ, ſi à fide & obſervantia vera ſeparentur, neceſſe eſt ut ſint coram Deo ſimulatæ religionis notæ. Jeſ.29.13. Hoc autem nomine abominationi ſiunt coram Deo. Jeſ.1.11. ubi decem variis phraſibus, emphaſis cauſa, hoc idem ſignificatur: *Quorſum mihi? ſatur ſum. non delector. quis quæſivit? ne pergitote. abominationi eſt mihi. non poſſum ferre. odit anima mea. ſunt mihi laborioſa. defeſſus ſum ferendo.*

*Vſus Admonitionis*, ne fiduciam noſtram collocemus in externis obſervantiis, qualeſcunque demum fuerint; ne quidem in Baptiſmo, Cœna Dominica & ſimilibus Dei inſtitutis.

IX. Gratitudo ſyncera & humilis maxime Deo placet. v.14.

*Ratio* 1. Quia tribuit Deo laudem bonitatis ipſius. Pſalm. 118.1. & etiam celſitudinis. in textu. 2. Quia hoc maximum eſt, quod Deo tribuere poſſumus pro omnibus ejus beneficiis. Pſal.116.12,14. 3. Quia gratitudo iſta ſecum trahit omnem obedientiam. *omnia vota*, ſicut eſt in textu; & nos totos. Rom. 12. 1.

*Vſus Exhortationis*, ut huic officio magis magiſque ſtudeamus.

X. Invocatio etiam Dei in tempore anguſtiæ, ſi cum gratitudine conjungatur, ſummopere ipſi placet. v.15.

*Ratio* 1. Quia fidem & fiduciam arguit in Deo collocatam. Rom. 10.14. 2. Quia Deo tribuit laudem omnis potentiæ & miſericordiæ. Rom. 10.12. 3. Quia continet in ſeſe votum Dei glorificandi. in textu.

*Vſus Exhortationis*, ad preces, quia illæ ipſæ preces quas neceſſitas nobis extorquet, à Deo acceptantur, ut cultus gratiſſimus.

XI. Ingratum eſt Deo, ut homo improbus de verbo ipſius loquatur. verſ. 16. Levit. 21. 18, 23.

*Ratio* 1. Quia Deus non tradidit verbum ſuum, niſi populo ſuo; idque ut in cor ipſum & vitam, vel converſationem imprimis recipiant, non ut ſermone ſolo uſurpetur.

petur. Rom. 2. 21. 2. Quia verbum Dei sanctum est, & à sanctis solis debet prædicari. Jes. 52. 11. 3. Quia verbum purum ab impuro ore prolatum, dedecore, & infamia afficitur. 1 Sam. 2. 17. 4. Quia Dei nomen propter istiusmodi verbi præcones ab impiis blasphematur. Rom. 2. 23, 24. 5. Quia dum improbi homines verbum Dei enarrant, improbitas verbo Dei videtur confirmari: quoniam consensio quædam apparet semper inter loquentem & ejus eloquium, tanquam inter causam & effectum, subjectum & adjunctum. 2 Sam. 18. 27. 6. Quia realis impietas efficacior est ad destruendum, quam verbalis pietas ad ædificandum. Quid verba audiã cum facta videam? Mat. 23. 3. 7. Quia hypocritica verbi tractatio hypocrisim gignit maxime abominandam. Matth. 23. 15.

*Usus Admonitionis*, ne unquam verbum Dei attingamus sine pio cordis affectu.

XII. Odium institutionis, correctionis, & emendationis vitæ est nota certissima hominis improbi. v. 17. Prov. 9. 8. & 12. 1. & 13. 1. & 15. 12.

*Ratio* 1. Quia talis homo alienus est à medio, & via, quæ ducit ad pietatem, atque adeo longe remotus est ab ipsa pietate. 2. Quia odium correctionis idem est cum odio resipiscentiæ, atque adeo est impœnitentia confirmata, vel obduratio cordis. 3. Quia odium correctionis habet in sese contemptum verbi divini, quod est inter maxima peccata. 4. Quia contemptus iste verbi viam facit, & secum introducit totius legis violationem, & omnium scelerum perpetrationem.

*Usus Admonitionis*, ut supra omnia alia peccata, caveamus nobis ab isthoc odio correctionis.

XIII. Approbatio peccati in aliis est etiam nota hominis improbi. v. 18. Rom. 1. 32.

*Ratio* 1. Quia voluntatis ad malum inclinatio mala in isto consensu manifeste apparet. Approbatio enim peccati à voluntatis malitia magis, quam à judicii errore procedere solet. 2. Quia voluntatis hæc inclinatio ad peccatum magis peccans apparet sæpe in alienis peccatis approbandis, quam in propriis patrandis. In nostris enim tentatio, & perturbatio transversos nos rapit: sed in alienis magis integrum habemus judicium, & liberam voluntatem. 3. Quia approbatio peccati ab alio admissi, non solum reatum ejus nostrum facit, sed & impœnitentiam addit in approbante, quamvis ille qui peccavit serio resipuerit.

*Usus Admonitionis*, ne communionem ullam habeamus cum infrugiferis operibus tenebrarum, sed potius arguamus. Eph. 5. 11.

XIV. Lingua maledica est alia nota improbitatis. v. 19, 20.

*Ratio* 1. Quia nota est illius, qui deditus est maledictioni, & hæres maledictionis, non benedictionis. 1 Pet. 3. 9. 2. Quia fratri maledicens, maledicit legi Dei, præsertim si vituperat illud, quod à lege probatur. Jacob. 4. 11. 3. Quia maledicentia violat etiam societatem omnem civilem & naturalem. v. 20.

*Usus Admonitionis*, ne leviusculum

putemus

putemus in iſto genere peccare, vel iis nos admiſceamus, qui maledicentiæ indulgent. Prov. 20. 9.

XV. Deus aliquando ad tempus, iſtiuſmodi peccata relinquit impunita. v. 21. *agebam ſurdum*, vel *ſilebam*.

*Ratio* 1. Quia vult tolerantiam & longanimitatem ſuam declarare. 2 Pet. 3. 9. 2. Quia hac ratione invitat homines ad reſipiſcentiam. Rom. 2. 4. 3. Quia ſic etiam viam facit ad ſua judicia perficienda. Rom. 9. 22.

*Vſus Directionis*, ne nos præfeſtinemus in judiciis Dei adverſus impios expoſcendis.

XVI. Summus gradus improbitatis eſt tolerantia iſta Dei abuti ad obdurationem cordis in peccato. v. 21. *Cogitas me prorſus eſſe ſimilem tui.*

*Ratio* 1. Quia hoc eſt omnia peccata impœnitentia continuare, & obſignare. Eccl. 8. 10. 2. Quia hac ratione medicamentum ipſum, quod Deus animis noſtris exhibet adverſus peccatum, convertitur in alimentum peccati, & animarum venenum. Rom. 2. 4, 5. 3. Quia hoc eſt contemnere Dei bonitatem. ib. Jeſ. 5. 19. Jer. 17. 15. 4. Quia hoc eſt abſurdis imaginationibus Deum ipſum (cum magna ejus contumelia) participem & approbatorem facere peccati, in textu. *ſimilem tui.*

*Vſus Admonitionis*, ne peccatum ullum minoris faciamus, quia pœnas ejus nondum ſentimus.

XVII. Tales peccatores cum ſummo horrore peccata ſua agnoſcere cogentur. v. 21. *Arguam te, & peccata tua ordine proponam ante oculos tuos.*

*Ratio* 1. Quia liber conſcientiæ certiſſime tandem in ſingulis aperietur. Revel. 20. 12. 2. Quia conſcientia iſta ſero cum deſperatione accuſans, intolerabilem adfert cruciatum, & horrorem, tanquam vermis in æternum rodens cor. Revel. 6. 16. Mar. 9. 44. 3. Quia Deus ſic ex ira conſcientiis talium peccatorum proponit ipſorum peccata, ut ſimul ſibimet eadem proponat vindicanda. Pſal. 90. 8. & 109. 15.

*Vſus Admonitionis*, ne in præſentia locum demus harum rerum neglectui & oblivioni, ſed cum timore, & tremore iſta præcipue meditemur. v. 22. *Animadvertite jam hoc obliviosi Dei.*

XVIII. Vnica eſt ratio hujus miſeriæ vitandæ, ſi ex fide vera pie & juſte vivamus. v. 23.

*Ratio* 1. Quia hac ſola ratione tollitur è medio peccatum, quod eſt miſeriæ hujus cauſa. Hoc pertinet ad conſcientiæ levamen. 2. Quia Deus honoratur iſta vivendi ratione, atque nobis faveat neceſſe eſt. in textu. 3. Quia hæc vivendi ratio promiſſiones habet omnino ſalutis, in textu.

*Vſus Exhortationis*, ut pietati eo animo ſtudeamus, quo miſeriam declinare, & ſalutem conſequi deſideramus.

# PROLEGOMENON IN PSALMUM QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

IN titulo hujus Psalmi non author tantum, & tempus quo fuit compositus, sed & causa compositionis indicatur. Conscientia scil. Davidem accusans maximi reatus. Hujus autem conscientiæ causa principalis fuit peccatum gravissimum adulterii cum Uriæ uxore admissi. Causa excitans & impellens fuit peccati illius, & reatus inde contracti accusatoria declaratio per Nathanem Prophetam facta. v. 1. & 2. In istis causis continetur status Davidis, in quem pervenerat peccando. Ex hoc autem statu pendet intelligentia Psalmi. Quia vero suavis Psalmorum concentus spinosis controversiis non est temere perturbandus; quæ hoc in loco expectat forsan lector, de statu Davidis, & quid inde concludi possit pro Apostasia Sanctorum, quærat in Animadversionibus nostris ad Synodalia Remonstrantium. Artic. 5. capite sexto.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

*MAgistro symphonia, Psalmus, Davidis:*

2. *Quum venisset ad eum Nathan Propheta, postquam congressus fuisset cum Bath-Schebaha.*

3. *Gratiam fac mihi, ô Deus secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas.*

4. *Multum ablue me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:*

5. *Nam defectiones meas ego agnosco, & peccatum meum obversatur mihi jugiter.*

6. *Tibi, tibi soli peccaveram, & quod malum* videtur *in oculis tuis feceram;* agnosco, *ut justificeris in sermonibus tuis, purus sis quando tu judicas.*

7. *En, in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea.*

8. *En, veritate delectaris in præcordiis: & in occulto sapientiam notam feceras mibi.*

9. *Expiato me hyssopo, ut mundus sim; abluito me, ut præ nive albescam.*

10. *Facito ut audiam gaudium & lætitiam, exsultent ossa, quæ contriveras.*

11. *Absconde iratam faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*

12. *Animum mundum crea mihi, Deus, & spiritum firmum renova intra me.*

13. *Ne abjicias me à facie tua, Spiritum ſanctum tuum ne recipias à me.*

14. *Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & ſpiritu ingenuitatis ſuſtentato me.*

15. *Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad te convertantur.*

16. *Libera me à ſanguine, ô Deus, Deus ſalutis meæ: cantet lingua mea juſtitiam tuam.*

17. *Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam.*

18. *Nam non delectaris ſacrificio; ut dem: holocauſtum non vis.*

19. *Sacrificia Dei* ſunt *ſpiritus fractus; animum fractum & contritum, ô Deus, non ſpernis.*

20. *Benefac pro bona voluntate tua Tzijoni, ædifica muros Jeruſchalaimorum.*

21. *Tunc delectaberis ſacrificiis juſtitiæ; holocauſto, & prorſus conſumendo: tunc* pii *offerent juvencos ſuper altare tuum.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in hoc Pſalmo eſt petere abolitionem peccati graviſſimi quod admiſerat, id eſt, malorum eorum omnium (quantum fieri potuit) amotionem, quæ ex peccato ipſius conſequebantur. Iſta vero mala quia & perſonam ipſius reſpiciebant, & populum Iſraeliticum, cum quo ita fuit conjunctus, ut bona & mala omnia majora habuerit cum ipſo aliquomodo communia; idcirco primo pro ſeipſo petit ad v. 20. & poſtea pro populo toto. In ſemetipſo quia duo mala præcipua ſenſit, reatum ſcilicet & deſertionem ſpiritualem, idcirco primo in loco petit amolitionem reatus, vel peccati remiſſionem, uſque ad v. 12. & poſtea reſtitutionem ſpiritus, ac renovationem cordis, à v. 12, ad 15. Petitio prima de remiſſione, quæ eſt cæterarum fundamentum (ſicut in abundantia, cordis affectu vehementi ardentis, fieri ſolet) etiam atque etiam urgetur, inculcatur, & illuſtratur. Proponitur igitur primo v. 3, & 4. & ſimpliciter in petitione gratiæ & figuratè ſub metaphoris, *delendi, multum abluendi & mundandi.* ubi ſimul etiam fundamentum & propria ac principalis cauſa remiſſionis, ac petitionis ejus indicatur, gratia ſcilicet, benignitas, & amplæ miſerationes Dei. Secundo urgetur eadem petitio argumento, quod petitur à cauſa adminiſtrante, pia ſcilicet & humili confeſſione non tantum peccatorum actualium manifeſtorum, quam occultorum. v. 5, & 6. ſed etiam fontis eorum vel peccati innati, & originalis. v. 7. quæ amplificantur etiam per oppoſitam notitiam voluntatis Dei, quam ſatis habuit perceptam. v. 8. Hæc etiam confeſſio finis notatione illuſtratur. v. 6. in fine: gloria ſcilicet Dei & judiciorum ejus. Proponitur eadem petitio ſecundo. v. 9, 10, & 11. & illuſtratur quoad cauſam, ſigno cæremonialis aſperſionis. v.

9. quoad effectum tam per niveam puritatem à reatu, quam per commutationem acerrimi doloris, in maximum gaudium. v. 10. & quoad modum, per aversionem iratæ faciei. v. 11.

Secunda petitio de communicatione spiritus renovanda, varie inculcatur & illustratur. v. 12, 13, 14. tam quoad rem communicandam, quæ à suis qualitatibus vocatur *animus mundus, spiritus firmus, spiritus sanctus, & spiritus ingenuitatis*; quam quoad modum communicandi, quæ à sua efficacia, dicitur *creatio, renovatio, sustentatio*, opposita *abjectioni à facie Dei & spiritus ablationi*; atque etiam quoad effectum consequens, gaudium scilicet in salute Dei. Duæ istæ petitiones simul urgentur ab effectis, quæ sunt ædificatio Ecclesiæ. v. 15. & Dei laudatio. v. 16, 17. quæ illustratur antithesi vulgarium sacrificiorum, v. 18, 19.

Tertia petitio urgetur & illustratur ab effecto inde consecuturo, cultu scil. Deo grato. v. ult.

## DOCUMENTA.

I. Fideles ipsi Deo gratissimi, & à peccato maxime alieni, aliquando inducuntur in gravissima peccata. ex v. 1, & 2. *David congressus cum Bathschebaha.*

*Ratio* 1. Quia sunt imperfecte tantum in ista vita regeniti, & habent in sese carnem adversus spiritum perpetuo concupiscentem ac luctantem. Gal. 5. 17.

2. Quia perpetuo incedunt inter laqueos mundi, cupiditatem scil. carnis, libidinem oculorum, & fastum vitæ. 1 Joh. 2. 16. à quibus conservari beneficium est plane divinum, & singulare. 1 Joh. 17. 15.

3. Quia Satanas tales præ cæteris appetit suis tentationibus ventilare, tanquam triticum. Luc. 22. 31.

4. Quia Deus hoc aliquando permittit, & ordinat in gloriam suam, & bonum ipsorum. Sic Petrum plusculum de semetipso præsumentem, ut ad infirmitatis suæ notitiam veniret, permisit Deus ut abnegaret Dominum ex metu mortis. Joh. 13. 37, 38. Sic etiam Davidem jam negligentiorem factum permisit in horrendum istud peccatum incidere, ut postea diligentius seipsum observaret; peccatum suum exemplo aliorum defleret; egregium humilitatis, resipiscentiæque specimen & exemplar præstaret; & gloriosius ex peccato resurgeret.

*Usus Admonitionis*, erga illos, qui stant, ut videant ne cadant. 1 Cor. 10. 12. id est, ut vigilent, & orent, ne introeant in tentationem. Matth. 26. 41.

II. Ad conscientiam prolapsorum peccati sensu rite afficiendam in omni genere hominum necessarium est verbi Dei ministerium. ex v. 2. *Quum venisset ad eum Nathan Propheta.*

*Ratio* 1. Quia hoc est medium à Deo institutum, ad fidem ac resipiscentiam ingenerandam, alendam, fovendam, & renovandam.

2. Quia propria causa peccati est verbi neglectus aut contemptus, qui recto usu verbi renovatur.

3. Quia animus peccato occupatus, neque peccati sui naturam, neque viam inde exsurgendi ex sese efficaciter percipere potest, sed excitari & dirigi debet per applicationem regulæ, quod non alia ratione fit ex ordine, quam per

per miniſterium verbi divini.

*Vſus* 1. *Exhortationis*, erga miniſtros verbi, ut diligenter & fideliter agant cum omni genere peccatorum, ad reſipiſcentiam eorum procurandam, ſicut Nathan egit cum ipſo Davide, qui Rex & Propheta fuit excellens. 2. *Redargutionis*, adverſus multorum arrogantiam, qui miniſterium verbi rejiciunt tanquam ſibi minime neceſſarium: quum fuit neceſſarium Davidi.

III. Conſcientia rite peccato affecta, inſtanter quærit conſolationem, quamvis noverit omnia certo ſibi promiſſa. ex v. 2, & 3. cum 2 Sam 12. 13.

*Ratio* 1. Quia iſtiuſmodi oratio eſt medium, quod intercedere debet inter promiſſionis exhibitionem & ejus complementum, ad effectum promiſſum perficiendum. 2. Quia poſſeſſio & ſenſus rei promiſſæ hac ratione acquiritur gradatim. 3. Quia officii noſtri ratio, & gloria Dei poſtulat à peccatoribus iſtam ſubmiſſionem.

*Vſus* 1. *Refutationis*, adverſus eos, qui certitudinem gratiæ continuandæ matrem eſſe volunt carnalis ſecuritatis. 2. *Exhortationis*, ut pro ratione peccatorum, conſcientiam & curam habeamus iſtiuſmodi exercitiorum pœnitentiæ, ſine quibus nulla gratia poteſt vigere.

IV. Fundamentum omnis conſolationis adverſus reatum peccati, eſt ampliſſima gratia, benignitas, & miſericordia Dei. ex v. 3. Tria iſta quamvis reipſa unam & eandem Dei bonitatem deſignent, ratione tamen illa differunt, quæ bonitatem illam ſummopere illuſtrat, Gratia enim excludit omne meritum, & bonitatem notat omni ex parte gratuitam. Benignitas propenſitatem inſuper Dei declarat, ad illam gratiam abundanter communicandam. Miſericordia vero cõmunicationem illam extendit ad miſeros peccatores: & amplitudo miſericordiæ admittit etiam graviſſimos & miſerrimos peccatorum.

*Ratio* 1. Quia Fundamenta nulla conſolationis poſſunt in peccatoribus ipſis, vel in juſtitia Dei reperiri. Ex iſtorum enim conſideratione, horrenda ſequitur exſpectatio judicii ſeveri. 2. Quia Condonatio offenſæ pendet proprie ex gratia, benignitate, & miſeratione partis offenſæ. 3. Quia hac ſola ratione fit, ut conſolationis & ſalutis noſtræ gloria Deo in ſolidum redundet.

*Vſus* 1. *Refutationis*, adverſus doctrinam Pontificiorum, de ſatisfactione pro peccatis, ab hominibus Deo præſtanda. 2. *Directionis*, ut in conſolatione quærenda, in gratia, benignitate & miſericordia Dei oculos mentis noſtræ figamus, ex illa ſola toto corde pendeamus.

V. Gratia, benignitas, & miſericordia Dei tam ampla eſt, ut peccati debitum penitus tollat ab iis, qui eidem cum reſipiſcentia innituntur. ex verſ. 3. *dele defectiones meas*. Peccata enim, ex tenore legis, ſunt quaſi totidem nomina aut debita, coram Deo, quaſi in libro adſcripta, ut pœna juſta iis rependatur. Jeſ. 65. 6, 7. Jer. 17. 1. Sed per gratiam, benignitatem, & miſericordiam Dei, iſta nomina expunguntur, ita ut quoad vindictam non aliter ſe habeant, quam ſi nunquam fuiſſent admiſſa.

Jes. 38. 17. Jer. 31. 34. & 50. 20. Mich. 7. 18, 19.

*Ratio* 1. Quia gratia Dei erga resipiscentes, est gloriosa, dives, supereminentes habens opes, ut superabundet abundanti peccato. Ephes. 1. 6. & 2. 4, 7. Rom. 5. 20. 2. Quia resipiscentium cum Deo reconciliatio, & consolatio inde petenda, plenam abolitionem peccati requirit. Psal. 130. 3. 3. Quia Christus non ex parte, sed plenissime remissionem peccatorum nobis impetravit. Heb. 10. 14.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus doctrinam illam Papisticam, quæ partialem remissionem docet: culpæ scilicet, sed non omnis pœnæ. 2. *Consolationis*, erga omnes vere pœnitentes, & ad gratiam Dei toto corde confugientes.

VI. Magna & multiplici opus est applicatione misericordiæ Dei, ad abolitionem talis, quale fuit Davidis. ex v. 4. *multum ablue me, &c.* Joh. 13. 8, 9, 10.

*Ratio* 1. Quia summa est turpitudo talis peccati, qualis est lepræ. Levit. 14. 7. &c. Matth. 15. 11. Vocari solet *macula, corruptio, inquinatio, deformitas, nuditas, impuritas, & labes.* Ex illa sequitur tam aversatio, abominatio, & detestatio peccatoris coram Deo. Jes. 1. 15. Prov. 3. 32. quam pudor & confusio ejus in semetipso. Gen. 3. 7. Rom. 6. 21. 2 Quia multiplex ablutio & ejusdem continuatio requiritur ad plenam abolitionem peccati. 1. In justificatione, quoad reatum. 2. In sanctificatione, quoad maculam. Et 3. In glorificatione, quoad pœnam. 3. Quia necessarium nobis est propter fidei nostræ multiplicem imbecillitatem, & imperfectionem, ut istam liberationem à peccato multoties, multis modis habeamus nobis confirmatam. 4. Quia per gradus varios quædam istorum comparantur. Joh. 13. 8, 9, 10. 5. Quia animus Deo deditus nunquam sic acquiescit in gradu imperfecto, ut non ad summum anhelet.

*Usus* 1. *Redargutionis*, adversus securitatem peccatorum illorum, qui peccatum, & ejus abolitionem, parum aut nihil curant. 2. *Directionis*, ut maxima nostra cura perpetuo versetur circa abolitionem nostrorum peccatorum.

VII. Confessio syncera peccatorum est medium necessarium & efficax ad eorum remissionem obtinendam. ex v. 5. *Nam defectiones meas ego agnosco.*

Ad confessionem autem hujusmodi requiritur. 1. Cognitio peccatorum quantum fieri potest distincta, ex intuitu & comparatione legis Dei. 2. Agnitio eorum ingenua, quoad reatum, turpitudinem, & omnimodam damnationis dignitatem, quam habent in sese. 3. Affectus huic agnitioni congruentes, id est, pudor, dolor, aversatio, & odium. 4. Humiliatio, quia peccator semetipsum submittit judicio & arbitrio Dei, misericordiam ejus toto corde implorans.

*Ratio* 1. Quia nemo est rite capax hujus misericordiæ, & sensus ejus, nisi convictus, & confessus. 2. Quia peccatum debet necessario judicari, & condemnari, vel à nobis, vel à Deo. 1 Cor. 11. 31, 32. 3. Quia per confessionem istam, peccata facta, infecta, quantum in nobis est, redduntur, & à nobis remota.

mota. 4. Quia Deo hac ratione exhibetur occaſio, & materia miſericordiæ ſuæ plurimum glorificandæ. 5. Quia hæc eſt conditio, cui Deus remiſſionem promiſit. Prov. 28. 13. 1 Joh. 1. 9. 6. Quia in iſta confeſſione virtualiter continetur emendatio vitæ, & gratitudo erga Deum, qui ſunt proprii fructus remiſſionis. Prov. 28. 13. Pſalm. 103. verſ. 1, 2, 3. 7. Quia iſta confeſſio peccati habet in ſeſe votum Dei laudes confitendi, ac profitendi apud alios, ad nomen ejus glorificandum. 1 Tim. 1. 15, 16.

*Vſus Directionis*, ut veræ ac ſynceræ confeſſioni peccatorum eodem ſtudio incumbamus, quo remiſſionem eorum deſideramus.

VIII. Qui peccata ſua ingenue & rite confitetur, eadem habet jugitur ſibi obverſantia. ex v. 5. *Peccatum meum obverſatur mihi jugiter.*

*Ratio* 1. Quia illa quibus maxime afficimur, maxime hærent in memoria noſtra, ſecundum illud vulgare: *faciam ut hujus diei ſemper memineris.* ſed qui reſipiſcit, maxime afficitur ſuis peccatis. 2. Quia conſcientia reſipiſcentis perpetuo quærit reconciliationem & pacem cum Deo, atque adeo ſolicita ſemper eſt de peccato, quod eſt unicum pacis impedimentum. Pſalm. 38. 3. 3. Quia etiam poſt reconciliationem & pacem impetratam, utilis & neceſſaria eſt perpetua memoria peccatorum. 1. Ad humiliationem. Deut. 9. 6, 7. 2. Ad gratitudinem erga Deum. 1 Tim. 1. 12, 13. 3. Ad cautelam in ſimilibus peccatis vitandis. 1 Cor. 6. 11. 4. Ad lenitatem erga ſimiles peccatores conſervandam. Tit. 3. verſ. 3.

*Vſus Redargutionis*, adverſus eos qui tam facile deponunt memoriam ſuorum peccatorum, & ſibimet ipſis placent in conſcientia inſenſata.

IX. Ad ſynceram confeſſionem requiritur, ut illa peccata imprimis agnoſcantur, quæ Deum ſolum offendunt. ex v. 6. *tibi ſoli peccaveram.* Hæc verba ſic ab interpretibus accipiuntur, quaſi declararent, vel Deum ſolum conſcium fuiſſe peccati Davidis in negotio Uriæ; vel Deum ſolum potuiſſe eum punire; vel Deum ſolum potuiſſe condonare; vel denique offenſam Dei in peccato Davidis ita ſuperaſſe omnem injuſtitiam erga homines, tam in ſeſe, quam in conſcientia Davidis, ut illa ſola fuerit commemoranda. Sed duæ priores interpretationes ſunt falſæ: & poſteriores duæ nec poſſunt ex verbis Davidis elici abſque coactione, nec ſenſum eorum exhaurire videntur. Mens igitur Davidis illa fuiſſe videtur in iſtis verbis, ut confiteretur negligentiam, ſecuritatem, & præſumptionem illam, qua Deum ita provocaverat, ut permitteret eum in adulterii & homicidii tentationes induci. 2 Sam. 12. 9.

*Ratio* 1. Quia iſta confeſſio provenit ex conſcientia peccati quæ directe reſpicit Deum ſolum, atque adeo directe maxime tendit ac diſponit ad reconciliationem cum Deo. 2. Quia in iſtis peccatis fons eſt & origo cæterorum omnium peccatorum. 1. Realiter, quatenus removent impedimenta peccatorum, & januam ipſis aperiunt. 2. Meritorie, quatenus

Deum deserendo movemus ipsum ad nos deserendos, & inducendos in tentationem. Utraque idcirco ratione istorum peccatorum confessio syncera continet in sese intimam aliorum omnium peccatorum confessionem. 3. Quia istiusmodi confessio maxime facit ad peccatorum in futurum evitationem, dum causis & radicibus eorum directe sese opponit.

*Usus Directionis*, ut in vita nostra ordinanda, & conscientia excutienda, singularem rationem habeamus eorum peccatorum quæ homines latent, & nota sunt Deo soli.

X. Ista confessio, si sit syncera, tales est ut Dei qualiacunque judicia immunia faciat ab omni specie iniquitatis, ex v. 6. in fine *Ut justificeris in sermonibus tuis, purus sisquando tu judicas.*

*Ratio* 1. Quia causam justam in peccatis admissis agnoscit, non tantum judiciorum eorum quæ à Deo adversus ipsa exercentur, sed & graviorum. Psalm. 119.75,137. Neh. 9.33. Dan. 9.7. Lam. 3.22. 2. Quia continet in sese humilem submissionem robustæ Dei manui. 1 Pet. 5.6. 1 Sam. 3.18. Jes. 39.8. 2 Sam. 15.26. 3. Quia hac ratione gloriam omnem tribuit Deo tam justitiæ, si velit punire, quam misericordiæ, si velit condonare. Jos. 7.19.

*Usus Directionis*, ut ad istam regulam confessiones nostras exigamus.

XI. Ad humiliationem nostram juvat, in confessione nostra descendere usque ad nativam & originalem nostram corruptionem. ex v. 7. Rom. 7.14.

*Ratio* 1. Quia quo planior est & magis penetrans nostra confessio, eo perfectior & efficacior evadit resipiscentia nostra. 2. Quia nativa ista corruptio est causa omnium actualium peccatorum: effectum autem accurate non cognoscitur nisi in suis causis: sine hujus igitur corruptionis confessione non possumus cognoscere, nedum rite agnoscere peccata nostra actualia. 3. Quia corruptionis hujus confessio maxime facit ad nostrûm ipsorum abnegationem, ad gratiæ divinæ implorationem, ad veteris hominis mortificationem, ad vigilantiorem observationem cordium nostrorum, atque adeo ad peccatorum in futurum devitationem.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversos illos qui vel plane pernegant, vel saltem quantum possunt minuunt nativam istam corruptionem. 2. *Redargutionis*, adversus illos qui cætera sua peccata inde solent extenuare, unde David suum peccatum singulariter amplificavit, id est, à nativa sua pronitate ad peccandum. 3. *Directionis*, 1. Ut exerceamus nosmetipsos ad profundam istam humiliationem quæ oritur ex ingenitæ corruptionis nostræ efficaci apprehensione. 2. Ne satis habeamus externos quasi ramos actualium peccatorum amputare, sed radicis ipsius extirpationem in regeneratione vera quæramus.

XII. Juvat etiam plurimum ad corda nostra humilianda, adscendere in confessione nostra ad sanctissimam Dei naturam ac voluntatem. ex vers. 8. in principio.

*Ratio* 1. Quia ex comparatione naturæ Dei, & nostræ, statim liquebit, quantum absumus ab illa similitudine, & imagine Dei ad quam creati

creati fuimus, & jam denuo vocamur. 1 Pet. 1. 15, 16. 2 Quia rectiſſima Dei voluntas debet eſſe regula voluntatis noſtræ: ita ut odio proſequi debeamus illa quæ Deus odit. Apoc. 2. 6. & iis delectari quibus Deus delectatur. Hæc autem rectiſſima regula eſt optimus judex noſtræ obliquitatis, & hæc perfectio pravitati noſtræ oppoſita magis eam eluceſcere facit.

*Vſus Directionis*, ut hunc in modum exerceamus nos ad veram noſtri cognitionem comparandam ex vera Dei cognitione.

XIII. Grata & pretioſa valde in conſpectu Dei eſt integritas ac ſynceritas cordis. ex iiſdem verbis. Prov. 11. verſ. 20. Hujus autem ſynceritatis mentionem ſingularem facit David hoc in loco, quia jam in conſcientia ſua excutienda non potuit non fateri hypocriſin apud ſe plus nimio valuiſſe, tam ante peccatum adulterii commiſſum, quando ſoli Deo peccabat, quam poſtea in illo ſcelere ſceleribus aliis tegendo ut poſſet occultari.

*Ratio* 1. Quia ſynceritas tribuit Deo gloriam omnipræſentiæ, omniſcientiæ, & majeſtatis reverendæ. Hoc ſenſu illi qui ſyncere agunt proprie dicuntur *ambulare coram Deo*. Jeſ. 38. 3. 2. Quia hæc eſt perfectio imperfectæ illius obedientiæ quam in iſta vita præſtamus: quatenus eſt ex corde toto, atque adeo hominis totius.

*Vſus exhortationis*, ut huic ſynceritati ſyncere ſtudeamus.

XIV. Cognitio veritatis, ubi ſynceritas obedientiæ non reſpondet, gravius reddit peccatum. ex verſ. 8. in fine. Luc. 12. verſ. 47. Joh. 15. verſ. 22. Rom. 1. verſ. 21. Jac. 4. 17.

*Ratio* 1. Quia ille qui cognitionem habet majorem, magis particeps eſt legis in cujus tranſgreſſione peccatum conſiſtit. 2. Quia peccata eorum qui officium ſuum cognoſcunt, plus habent in ſe malitiæ & præſumptionis. 3. Quia talia peccata reſipiſcentiæ maxime opponuntur, & ſua natura ferunt ſecum obſtinatam duritiem cordis.

*Vſus admonitionis*, ut cum horrore caveamus nobis ab iſtis peccatis.

XV. Non ſemel tantum, & frigide, ſed etiam atque etiam ac inſtanter eorundem peccatorum remiſſio debet implorari. ex ver. 9. &c. ubi eadem petitio quæ antea fuit adhibita denuo repetitur, & inculcatur.

*Ratio* 1. Quia iſta petitio provenire debet ex abundantia affectuum cordis, quæ uno ſimplici ſermone non poteſt ſatis explicari. Dan. 9. 19. 2. Quia Deus differt ſæpe reſponſum, ad inſtantiam & importunitatem precum noſtrarum explorandam & excitandam. Mat. 15. 22. &c. Luc. 11. 8. & 18. 1. 3. Quia certitudo reſponſi accepti, & gratiæ factæ, hac ratione tam continuatur, quam augetur.

*Vſus Redargutionis*, adverſus ſegnitiem ac tepiditatem vulgarium noſtrarum precum.

XVI. Fiducia precum noſtrarum alenda & confirmanda eſt gratioſis Dei inſtitutis. Ibid. *expiato me hyſſopo: abluito me*. Horum enim rituum fit mentio à Davide, quia Deus illos inſtituerat ad remiſſionis gratiam fidelibus per applicationem ſanguinis

Chriſti

Christi adumbrandam, & obsignandam. Heb. 9. 13,14,19. & 10. 22.

*Ratio* 1. Quia signa hujusmodi externa sunt lucidissima specula in quibus illustrem Dei misericordiam possimus intueri. 2. Quia signa hujusmodi externa in illum finem sunt instituta, ut per illa sublevetur infirmitas fidei ac fiduciæ nostræ. 3. Quia usum suum habent non momentaneum pro tempore illo solo quo tractantur, sed perpetuum, tanquam argumenta gratiæ in animis nostris defixa.

*Usus directionis*, ut Sacramentis quotidie utamur tanquam fulcris ad infirmitatem nostram sustentandam.

XVII. Eo usque niti debemus fiducia, & precibus, ut perfectissimam ablutionem peccatorum nostrorum perfecte apprehendamus in Christo. ibidem, *præ nive albescam*. Eadem perfectio innuitur in ritibus illis aspergendi hyssopo, & aqua pura lavandi: qui adhibebantur ad complementum purgationis ab impuritate. Levit. 14.6,7,8,9.

*Ratio* 1. Quia Deus offert, & nos quærere debemus *validam consolationem*. Hebræ. 6.18. 2. Quia pertinet ad gloriam gratiæ Dei. Jes. 1. 18. 3. Quia independet gratitudinis nostræ perfectio. Psal. 103. 11,12. 4. Quia Christi oblatio, ubi rite applicatur, consummat. Heb. 10.14.

*Usus Exhortationis*, ut quotidie proficere studeamus in fiducia vera.

XVIII. Ex certa apprehensione remissionis peccatorum, & reconciliationis nostræ cum Deo solidum gaudium emanat. ex v. 10. ubi gaudium & lætitia proponuntur tanquam effecta propria desideratæ ablutionis.

*Ratio* 1. Quia in remissione peccatorum percipitur liberatio à maximo malo. Jes. 44. 22, 23. & maximi boni possessio aliquo modo acquiritur in reconciliatione nostra cum Deo. 1 Pet 1. vers. 8.

2. Quia tanta est consolatio, quæ ex istis rebus oritur, ut superet & absorbeat omnes tristitias, molestias & acerbitates hujus vitæ. Rom. 5.3. 3. Quia hoc gaudium est maxime intimum, in corde & ossibus locum suum habens, sicut est in textu: *ut exultent ossa*. 4. Quia gaudium istud est permanens. Joh. 16.22. non momentaneum, & sicut hillaris insania, qua impii homines afficiuntur. Eccles. 7. ver. 8.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus illos qui religionem vel studium pietatis gaudio & lætitiæ putant adversari. 2. *Directionis*, ut per fidem & resipiscentiã, pacem, gaudium, & lætitiã animis nostris quæramus.

XIX. Gaudium istud non percipitur à nobis, nisi Deus faciat ut illud quasi audiendo percipiamus. ibidem. *facito ut audiam*.

*Ratio* 1. Quia Deus solus declarat illa quæ spectant ad suum favorem, & sic ad nostrum gaudium independens. 2. Quia tametsi Deus in verbo suo loquatur nobis pacem & gaudium, à nobis tamen non percipitur, nisi efficaciter aperiat aures cordis nostri ad illud quod loquitur audiendum. Ephes. 1. 17, 18. Act. 16. 14. 3. Quia postquam gustavimus aliquo modo gaudium istud, necessarium est nobis, ut corda nostra à Deo dilatentur, & corroborentur ad solidam & plenam ejus fruitionem

Ephes.

Epheſ.3.16. Pſalm. 119.32.

*Vſus Directionis*, ut hæc a Deo aſſiduis precibus petamus.

XX. Gaudium iſtud eo magis primo expetitur, & poſtea percipitur, quo magis quis afficitur eo dolore qui ſecundum Deum eſt. ex verſ. 10. in fine. *exultent oſſa quæ contriveris.* His etenim verbis David oſtendit ſe conſcientia peccatorum ſuorum ita cruciatum fuiſſe intus in corde ſuo, ut ſenſerit quaſi contritionem oſſium ſuorum. Iſtius contritionis ut ratio habeatur in gaudii communicatione, inſtanter petit. Pſalm. 28. 4. ſimilis phraſis habetur.

*Ratio* 1. Quia appetitus tam ſpiritualis quam naturalis accenditur indigentiæ ſenſu, qui in Scripturis vocatur *famis* ac *ſitis*. Pſalm.42: 2. Quia talis ſemper eſt proportio inter motum & quietem, ut quo ille fuit intentior, & interior, eo magis intima reddatur iſta. Hoc eſt, quod innuitur in textu. *Oſſa quæ contrita fuerunt, exultent*. Sic Pſalm.73.26. *Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei, & portio mea Deus eſt in ſeculum.* 3. Quia Deus promiſit ſaturationem eſurientibus & ſitientibus ſecundum menſuram famis ac ſitis eorum. Luc.1.53. Joh. 7.37. Pſal.81. 11.

*Vſus* 1. *Directionis*, ut per ſeriam humiliationem de peccatis noſtris ad ſolidum gaudium tendamus. Pſalm. 126. 5. Matth. 5. 4.

2. *Conſolationis*, erga eos qui contriſtantur ad reſipiſcentiam. 2 Cor. 7.9.&c.

XXI. Gaudium iſtud tum demum acquiritur, quum irata Dei facies avertitur à nobis, & lux faciei ejus ſuper nos elevatur in Chriſto. ex verſ. 11. in principio. *Abſconde iratam faciem tuam à peccatis meis.* Additur enim hæc petitio hoc in loco tanquam medium optati gaudii conſequendi. Pſal. 85.5,6,7.

*Ratio* 1. Quia conſcientia dum iram Dei imminentem apprehendit, gaudium non admittit, ſed opprimitur horrore. Heb. 10.27 2. Quia gaudium ſpirituale proprie fluit ex conſcientia per aſperſionem vel applicationem ſanguinis Chriſti, à mortuis operibus emundata, & de favore Dei certiorata. Heb. 9. 14. & 10.22.

*Vſus* 1. *Conſolationis*, erga illos qui ſentiunt aliquando in conſcientiis ſuis iratam faciem Dei ſibi oppoſitam: non debent idcirco deſperare, quia poteſt irata illa facies poſtea removeri, & in lucem faciei converti. 2. *Directionis*, ut in certitudine conſcientiæ noſtræ de gratia & favore Dei ſolidum gaudium quæramus.

XXII. Ubi rite petitur gratia juſtificationis vel peccatorum remiſſionis, ibi ſimul ſemper adeſt ſerium ſtudium gratiæ ſanctificationis & omnimodæ reformationis, vitæ. ex verſ. 12. cum antecedentibus. Hæc enim petitio de *animo mundo & ſpiritu firmo*, copulate ſubjungitur iis quæ antea petebantur de remiſſione peccatorũ, & gaudio inde fluente, tanquam abſolute conſentaneam & conjunctam cum ipſis habens affectionem. Nam reſpectu remiſſionis eſt effectum, & reſpectu gaudii eſt adjuvans cauſa.

*Ratio* 1. Quia juſtificatio & ſanctificatio ſunt inſeparabiliter conjunctæ. 1 Corrinth. 1. 30. & 6. 11. 2. Quia juſtificationis manife-

ſtatio

ſtatio & certitudo pendet ſemper ex ſanctificatione tanquam ex proprio ſigno. Roman. 8. 1. &c.
3. Quia odium illud peccati, quod in reſipiſcentia vera continetur, non minus realem quam judicialem ejus abolitionem quærit. 4. Quia ſtudium gloriæ Dei magis fert animum adverſus culpam & corruptionem peccati, quam adverſus ejus reatum. Nam abolitio reatus directe reſpicit bonum noſtrum: ſed abolitio corruptionis ad gloriam Dei directe ſpectat. 5. Quia gratitudo erga Deum pro remiſſione peccatorum (ſine qua indigni ſumus gratia) ſtudium emendationis neceſſario ſecum affert.
6. Quia intereſt maxime noſtra ne perſiſtamus in illis peccatis quæ confeſſi ſumus, & quorum petivimus remiſſionem. Hoc enim eſſet illudere Deo, & noſtrum reatum duplicare. 7. Quia Deus non promiſit miſericordiam niſi iis qui deſerunt peccata ſua. Pro 28.13.

*Vſus* 1. *Condemnationis*, adverſus eos qui perfunctorie ſolent peccatorum ſuorum remiſſionem optare ſine ullo ſerio propoſito emendationis vitæ. 2. *Directionis*, ut hæc duo vota pari ſemper paſſu in animis noſtris teneamus conjuncta, juſtificationis nempe & ſanctificationis veræ.

XXIII. Caput ſanctificationis eſt cor alienatum à peccato, & deditum pietati. ex verſ. 12. *Animum mundum & ſpiritum firmum.* Per cor mundum enim intelligitur illa purgatio ab inquinatione, macula, turpitudine vel culpa, quæ conſiſtit in abnegatione, deſertione, alienatione aut averſione à peccato. Per ſpiritum firmum intelligitur conſtans voluntas omne bonum proſequendi.

*Ratio* 1. Quia in iſtis conſiſtit veteris hominis mortificatio, & vivificatio novi: quæ ſunt partes veræ ſanctificationis. 2. Quia conſcientia bona, & quæ inde ſequitur conſolatio ex iſtis duobus pendent.
3. Quia omnis obedientia nova ſua ſponte fluit ex iſtis principiis: fuga ſcilicet mali, ex animo mundo. Pſalm. 24.4. & proſequutio boni ex ſpiritu firmo. Actor. 11.23. Coloſſen. 1. 10, 11. 1 Theſ. 3. 13. & 2. 2. 17.

*Vſus* 1. *Directionis*, ut in ſtudio ſanctificationis primariam curam habeamus cordium noſtrorum. 2. Ut corda noſtra eo ſemper flectere ſtudeamus, ut magis magiſque abhorreant à peccato, & conſtanter adhæreant Deo.

XXIV. Sanctificatio iſta cordis petenda eſt à Deo. ibidem. *crea mihi Deus.*

*Ratio* 1. Quia donum eſt Dei. Jac. 1. 5. 17, 18. 2. Quia ſingulare opus eſt Dei. Epheſ. 2. 10. 1 Theſ. 5. 23 3. Quia pia cordis elevatio ad Deum in iſto deſiderio, eſt exercitium ſanctificationis alicujus communicatæ, & medium proprium amplioris communicandæ, & certiſſimum pignus utriuſque.

*Vſus Exhortationis*, ut precibus fervidis, & conſtantibus hoc deſiderium coram Deo proſequamur.

XXV. Ad iſtam ſanctificationem tum primo communicandam, tum etiam peccato labefactatam reſtituendam talis efficacia Dei requiritur, qualis in creatione fuit exerta.

exerta. ex vers. 12, *crea mihi Deus.* Similem vim habent phrases aliæ in Scripturis frequentatæ, *vivificandi, excitandi à mortuis, regenerandi, immutandi, convertendi, inclinandi, trahendi, flectendi, renovandi, circicidendi, inscribendi, cor, denique animam, hominem, & omnia nova faciendi.*

*Ratio* 1. Quia sicut creatio, sic & sanctificatio versatur circa nihilum: quoniam nihil est in homine irregenito quod rationem principii habet ad vitam spiritualem. Ephes. 2. 5. 2. Quia multa sunt in homine quæ huic operi adversantur; qualia impedimenta creationi non fuere objecta. Matthæi 19. 23, 24, 26. 3. Quia vis aut virtus illa qua divinum hoc opus efficiatur, debet esse divina. 2 Cor. 4. 6. 4. Quia renovatio & perfectio hujus operis pendet ex renovatione & continuatione ejusdem efficaciæ, qua primo fuit inchoatum. Eph. 1. 19.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos qui efficaciam gratiæ Dei extenuant & obscurant, dum suspensam eam relinquunt ex hominis arbitrio inefficaci; & vix ullam aliam efficaciam gratiæ agnoscunt præter illam quæ est in doctrina, & suasione; atque adeo hujusmodi phrases non vim causæ, sed effectum aut eventum notare volunt. David autem habuit doctrinam, suasionem, promissionem, & voluntatem etiam paratam, & tamen creationem mundi cordis petit à Deo. 2. *Directionis*, ne nos unquam nostris viribus vel minima ex parte nitamur in istis rebus, sed velle posse, facere, principium, progressum, & complementum omnis boni divinum donum agnoscamus. Phil. 2. 13.

XXVI. Illa mala quæ sanctificationi opponuntur, privatio scilicet communionis cum Deo, per ablationem Spiritus sancti, sunt ex omnibus aliis malis maxime horrenda. ex vers. 13. *Abjectio enim à facie Dei*, significat privationem communionis cum ipso, & consolationis ab ipso. Jer. 7. 15. & 52. 3. & ablatio Spiritus sancti est medium quo illa privatio efficitur, cum illi à quibus Spiritus sanctus aufertur, neque gratiam salutarem habent sibi à Deo communicatam, neque quidquam præstare possunt quod Deo est gratum & acceptum. Non est improbabile, Davidem territum conscientia homicidii, habuisse ante oculos factum & pœnam Caini homicidæ, qui eo nomine relegatus fuit à facie Dei. Gen. 4. 14, 16. & simul horruisse proximum exemplum Sauli, cui Deus abstulerat spiritum regium. 1 Sam. 15. 15. deprecationem suam secundum illas cogitationes formasse. Non est necessariũ tamen idcirco sic ejus verba accipere, quasi judicia illa singularia spectarent quæ Cain & Saulus fuerant experti, & nihil ultra.

*Ratio* 1. Quia beatitudo nostra consistit in communione cum Deo. Psal. 27. 4 & 65. 5. 2. Quia privatio hujus communionis infert secum miseriam summam. 2 Thes. 1. 9. 3. Quia spiritus & gratiæ modo & gradu singulari communicatæ ablatio, certum est indicium iræ Dei singulariter accesæ. Mat. 25. 29, 30.

*Usus Condemnationis*, adversus illos qui communionem cum Deo, præsentiam spiritus, & usum sacrorum

rum institutorum Dei parum aut nihil curant.

XXVII. Ex sensu communionis nostræ cum Deo solidum gaudium emanat. ex v. 14. cum anteced. simul dantur & simul redduntur.

*Ratio* 1. Quia gaudium proprie fluit ex præsentia & fruitione boni amati ac desiderati: talis autem præsentia bona est in communione nostra cum Deo. 2. Quia bonum quo fruimur in ista communione non est leve, ac leviter titillans animum lætitia vana, sed spirituale, solidum, ac summum. 3. Quia eo directe facit, ut omnem dolorem ac tristitiam expellat, & elevationem, exultationem, ac dilatationem cordis producat.

*Usus Directionis*, ut in ista via quæramus nobis gaudium.

XXVIII. Gaudium hoc spirituale est de salute Dei æterna, tanquam de objecto, & causa. ibid. 1 Pet. 1. 5, 6, 7, 8.

*Ratio* 1. Quia salus ista summum est bonum. 2. Quia sola servat ab omni malo. 3. Quia sola satisfacit desideriis piis.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus eos qui certitudinem salutis impugnant. inimici sunt gaudii Christianorum. 2. *Exhortationis*, ut certitudinem salutis nobis omni collato studio comparemus.

XXIX. Certitudo salutis conjunctum semper habet spiritum ingenuum, spontaneum, & promptum erga Deum. ibid.

*Ratio* 1. Quia spiritus adoptionis est causa hujus certitudinis. 2. Quia promptitudo spiritus ad obediendum Deo, est ejusdem certitudinis effectum. Rom. 12. 1. 3. Quia utroque modo certitudo illa conservatur, & magis magisque confirmatur.

*Usus Exhortationis*, ut studeamus huic ingenuitati spiritus. Exo. 35. 5, 21. 1 Chron. 29. 6, 13, 14.

XXX. Spiritus ingenuus est nostra sustentatio. ibidem.

*Ratio* 1. Quia liberat nos à desperatione. 2. Quia liberat nos à tentatione. 3. Quia excitat nos ad omne bonum.

*Usus Exhortationis* ejusdem.

XXXI. Spiritus ingenuus ferre solet eos quibus inest ad alios instituendos. ex vers. 15. cum anteced.

*Ratio* 1. Quia spiritus ingenuus est liberalis & promptus ad largiendum & communicandum bona illa quæ habet. hæc est significatio vocis נדיב. 2. Quia promptitudo vel zelus animi erga gloriam Dei studium hoc secum adfert. 2 Cor. 4. 15, 16. 3. Quia charitas erga proximos (quæ etiam est pars ingenuitatis) eo ducit. Rom. 9. 3. & 11. 14. 2 Cor. 5. 11. 4. Quia gratiæ quam accepimus constituti sumus dispensatores, 1 Pet. 4. 10. 5. Quia hic est finis unus cum omnis cognitionis, tum præcipue illius quam experientia propria edocti sumus. 2 Cor. 1. 4. Luc. 22. 32. Est enim finis ipsius operis gratiæ, quod Deus circa hunc vel illum operatur, ut alii inde instituerentur. 1 Tim. 16. Psalm. 34. 6, 7.

*Usus* 1. *Directionis*, quomodo scilicet ad istam regulam spiritum suum quisque dignoscere possit. 2. *Exhortationis*, ut in hoc officium incumbamus omnes.

XXXII. In-

XXXII. Inſtitutio, præſertim illa, quæ provenit ex ſenſu remiſſionis peccatorum, peccatoribus præcipue debitur.

*Ratio* 1. Quia illi maxime deſtituuntur luce. 2. Quia in maximo periculo verſantur. 3. Quia ille qui expertus miſericordiam Dei in ſuis peccatis tollendis, ſingulariter edoctus eſt ad alios dirigendos in ſimili miſericordia quærenda.

*Vſus Directionis*, ut ad exemplum Chriſti perditos quæramus.

XXXIII. Inſtituendi ſunt peccatores in viis Dei. ibidem. Per vias autem Dei intelliguntur & illæ rationes agendi in verbo revelatæ, quas Deus obſervat erga nos in juſtitia & miſericordia: & illæ etiam quas nos obſervare debemus erga Deum, in fide & obedientia.

*Ratio* 1. Quia hæc inſtitutio ſola dat gloriam Deo, cujus vias docet. 2. Quia ſola ducit homines ad Deum, & ſic ad fœlicitatem æternam. 3. Quia miſeria peccatorum eſt, quod alieni ſint à viis Dei.

*Vſus Directionis*, in materia, & modo docendi.

XXXIV. Finis & fructus hujus inſtitutionis eſt converſio. ibidem.

*Ratio* 1. Quia cognitio viarum quibus Deus ambulat erga nos, invitat ac impellit ad illas vias quibus nos ambulare debemus erga illum: id eſt, ad reſipiſcentiam, fidem, & obedientiam. 2. Quia cognitio viarum quibus ambulare debemus, oſtendit nobis errores noſtros, & pericula fugienda per converſionem ad Deum.

*Vſus* 1. *Exhortationis*, ut cum omni alacritate peccatores inſtituamus. 2. *Directionis*, quomodo diſcernere poſſimus an inſtitutio apud nos efficax fuerit, necne.

XXXV. Ut efficaciter peramus liberationem & ſanctificationem à peccatis noſtris; non ſimpliciter apprehendi debent quod ſint peccata, ſed etiam quam gravia ſint & ſanguinolenta. ex v.16. *libera me à ſanguinibus*. Sanguis enim ſignificat mortiferum reatum, qualis eſt ille qui conſequitur ſanguinis injuſtam effuſionem. Gen.4.11. Pſalm.9.13. & 106.38. Ezec.16.6, 9. David autem ſanguinem innocentis Uriæ effuderat, & ſanguinolentum aut capile flagitium admiſerat cum ejus uxore.

*Ratio* 1. Iſta conſideratio humiliationem noſtram reddit profundiorem, ex qua pendet efficacia precum. 2. Quia major ſenſus reatus addit fervorem ac inſtantiam & excitat ſuſpiria inenarrabilia, vel clamores cordis in precibus. 3. Quia paratos & promptos nos reddit ad majorem gloriam tribuendam Deo miſericordiæ illius qua delet tanta peccata.

*Vſus Redargutionis*, adverſus eos qui extenuant, & excuſant, vel molliter ac leviter tractant ſua peccata.

XXXVI. Effuſio ſanguinis eſt peccatum maxime horrendum. ibid. Non enim dubitari poteſt, quin David, quum peccata ſua exaggerare hunc in modum voluit, ſingularem rationem habuerit ſanguinis Uriæ & aliorum cum ipſo interfectorum ſuo juſſu effuſi.

*Ratio* 1. Quia non tantum charitati Chriſtianæ, ſed etiam humanitati, legi & conſcientiæ naturali max-

maxime adversatur: unde etiam fit quod etiam impiis hominibus horrendos terrores soleat adferre. 2. Quia Deus, cujus imaginem homo gerit, singulariter detestatur hoc peccatum. Genes. 9. 6. Unde etiam est, quod coram ipso dicatur clamare. Gen. 4. 10. & polluere terram ipsam. Num. 35. 33. & ab ipso singulariter vindicetur. Gen. 9. 5. Prov. 28. 7. 3. Quia hoc peccato Diaboli imago singulariter repræsentatur. Joh. 8. 40. cum 44.

*Usus condemnationis*, adversus illos qui vel vi, vel dolo, vel publice, vel privatim participes se reddunt hujus reatus.

XXXVII. Ad consolationem habendam adversus hujusmodi peccata requiritur magna luctatio in apprehensione & particulari applicatione salutaris Dei gratiæ. ibid. *O Deus, Deus salutis meæ.* Ingeminatio nominis Dei, dum suam propriam salutem in ipso apprehendere cupit, & conatur, non exiguam contentionem animi in hoc negotio declarat.

*Ratio* 1. Quia justitia Dei & merita nostra huic apprehensioni videntur adversari. 2. Quia magnitudo gratiæ hujus tanta est, ut sine magno conatu non possit apprehendi. 3. Quia non quiescit animus humiliatus in qualibet ejus apprehensione, sed magis magisque aspirat ad eam plene complectendam.

*Usus Directionis*, quomodo descendere à generali ad particularem apprehensionem salutis & in illius comprehensione omnibus viribus laborare debemus.

XXXVIII. Effectum & proprius fructus omnis gratiæ Dei erga nos, sed præcipue illius qua peccata nostra tolluntur, est congruens Dei laudatio, & glorificatio. ex vers. 16. in fine. & vers. 17. Psal. 50. 15.

*Ratio* 1. Quia beneficia Dei non possunt percipi, qualia sunt, nisi dignissima habeantur omni laude. Apocal. 4. 11. & 5. 12.

2. Quia talis æstimatio beneficiorum Dei excitat effectum dilectionis erga Deum propter bonitatem ejus, & ista dilectio cum delectatione & gaudio comitante elicit celebrationem laudum ejus. Psal. 136. in singulis versiculis 26.

3. Quia inter omnia Dei beneficia condonatio peccatorum est maxima: & propter magnitudinem peccatorum, ac miseriæ quem secum trahunt; & propter divitias gratiæ quæ in eorum abolitione manifestatur; & propter superabundantiam consolationis, quæ in peccatores inde redundat. Ps. 103. 1, 2, 3.

*Usus increpationis*, adversus tepiditatem vulgarem in Deo laudando. David huic officio addicit linguam, labia, os, ad clangorem ex toto corde proferendum. in perfunctoria igitur laudativæ alicujus formulæ repetitione animus pius non acquiescit.

XXXIX. In Deo laudando est justitia bonitatis ejus. ex v. 16. in fine. Quamvis enim bonitas, benignitas, & misericordia Dei præcipue simpliciter maxima ex parte proponatur celebranda, aliquoties tamen sub justitiæ nomine commendatur. quod clarissime patet ex hoc loco.

*Ratio* 1. Quia in bonitate Dei summa

summa rectitudo ac perfectio virtutis est agnoscenda: illa autem justitiæ notione recte concipitur & designatur. 2. Quia bonitas Dei laudari debet prout in verbo ejus continetur. Psalm. 56. 5, 11. hæc autem est justa fidelitas aut veracitas Dei in bonitate sua communicanda. 3. Quia prout hæc bonitas Dei ex verbo promissionis producitur in actum, & actus ille reflexionem habet ad verbum promissionis, sic ipsa communicatio bonitatis est fidei datæ ac obligatæ justa liberatio.

*Vsus Directionis*, ut ad omnes hujusmodi perfectiones, quæ in bonitate Dei elucent, diligenter attendentes, ad Deum laudandum pleniore affectu feramur.

XL. Deus ipse aperit labia suorũ ad suas laudes annunciãdas. ex v. 17.

*Ratio* 1. Quia suis beneficiis præbet ipsis abunde materiam laudis. Psalm. 40. 4. 2. Quia removet ab ipsis impedimenta gaudii & professionis ejus. Jes. 25. 7, 8. 3. Quia perfundit animos eorum suavi sensu suæ bonitatis, & simul excitat ad eam prædicandam.

*Vsus Directionis*, ut istam apertionem labiorum à Deo quæramus.

XLI. Cæremoniæ externæ à Deo institutæ quamvis pertineant ad Dei laudem & honorem, neque per se tamen, neque in comparatione ad piam orationem laudis, sunt Deo gratæ. v. 18. Per *sacrificium* enim & *holocaustum* intelliguntur externæ cæremoniæ illius temporis, & illæ proprie quæ pertinebant ad laudem: quæritur enim hoc in loco de modo Deum laudandi, utrum in cæremoniis externis, an in oratione pia consistat. Vovetur autem oratio pia simpliciter. v. 17. cæremoniæ vero rejiciuntur, non absolute, sed 1. Quatenus nude sunt & ab oratione pia separatæ. 2. Quatenus in comparationem veniunt contra talem orationem laudis. maxime igitur consentaneum videtur, ut quamvis *quamvis & illud dabo* non *ut dem*, neq; *nam alioquin darem*. Quãvis enim sacrificium non placebat Deo, tamen & sacrificium placebat.

*Ratio* 1. Quia cæremoniæ sunt signa tantum, quæ, si separentur à re signficata, inania & vacua evadunt. 2. Quia quamvis cum re significata conjungantur, sunt tamen appendices tantum accessoriæ, quæ cum ipsa substantia non sunt comparandæ. 3. Quia naturæ Dei qui est spiritus, nihil adeo convenit ac spiritualis & verus cultus. Joh. 4. 24.

*Vsus Directionis*, ut quamvis cæremoniæ à Deo institutæ non sint negligendæ, præcipuam tamen curam in reali Dei cultu collocemus: secundum illud Salvatoris. Mat. 23. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*.

XLII. Laudatio illa Dei, quæ provenit ab animo vere humiliato, est Deo maxime accepta. ex v. 19. Nam per spiritum fractum & contritum intelligitur proprie animus vere humiliatus; & metonymice effectum laudationis, quod ex tali animo procedit: agitur enim adhuc de laudatione Dei. Vocatur autem sacrificium, non tantum metaphorice propter similitudinem, sed etiam metonymice, propter typicam relationem quam sacrificia quædam habuerunt ad istiusmodi humiliationem. Sacrificia vocatur

in plurali numero, quia est multorum vel omnium instar: & sacrificia Dei, quia Deus illud non spernit, sed acceptum habet: sicut Joh. 6.28 *opus Dei.* Jes. 57. 15, 19. & 61. 1. Luc. 4.18. Rom. 12. 1.

*Ratio* Quia in ista humiliatione continetur 1. Abnegatio & mortificatio peccati, quod solum est Deo invisum ac odiosum. 2. Abnegatio nostrarum virium ac perfectionum, ut toti pendeamus à Deo. 3. Talis agnitio Indignitatis nostræ, qua fit ut omnis gloria Deo in solidum tribuatur.

*Usus Directionis*, ut semper studeamus animos hunc in modum comparatos, vel hanc animi dispositionem ad Dei cultum adferre.

XLIII. Quamvis Deus perpetuo orandus est à fidelibus ut Ecclesiæ suæ benefaciat & societati illi qualicumque cujus sunt membra; hoc tamen singulariter facere debent post graviorem aliquem lapsum. ex v. 20. cum superioribus. Per Tzijonem enim & Jeruschalaima intelligitur Ecclesia Dei, & illa societas communis, cujus David fuit præcipuum membrum: quia illa civitas fuit metropolis tam civilis, quam Ecclesiastica, totius populi Israelis: & passim in Scripturis constituitur typus Ecclesiæ Dei. Hanc autem communem societatem quia David suis peccatis labefactaverat, idcirco piis istis precibus ejusdem petit stabilitionem.

*Ratio* 1. Quia membra semper debent esse solicita ut pro aliis membris particulatim, sic multo magis pro corpore universo. 1 Cor. 12. 25, 26, 27. 2. Quia multi alii, & aliquando tota societas communionem habet cum peccato unius membri, quatenus vel verbis, vel factis, vel dissimulatione ac negligentia eorum aut occasio datur illi peccandi, vel in peccato fovetur. Illi autem qui communionem habent in peccato, opus habent communione in peccati remissione. 3. Quia scandalum unius transire solet in alios, & sicut fermenti paululo tota massa fermentatur. 1 Cor. 5.6. Author igitur scandali debet hoc damnum, quantum potest, resarcire. 4. Quia propter hujusmodi rationes, unius hominis scelus graves pœnas toti cœtui aliquando accersit. Josh. 7. 11, 25. & 22. 20. 2 Sam. 24. 17. Author igitur sceleris omnibus modis id agere debet, ut periculum istud à societate avertatur.

*Usus Directionis*, ut istiusmodi meditationibus, & affectibus preces nostras perficere studeamus.

XLIV. Beneficentia Dei erga Ecclesiam non nititur ut causa principali, nisi bona sua voluntate. ibidem. Ephes. 1: 5, 9, 11. & 2, 4.

*Ratio* 1. Quia omne bonum provenit à Dei liberalitate, atque adeo à libera ejus voluntate. 2. Quia Ecclesia colligitur, conservatur, defenditur & perficitur, ex speciali quadam & superabundanti bonitate Dei. 3. Quia tam multa sunt tam interna, quam externa, quibus Ecclesiæ fœlicitas impugnatur, ut nulla alia ratione possunt superari, præterquam bona Dei voluntate. Psalm. 12.4.

*Usus Directionis*, ut omnes preces ac vota nostra huic uni fundamento superstruamus.

XLV. Proprius fructus beneficentiæ

ficentiæ Dei erga Eccleſiam, eſt honor & cultus ipſo dignus, ex v. 21.

*Ratio* 1. Quia gloria Dei eſt finis Eccleſiæ. Epheſ. 1. 6. & 12. & 5. 27. 2. Quia gratitudo illa quæ pro ſingulis beneficiis divinis debitur, honorem & cultum iſtum elicit, 1 Cor. 6. 20. 3. Quia maxima pars beneficentiæ Dei erga Eccleſiam eſt, quod det ipſi animum ad ſuum nomen rite colendum. 1 Joh. 5. 20.

*Vſus Exhortationis*, ut fructum iſtum proferre conemur.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

*Magiſtro ſymphoniæ*, ode *didaſcalica Davidis:*

2. *Quum veniens Doëg Adomæus nunciaſſet Schauli, & dixiſſet ei, adivit David domum Achimeleci.*

3. *Quid te jactas in malo, ô potens? benignitas* Dei *fortis omni die* perdurat.

4. *Ærumnas excogitatas depromis; lingua tua ſimilis* eſt *novaculæ acutæ, ô artifex doli.*

5. *Diligis malum potius quam bonum, mendacium quam loqui juſtitiam,* diligis *vehementiſſime.*

6. *Dilexiſti omnia verba pernicioſa, linguam doloſam.*

7. *Etiam* Deus *fortis demoliturus eſt te in æternum, abripiet te, & avellet te à tentorio, eradicabitque te è terra viventium vehementiſſime.*

8. *Quod videntes juſti, reverebuntur, & de iſto ridebunt* dicentes:

9. *Ecce virum illum, qui non propoſuerat Deum robur ſuum, ſed confidebat amplitudini divitiarum ſuarum, roborabat ſe in ſubſtantia ſua.*

10. *Ego vero ut oliva virens in domo Dei, confido benignitati Dei in ſeculum & ſempiternum.*

11. *Celebrabo te in ſeculum quod feceris* iſta: *& exſpectabo nomen tuum, quia bonus* es, *coram eis quos benignitate proſequeris.*

## ANALYSIS.

OCCASIO & argumentum hujus Pſalmi declaratur aperte v. 2. Confectus eſt enim à Davide, quando Doëg Adomæus calumniatus erat ipſum, & Achimelicum ſacerdotem apud Saulem. 1 Sam. 22, 9.

Scopus ac propoſitum Davidis eſt, excitare, profiteri, & confirmare fiduciam ſuam adverſus illos terrores, quibus ex occaſione ſceleris Doëgi ſentiebat animum ſuum tentari ac percelli.

1. Tentationem indicat v. 3. in principio fuiſſe malitiam Doëgi, & jactationem eidem adjunctam, aut gloriationem de ſucceſſu quem habuit, & certo ſibi ſpondebat: cujus cauſa notatur fuiſſe potentia qua valuit Doëg, tam ratione opum (fuit enim ampliſſimus paſtorum. 1. Sam. 21. 8. & amplitudinem habuit divitiarum ac ſubſtantiæ mundanæ. v. 9.) quam ratione favoris, quem adulatione ſibi conciliaverat apud Saulem. 2. Fundamẽtum fiduciæ & conſolationis, quam huic tentationi ut ſuperiorem opponit, collocat in conſtante Dei benignitate v. 3. in fine. 3. Ex iſthoc fun-

damento deducit judicium Dei sensurum Doëgum, usque ad v. 10. & beneficentia ipsius fruiturum sese. v. 10, 11. 4. Judicii in Doëgum venturi 1. Causa proponitur, dolosa, noxia & perniciosa ejus lingua. v. 4. quæ amplificatur à sua causa, effectu scilicet vel habituali inclinatione ad malum, & aversione à bono. v. 5, 6. 2. Judicium ipsum lethale describitur, & illustratur similitudine demolitionis arcis in perfugium exstructæ, abreptionis prunæ incendium allaturæ, evulsionis paxilli fixi, & eradicationis arboris robustæ. v. 7. 3. Idem judicium illustratur ab effecto & fructu quem inde percepturi essent pii, confirmationem scilicet in vero timore Dei, ex contemplatione stultæ ac ridiculæ confidentiæ, quam Doëg non in Deo, sed in suis opibus habuit collocatam. v. 8, 9. 5. Felicitas Davidis, qua ex benignitate fruiturus erat, illustratur 1. Similitudine oleæ virentis ac florentis. v. 10. in principio. 2. Describitur. 1. A subjecto continente, *domo Dei.* ibidem. 2. A causa principali, *benignitate Dei*, & administrante, *fiducia sua*, una cum adjuncto durationis, *in seculum & sempiternum.* ibidem. 3. Ab effecto celebrationis, & spei vel exspectationis. v. 11.

## DOCUMENTA.

I. Impia & perdita insania est eorum qui jactant sese in malo. ex v. 3. in principio. מתהלל insaniam una cum jactatione notat vox ipsa, quum in malam partem accipitur, Jer. 46. 9. & interrogatio illa qua profertur, eandem vim designat. Prov. 2. 13.

*Ratio* 1. Quia tales peccatores sunt maxime peccantes, eo quod plenissime consentiunt in peccata. Psalm. 36. 3. Ephes. 4. 19. 2. Quia non tantum voluntati divinæ, sed & naturæ humanæ sese opponunt. lex enim naturæ est, neminem lædere. 3. Quia longissime absunt à resipiscentia, quæ in dolore & humiliatione de malo consistit. locis modo citatis.

*Usus Admonitionis*, ut quamvis nequeamus plane immunes esse à malo, sedulo tamen caveamus ne jactemus nos in malo.

II. Huic insanæ jactationi præcipue obnoxii sunt potentes. ibidem.

*Ratio* 1. Quia impii potentia armati nec Deum timent, nec homines reverentur. Luc. 18. 2. 2. Quia se ab omnibus metui putant. Joh. 19. 10. 3. Quia successu malitiæ suæ efferuntur. Deut. 32. 27. Jes. 10. 8, 9, 10, 11.

*Usus Admonitionis*, erga illos qui aliqua ratione sunt aliis potentiores, ut caveant sibi ne istam intentationem inducantur.

III. Impiæ jactationi malorum in sua malitia potente, opponere debent pii sanctam gloriationem in benignitate Dei. ibidem in fine. Psalm. 20. 8. Jer. 9. 23, 24.

*Ratio*. Quia hæc gloriatio fidei metum expellit, & mundum vincit. Psalm. 27. 1. Jes. 8. 10. Rom. 8. 31, 37. 1 Joh. 5. 4. Nam 1. Malitiæ hominum opponit immensam Dei bonitatem. 2. Potentiæ hominum opponit omnipotentiam Dei. 3. Fraudi hominum opponit omniscientiam Dei. Et 4. Perfidiæ hominum fidelitatem Dei opponit.

*Usus Directionis*, ad consolationem in Deo quærendam.

IV. Inter cætera mala in quibus

improbi ſeſe jactat, primarium locum habet nequitia linguæ. ex v.4.& 6.

*Ratio* 1. Quia inter omnia membra externa lingua eſt maxime prompta & parata ad cogitata mala promenda & executioni mandanda: unde etiam verſ. 4. lingua ipſa dicitur excogitare mala.

2. Quia lingua non eſt ad unum genus noxæ determinata aut limitata, ſed extendit ſeſe ad omnem noxam & peccatum exequendum: unde dicitur excogitare *ærumnas*, non ærumnam. 3. Quia in malo patrando (ſupra cætera membra) ſimulatum & doloſum habet agendi modum. 4. Quia variis modis eſt maxime pernicioſa unde & inſtar novaculæ ſcindere dicitur, & inſtar feræ beſtiæ devorare. Sic Pſalm. 5.10. & 57,5. & 59,8. & 64. 4. & 120, 2, 3, 4. & 140.4. Prov. 30. 14. Jer. 9. 3,

*Vſus Admonitionis*, ne unquam linguæ fræna laxemus.

V. Lingua mala conjunctum habet cor malum. ex v. 5. & 6. *Diligis malum potius quam bonum.*

*Ratio* 1. Quia ex redundantia cordis os loquitur. Matth. 12, 34. 2. Quia oris malitia reflexionem habet ad cor & conſcientiam magis magiſque polluendam. Matth, 15. 18, 19. 3. Quia cor bonum ſua vigilantia quaſi capiſtrum imponit ori. Pſalm. 39. 2.

*Vſus Redargutionis*, adverſus eos qui linguarum ſuarum malitiam excuſant aut minuunt ex cordium ſuorum ſynceritate.

VI. Qui improbe abutitur ſua lingua, graviſſima Dei judicia ſibi accerſit. ex v. 7.

*Ratio* 1. Quia gravia peccata graves pœnas merentur. 2. Quia par eſt, ut qui amant maledictionem, & quærunt aliorum perditionem, eandem etiam experiantur. 3. Quia dolus linguæ ſingulariter pertinet ad vindictam Dei omniſcientis.

*Vſus Admonitionis*, ne linguæ vitiis indulgeamus ex ſpei impunitatis.

VII. Ex judiciorum Dei obſervatione pii proficiunt in timore Dei. ex v. 8. *Videntes juſti rev rebuntur.*

*Ratio* 1. Quia communis eſt finis judiciorum, quæ adverſus peccata exercentur, ut omnes illi, ad quorum cognitionem perveniunt, cum timore ac tremore caveant ſibi abſimilibus peccatis. Deut. 13.11. & 17. 13. & 19. 19, 20. & 21. 18, 21. 2. Quia pii qui exſpectant ſemper ut Deus judicia ſua exerceat adverſus peccata, eorum obſervatione ædificantur in ſua fide, & religione erga Deum. Pſalm. 58. 12. 3. Quia cauſa piorum ſolet judiciis Dei aſſeri & vindicari à contemptu impii mundi, in contextu hujus Pſalmi.

*Vſus Directionis*, quomodo cum fructu meditari debemus judicia Dei.

VIII. Lætantur etiam & rident pii de juſtitia Dei adverſus impios manifeſtata. Pſalm. 58. 11.

*Ratio* 1. Quia pertinet hoc ad gloriam nominis Dei, dum juſtitia & veritas ejus manifeſtatur.

2. Quia impietas, quæ piis eſt maxime inviſa, hac ratione coërcetur. Prov. 21. 11. cum Eccleſ. 8. 11.

3. Quia pii ipſi hac ratione liberantur. Pſalm. 126. 2, 3.

*Vſus Conſolationis*, erga pios qui etiam ex judiciis Dei cauſam habent lætandi.

IX. Una cum lætitia de judiciis Dei adversus impios, conjungitur contemptus vanæ fiduciæ ipsorum. ex v. 9.

*Ratio* 1. Quia hoc eventu apparet vana & contemnenda. Psalm. 49. 6. Luc. 12. 15, &c. 1 Tim. 6. 17.

2. Quia pertinet ad gloriationem piorum in Deo, ut fiduciam impiorum quam maxime contemnant.

3. Quia pertinet etiam ad tentationes illas vincendas, quæ ex jactatione impiorum solent oriri. Psalm. 73. 20, 27.

*Usus Directionis*, ut hac ratione & aliis omnibus modis fiduciam impiorum vilem nobis reddere studeamus.

X. Vanæ fiduciæ impiorum opponere debemus veram ac gloriosam fiduciam nostram in benignitate Dei. ex v. 10, 11.

*Ratio*. Quia sine hac non vincimus tentationes; non pie lætamur; nec Deum glorificamus.

*Usus Directionis*, ut hæc sit primaria nostra cura.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

M*Agistro symphoniæ ad pnuematicum instrumentum*, ode *didascalica Davidis*.

2. *Dicit stultus cum animo suo, non est Deus: corrumpunt, & abominandam perpetrant iniquitatem; non* est *qui faciat bonum.*

3. *Deus è cælis prospectat super filios hominum, ut videat an sit ullus qui intelligat, qui requirat Deum.*

4. *Quicunque est, retrocessit, simul putidi facti sunt: non* est *qui faciat bonum, non* est *vel unus.*

5. *An non sibi sunt conscii, qui dant operam iniquitati, quod edentes populum meum edunt panem; Deum non invocant?*

6. *Ibi expavescunt pavore,* ubi *non* est *pavor: quia Deus dissipat ossa* cujusque *castra habentis contra te: pudefacit quia Deus spernit eos.*

7. *O si quis det è Tzijone omnimodam salutem Iisraelis! reducente Jehova reducem turbam populi sui, exsultabit Jahakob, lætabitur Iisrael.*

HIc Psalmus cum Decimo quarto ferè ad verbum coincidit; ideoque inde Analysis, Quæstiones, & Documenta petenda erunt: superfluum enim pluries repetere, quæ semel dicta sufficere poterant.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

M*Agistro symphoniæ fidium*, ode *didascalica Davidis*:

2. *Quum venientes Ziphæi dixissent Schauli, an non David latitat apud nos.*

3. *Deus propter nomen tuum serva me, & fortitudine tua causam meam age.*

4. *Deus audi orationem meam, aurem adverte ad sermones oris mei.*

5. *Nam exteri insurgunt in me, & violenti quærunt vitam meam: non proponunt Deum sibi maxime.*

6. *Ecce Deus adjuvat me: Dominus* est *inter eos, qui sustentant vitam meam.*

7. *Redde istud malum observatoribus meis, per veritatẽ tuam succide eos.*
8. *Liberaliter sacrificabo tibi; celebrabo nomen tuum Jehova, quia bonum est.*
9. *Quia ab omni angustia liberat me, & inimicos meos aspicit oculus meus.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit gravissimum periculum in quod David deductus fuit per proditionem & insidias Ziphæorum. 1 Sam. 23. 20. & 26. Scopus ejus est, implorare Dei auxilium, ut per eum ab hoc periculo liberaretur.

Hæc petitio 1. Proponitur v. 3. & simpliciter, *Deus serva me*, & cum significatione innocentiæ suæ in ista causa, *causam meam age.* & illustratur etiam ac suadetur petitæ salutis causis, *nomine* & *potentia*, vel sufficientia Dei: id est, ab eo, quod Deus de semetipso notũ faceret promissione, quod etiam potens fuit præstare: quod ut perficeretur maxime interfuit gloriæ Dei.
2. Generali instandi modo eadem petitio repetitur & urgetur v. 4. *Deus audi, &c.* 3. Urgetur etiam partim à periculi magnitudine in quo versabatur, *insurgunt, quærunt vitam.* & partim ab odiosis moribus eorum à quibus creabatur, *exteri violenti.* v. 5. quorum causa ostenditur fuisse impietas, aut privatio timoris ac religiosi respectus Dei. ibid. in fine. Hanc autem causam fuisse declarat ex eo, quod in Deo illa possent observari, quæ averterent quemlibet à violenta persequutione Davidis: quia scil. Davidi aperte favebat. v. 6. & hostibus ejus adversabatur. v. 7. Quæ sicut fiducialiter commemorantur cum nota lætitiæ, v. 6. *Ecce* & in preces convertuntur. v. 7. sic voto pio obsignantur, ac suadentur. v. 8, 9.

## DOCUMENTA.

I. In omni periculo salus est à Deo petenda. ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia salus est propria Dei possessio. Psalm. 3. 9. 2. Quia solus Deus omniscius & omnipræsens ubique & semper potest nobis adesse. 3. Quia Deo debemus istum honorem, ut ab ipso solo pendeamus.

*Usus Exhortationis*, ad preces, & in precibus consolationis.

II. Salus petenda est à Deo propter Dei nomen. ibid. id est, propter illud quod Deus de semetipso notum nobis fecit.

*Ratio* 1. Quia fundamentum omnis nostræ spei in impetrando, est nomen Dei, vel divinæ misericordiæ nobis manifestatæ. Jes. 37. 35. & 43. 25. 2. Quia finis misericordiæ nobis communicatæ, est ejusdem nominis divini gloria. Ezech. 36. 22, 23. 3. Quia medium quo omnia bona consequimur, est fiducia, & invocatio nominis Dei.

*Usus Directionis*, ut in precibus nostris perpetuo figamus oculos mentis nostræ in nomine Dei.

III. In petitione opus divinæ, adversus hominum violẽtias, causæ bonitas plurimum valet. ex v. 3. in fine.

*Ratio* 1. Quia facit ut cum fiducia ac libertate conscientiæ bonæ coram Deo possimus comparere.
2. Quia facit ut non misericordiam tantum Dei, sed & justitiam ejus implorare possimus: sicut hoc in loco Hebraicè, *judica me.*

*Usus* 1. *Admonitionis*, ne merito nostro molestias nobis accersamus. 2. *Consolationis*, si præter meritum quidquam patiamur.

IV. Qualiscúnque fuerit causa nostra, preces tamen etiam atque etiam cum omni instantia sunt ingeminandæ. ex v.4.

*Ratio* 1. Quia Deus requirit fervorem & constantiam in precibus. 2. Quia gratia Dei in precibus nostris audiendis non solet apprehendi, nisi animi contentione & vehemente conatu. 3. Quia nostra & precum nostrarum indignitas talis est, ut supplicationes ipsæ nostræ cum supplicatione debeant coram Deo repræsentari.

*Usus Directionis*, in precibus ex abundantia veri affectus, efficaciter effundendis.

V. Quo magis desperati sunt homines, qui nos persequuntur, eo ardentius ad Deum confugere debemus. ex v.5.

*Ratio* 1. Quia Deus ex odio quo prosequitur nefariam iniquitatem querelas nostras est recepturus. 2. Quia sicut miseria nostra fit hac ratione major, sic etiam propensior erga nos est misericordia Dei. 3. Quia quando gravamur supra vires, re ipsa monemur & urgemur ut fiduciam firmius collocemus in Deo solo. 2 Cor.1.8,9,10.

*Usus Directionis*, quomodo malitiam aliorum in nostrum bonum convertere possimus.

VI. Qui pios persequuntur, quamvis professione sint intra Ecclesiam, sunt tamen reipsa extranei. 1 Joh. 2. 19. Psalm.58.4.

*Ratio* 1. Quia alieni sunt à Deo. Jes. 1. 4. 2. Quia alieni sunt à fratribus. 1 Joh. 3. 15. & 4. 20. 3. Quia opera faciunt Ethnicorum, qui ex professo sunt alieni Ps.59.6.

*Usus Admonitionis*, ut caveamus nobis ab omni participatione hujus peccati, etiam ab illa cujus arguitur Ishmael. Gen.4.39.

VII. Omnis impietatis causa est, quod Deum sibi non proponant. ex v.5. in fine. Psal.10.4.& 36.1,2. Gen.20.11.

*Ratio* 1. Quia cogitatio de Deo, prout est judex & vindex mali, frænum est impietatem omnem coërcens. Impietas enim per illam cogitationem fugienda & horrenda indicatur. 2. Quia efficax cogitatio de Deo, prout benignus est benefactorum remunerator, detestabilem reddit impietatem, & ducit ad conatus eidem adversos, id est, ad studium omnis pietatis. 3. Quia cogitatio de Deo, prout est omniscius, omnipræsens, omnipotens, parit vigilantiam tam in malo fugiendo, quam in bono prosequendo.

*Usus Admonitionis*, ut sedulo caveamus nobis ab omni participatione hujus impietatis, & nunquam deponamus cogitationem de Deo.

VIII. Assistentia Dei fide apprehensa & animo proposita sufficit piis adversus omnes impiorum hostium terrores. ex v 6.

*Ratio* 1. Quia major est ille, qui cum piis est, quam qui contra stat. Rom. 8. 31. 2 Reg. 6. 16. 2. Quia Deus pro suo beneplacito etiam impiorum consilia & vias regit: sicut apparet in hoc ipso negotio, de quo agit hoc in loco David. 1 Sam. 23. 27. 3. Quia Deus etiam illa, quæ mala sunt, convertit in bonum suorum. Rom. 8. 28.

Usus

*Uſus Directionis* & *Conſolationis*, ſecundum illud Pſalm.16.8. *Propono mihi Jehovam jugiter : quia à dextera mea eſt, non dimovebor.*

IX. Deus ſæpe facit, ut illud ipſum malum, quod improbi piis intentant, in eorum capita redeat. ex v.7. Pſ.7.15.& 9.15. & 10.2. & 57. 6. Eſth. 7. 9. & 21. 18. Jeſ. 43. 3. Prov.11.8.& 26.27. Eccl.10.8.

*Ratio* 1. Quia hoc pacto providentia Dei (qua omnia diriguntur) magis elucet, dum in ipſo judicio, quaſi digito monſtratur peccatum quod punitur. 2. Quia in hac diſpenſatione æquitas judiciorum Dei fit manifeſta. Matth. 7. 2. 3. Quia hac ratione conſcientiæ hominum ſuis peccatis efficacius percelluntur. Gen 42.21,22.

*Uſus Conſolationis*, erga pios, adverſus omnes minas impiorum.

X. In exſpectatione hujuſmodi liberationis, pii pendent ex veritate Dei. ex v.7. in fine.

*Ratio* 1. Quia neque in ſemetipſis neque in fallacibus mediis confidunt, ſed in Deo vero. 2. Quia verbum Dei eſt ipſorum unica conſolatio, & ejus vis omnis in veritate Dei conſiſtit. Pſalm. 119.50. 89, 90, 91, 92. 3. Quia iſta veritas Dei, quæ manet ſemper firma & conſtans, ſuſtentat pios adverſus conſcientiam ſuæ infirmitatis, & inconſtantiæ.

*Uſus Directionis*, ut in ſperando, oculos noſtros defixos teneamus in veritate Dei.

XI. Pro liberatione præſtita grati debemus eſſe cum liberalitate. ex v. 8. Levit. 7. 16. liberaliter autem offert Deo, qui ſponte, cum hilaritate, ac gaudio, & etiam copioſe hoc facit. 2 Cor. 9.6,7.

*Ratio* 1. Quia Deus eſt liberalis & benignus erga nos. 2. Quia ex toto corde debemus Deo eſſe grati. 3. Quia quum omnia præſtitimus, adhuc ſervi ſumus inutiles.

*Uſus Increpationis*, adverſus parcitatem hominum in Deo glorificando.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

M*agiſtro ſymphoniæ fidium, ode didaſcalica Davidis.*

2. *Auribus percipe, ô Deus, orationem meam, & ne abſcondas te à deprecatione mea :*

3. *Attende ad me, & exaudi me ; plango in meditatione mea & perſtrepo ;*

4. *Propter vocem inimici, propter angorem improbi : quia avertunt in me iniquitatem, & irati inteſtino odio proſequuntur me.*

5. *Animus meus dolet in me, & terrores mortis accidunt mihi :*

6. *Timor & tremor invadit me, & obtegit me horror :*

7. *Adeo ut dicam, ô ſi quis daret mihi alam velut columbæ ; evolarem ubi habitare poſſem.*

8. *Ecce, quam longiſſime evagarer, commoraturus in deſerto, vehementiſſime.*

9. *Maturarem effugium mihi, à vento rapidiſſimo, à turbine.*

10. *Perde, Domine, divide linguam eorum ; nam video violentiam & contentionem in civitate.*

11. *Interdiu & noctu circumdant eam* versantes *in muris ejus*; *iniquitasque & perversitas in medio ejus* sunt:

12. *Ærumna* sunt *in medio ejus & nō recedūt à platea ejus fraus & dolus.*

13. *Non enim inimicus probro afficit me, quod ferrem; non osor meus adversum me se attollit, à quo me absconderem:*

14. *Sed tu mortalis par mihi, dux meus & familiaris meus,*

15. *Qui pariter dulce iaibamus consilium, in domum Dei ibamus cum frequentia.*

16. *Aget exactorem mors invadens eos, descendent* in *sepulcrum vivi: nam mala* sunt *in commemoratione ipsorum, in medio ipsorum.*

17. *Ego Deum inclamabo, & Jehova servabit me.*

18. *Vespere & mane atque meridie meditabor & perstrepam, donec audiverit vocem meam.*

19. *Redemit vitam meam ne belligerent in me,* collocans *in pace: quando* multis copiis belligerant, *fuerunt penes me.*

20. *Audiet Deus fortis, & contestabitur istos, ut permanet in æternum, vehementissime; quibus non* sunt *mutationes, neque timent Deum:*

21. Quorum quisque *extendit manus suas in colentes pacem secum, profanat fœdus suum:*

22. *Cujus blanda sunt, butyrina verba, dum bellum* insidet *animo ejus: cujus meliora* quidem *verba oleo, sed stricti gladii sunt.*

23. *Rejice in Iehovam,* quicquid *dat tibi, & ipse sustentabit te: non permittet unquam justo ut dimoveatur.*

24. *Tu itaque Deus, detrudes istos in puteum corruptionis: homines sanguinarii & dolosi non perducent ad dimidium dies suos; ego vero confidam tibi.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in isthoc Psalmo, est implorare Dei opem adversus conspirationem factam ab Absalone. Petitio proponitur generaliter. v. 2. & 3. & specialiter. v. 10. in principio. & v. 16.

*Primum* argumentum & præcipuum est à gravitate malorum quibus premebatur. Gravitatem autem suæ calamitatis declarat 1. Ab orationis modo, quæ fuit cum gemitu & planctu miserabili. v. 3. in fine. cujus causa collocatur in improbis calumniis, vexationibus, molitionibus, & odiis inimicorum. v. 4. 2. Ejusdem calamitatis gravitatem ostendit ab interno suo affectu, ex quo planctus & gemitus ejus fluebant, dolore scilicet, terrore, tremore, & horrore, quo animus ejus quasi obrutum se sentiebat. v. 5, 6. Quæ animi dispositio illustratur per suum effectum, vehemens nempe desiderium ab istis malis, quam longissime, si fieri posset effugiēdi. v. 7, 8, 9.

*Secundum* argumentum petitur ab improborum hostium exsultatione, cujus indignitas talis esse indicatur, ut in illis improbitas ipsa, cum fraude & dolo civitatem Hierosolymitanam videatur occupasse, muros circuitmens instar custodiæ militaris, & omnes partes ejus in potestate sua tenens. v. 10, 11, 12. Hæc autem improbi-

tas illuſtratur exemplo Achitophelis, qui præcipuus artifex fuit in iſta conſpiratione promovenda. cujus ſceleſta nequitia declaratur per cauſam prohibentem, conjunctionem videlicet ſummam, quam antea habuerat cum Davide, quæ ipſum (niſi etiam humanam naturam exuerat) detinere debuerat, ne contra vitam amici ſui conſpiraret. v. 14, 15. quod etiam amplificatur comparatione inſectationis à profeſſo & noto hoſte proficiſcentis, tanquam longe minoris, & magis tolerabilis. v. 13.

*Tertium* argumentum petitur à conſtantia Davidis in fiducia, & invocatione Dei. v. 17, 18. cui adjunctam indicat ſingularem conſolationem.

*Quartum* argumentum petitur ab experientia antegreſſa. v. 19. cujus conſequent æ ratio ſubjicitur ab immutabilitate Dei. v. 20.

*Quintum* argumentum à deſperata nequitia inimicorum ſuorum, tam quoad impietatem adverſus Deum. verſ. 20. in fine; quam quoad inhumanitatem adverſus homines. v. 21. quæ ab hypocritica perverſitate, qua tecta fuerat, amplificatur. v. 22.

Concluſio denique petitionis ac Pſalmi totius eſt in apprehenſione ſolidæ conſolationis in promiſſione Dei fundatæ, quam hortatorio modo proponit. v. 23. & accommodat ad cauſam ſuam præſentem. v. 24.

## DOCUMENTA.

I. Improborum hominum injuriæ piis aliquando magnas afferunt animorum perturbationes. ex v. 3, 4, 5, 6.

*Ratio* 1. Propter pericula, quæ minantur & ſæpe creant. 2. Propter perverſitatem eorum qui mala pro bonis rependunt. 3. Propter iniquam ſuſpicionem iniquitatis, quam afflictis aſpergunt. v. 4. *avertunt in me iniquitatem.* 4. Ex infirmitate piorum, qua ſæpe fit ut iſtiuſmodi afflictionibus magis frangantur quam par eſt. 5. Sæpe etiam ex conſcientia peccatorum, propter quæ Deus tales vexationes ipſis immittit: quæ fuit Davidis conditio in conſpiratione Abſalonis.

*Uſus Admonitionis*, ne novi quid & deſperandi cauſa videatur, ſi vel nobis, vel aliis bonis tale quid contingat.

II. In iſtis anguſtiis pii ſic ſunt animati, ut eaſdem omni legitima ratione fugere vellent. ex v. 7, 8, 9.

*Ratio* 1. Quia naturale hoc eſt fugere malum. 2. Quia vexatio eſt animo pio, impietatem videre dominantem. 2 Pet. 2. 7. 8. 3. Quia vita tranquilla per ſe magis convenit exercitio pietatis. 1 Tim. 2. 2. 1 Pet. 3. 7.

*Uſus Admonitionis*, ut caveamus ne noſtra aliqua culpa acccerſamus nobis hujuſmodi vexationes.

III. Querelæ & planctus de iſtis & omnibus noſtris preſſuris in preces debent converti. ex v. 3. *Plango in meditatione mea, & perſtrepo.* Jeſ. 38. 14.

*Ratio* 1. Quia magnum levamen inde ſequitur, quando exoneramus animos noſtros, & curas deponimus quaſi in ſinu faventis. 1 Sam. 1. 15. 16. Lam. 2. v. 19. 2. Quia hoc eſt nobis inſitum, ut anguſtias & ſollicitudines noſtras ad illum deferamus, in quo fiduciam habemus collocatam. Pſalm. 37.

37. 5. & 62. 9. 3. Quia idcirco sæpe immittuntur nobis mala, ut eo magis excitemur ad Deum quærendum. Hos. 5. 15. 4. Quia repræsentatio nostræ miseriæ coram Deo, est quasi efficax argumentum ad ejus misericordiam erga nos permovendam.

*Usus Directionis*, ne unquam dolori & angori alicui succumbamus, aut ad vana remedia confugiamus, sed in tempore coram Deo effundamus.

IV. In precibus adversus impios Ecclesiæ hostes instituendis, considerare juvat exempla judiciorum Dei adversus tales. ex v. 10. *absorbe, divide linguam eorum*. ubi in priore phrasi allusisse videtur David ad perditionem Dathanis, & Abirami. Numb. 16. in altera vero manifesta relatio apparet ad divisionem factam inter eos, qui turrim Babelis exstruere volebant. Gen. 11.

*Ratio* 1. Quia talia exempla declarant quam facile sit Deo suos & nostros hostes coërcere. 2. Declarant etiam Deum, quia sui similis manet, idem etiam suo tempore, & secundum sapientiam suam efficere velle. 3. In illum finem edita fuerunt & nobis nota facta hæc exempla, ut ex illis fides nostra ex occasione simili confirmetur.

*Usus Directionis*, ut non historice tantum, sed & practice attendamus ad exempla judiciorum Dei, ita ut ex eis fides nostra possit confirmari.

V. Hujusmodi exemplis præcipue confirmare nos debemus, cum iniquitas maxime videtur exultare, & omnia tenere in sua potestate. ex v. 10, 11, 12.

*Ratio* 1. Quia hæc est maxima tentatio, qua fides nostra impugnatur, atque adeo omnia præsidia requirit, ut possit repelli. 2. Quia hæc exultatio improbitatis gloriæ Dei maxime adversatur, cui fide saltem & piis votis, quantum in nobis est, consulere debemus. 3. Quia illud ipsum est tempus singularium judiciorum Dei, quando iniquitas pervenit quasi ad mensuram plenam.

*Usus Consolationis*, adversus terrores iniquitatis ad tempus prævalentis.

VI. Inter omnes iniquitatis injurias nulla magis afficit virum bonum, quam perfidia falsorum animorum. ex v. 13, 14, 15.

*Ratio* 1. Quia non tantum est præter se etiam contra omnem opinionem & exspectationem præconceptam. 2. Quia exprobrat illi, qui decipitur, quasi fatuam credulitatem. 3. Quia penetrat ad illum cordis affectum acerbe perturbandum, qui antea suaviter acquiescebat in amico;

*Usus Admonitionis*, ne temere complectamur illos amicitia, qui cum tempore quasi vento mutantur.

VII. Omnibus injuriis & tentationibus hominum opponere debemus orationem erga Deum. ex v. 17.

*Ratio* 1. Quia hac ratione illicita vindictæ cupiditas & similes animi perturbationes, quæ ex injuriis oriri solent, vel declinantur, vel coërcentur. 2. Quia sic Deo tribuitur gloria tam salutis nostræ, quam vindictæ justæ adversus inimicos nostros. 1 Pet. 4. 19. Rom. 12. 17, 19. 3. Quia hæc est expeditissima

tiſſima ratio ex omnibus periculis evadendi, ſicut eſt in textu.

*Vſus Directionis*, ut perpetuo ſtudeamus huic animi diſpoſitioni, quoniam officium eſt inclinationi naturali maxime adverſum.

VIII. Maxime conſentaneum eſt pietati, ut quotidie Deum invocemus ſtatis temporibus, ut veſpere, mane, & meridie. ex v. 18. Dan. 6. 11.

*Ratio* 1. Quia oratio noſtra debet eſſe aliquo modo perpetua. 1 Theſſ. 5. 17. Sed non poteſt perpetuo continuari, niſi quotidie in ea nos exerceamus. 2. Quia jubemur quotidie petere panem noſtrum quotidianum: & non minor eſt ratio, cur cæteras etiam Dei benedictiones quotidie petamus, & de eiſdem etiam eum laudemus. 3. Quia dies ſingulæ ſuam habent vexationem, oratione leniendam. Matth. 6. 34. & ſua bona, oratione ſanctificanda. 1 Tim. 4. 2. 4. Quia dies ſingulæ repræſentant nobis quaſi vitam noſtram totam: neque certi ſumus de pluribus diebus poſtea ſecuturis. Non poſſumus igitur per diem ullum Deum negligere, niſi etiam per totam vitam ſic agere parvi faciamus. 5. Quia tam inſtitutione de ſacrificio jugi, cum ſuffitu, mane & veſpere offerendo, quam communi inſtinctu piorum omnium, qui non ſunt in religione tepidi, praxis iſta nobis commendatur. Pſalmo. 14. 1, 2. 6. Quia quotidie ſingulares & novas cauſas habemus tam petitionis, quam gratiarum actionis. 7. Quia niſi quotidie ad Deum per orationem aſcendamus, neceſſe eſt ut animis deſcendamus, & ab ipſo longius recedamus. 8. Quia Deus quotidie nos inclamat, Operibus, Verbo, & Spiritu ſuo, ut faciem ipſius quæramus. 9. Quia fieri vix poteſt, ut quis agnoſcat ſe in præſentia Dei perpetuo verſari, & tamen integrum diem tranſigat ſine ulla religioſa ejus compellatione. inter homines non haberetur filius bonæ indolis, qui ſic negligeret patrem ſuum terreſtrem, nugas agens per totum diem in ejus præſentia, nullam exhibens ipſi reverentiam.

*Vſus Redargutionis*, adverſus profanum neglectum hujus officii etiam in familiis Chriſtianorum.

IX. In precibus fiduciam noſtram confirmare debemus recordatione bonitatis Dei, quam antea ſumus experti. ex v. 19, 20.

*Ratio* 1. Quia experientia hæc mixta cum fide eſt evidens teſtimonium, quod Deus nobis faveat. 2. In hoc teſtimonio reſponſum gratioſum accipimus à Deo, etiam quum incipimus precari. 3. Per iſtam applicationē experientiæ noſtræ ad uſum iſtum, oſtendimus bonitatem Dei non fruſtra nobis fuiſſe communicatam, atque adeo diſponimur ad ampliorem ejus communicationem, eoque Deum quaſi invitamus. 4. Hac ratione Deo tribuimus gloriam debitam immutabilitatis ſuæ. v 20.

*Vſus Directionis*, ut ad fidem ac ſpem noſtram confirmandam, bene obſervemus bonitatem omnem Dei, quam erga nos manifeſtat.

X. In exſpectatione judicii Dei adverſus impios, confirmari poſſumus, eorum obfirmata impietate, inhumanitate perfida, & perverſa, hypocriſi, cum ſimilibus vitiis ex v. 20. in fine 21, 22.

*Ratio* 1.

*Ratio* 1. Quia hæc sunt quæ Deus singulariter odit & abominatur. 2. Quia notæ sunt iniquitatis quæ mensuram suam fere implevit. 3. Quia signa vel notæ sunt perditionis.

*Usus Consolationis*, adversus vexationem omnem quæ per nequitiam ullorum hominum potest nobis creari.

XI. Fiduciæ confirmatæ actus est, Deo commendare omnes nostras curas, cum certa expectatione fœlicis eventus. ex v. 23, 24. Psalm. 37. 5. *Devolve super Iehovam viam tuam.* & v. 8. *Acquiesce Iehovæ.* Matth. 6. 25. Luc. 12. 22. *Ne estote soliciti*, &c. 1 Pet. 5. 7. *Omni solicitudine vestra in eum conjecta. nam ipsi cura est de vobis.*

*Ratio* 1. Quia fiduciam in Deo collocare, nihil aliud est, quam niti Deo, ut per ipsum à malo liberemur, & quod bonum est consequamur. 2. Quia quo major est fiducia nostra in Deo, eo minor est metus noster, & anxietas de eventu. 3. Quia ex ipsa fiducia nostra, si recta sit, certo concludere possumus Deum secundum promissionem suam daturum, quod expetimus nobis dari.

*Usus* 1. *Exhortationis*, ad istam fiduciam comparandam. 2. *Consolationis*, si per Dei gratiam sit nobis donata.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

Magistro symphoniæ, de anima vim patiente à manipulo longinquorum, insignis ode Davidis: quum prehenderent eum Pelischthæi Gathi:

2. *Gratiam fac mihi, Deus, nam anhelus persequitur me mortalis; toto die oppugnator opprimit me.*

3. Nam *anhelant observatores mei toto die, quia multi* sunt; *è sublimi propugnatores* adsunto *mihi*.

4. Quâ *die timebo, ego in te confidam.*

5. *In Deo laudabo verbum ejus; in Deo confidam, non timebo: quid faciat caro mihi?*

6. *Toto die rebus meis dolorem afferunt, contra me omnes cogitationes eorum ad malum* spectant.

7. *Conveniunt, delitescunt ipsi; vestigia mea observant, ut qui expetunt vitam meam.*

8. *Pro iniquitate periisse eis, in ira populos dejice Deus.*

9. *Tu vagationes meas in numerato habes: pone* quamque *lacrymam meam in utre tuo, an non essent in numerato tibi?*

10. *Tunc revertentur inimici mei retrorsum, qua die clamabo; hoc scio, Deum* adfore mihi.

11. *In Deo laudabo verbum, in Iehova laudabo verbum.*

12. *In Deo confido, non timebo: quid faciat homo mihi?*

13. *Mecum* erunt ô *Deus, vota tua; persolvam gratiarum actiones tibi.*

14. *Nam eripis animam meam à morte, annon pedes meos à lapsu* eriperes? *ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ.*

ANA-

## ANALYSIS.

PSALMI hujus occasio fuit apprehensio Davidis à Philisthæis Gathi. Quia vero bis eo confugerat, 1 Sam. 21. 10. & 27. 1, 2, 3. & ex occasione prioris conscriptus fuit Psalm. 34. hic Psalmus confectus videtur posteriore vice. Quod etiam inde apparet, quod in hoc Psalmo mentio fiat violentæ ac diuturnæ persequutionis, qualem priore vice David necdum fuerat expertus.

*Scopus* est petere à Deo protectionem & liberationem ab illis periculis, in quibus versabatur. v. 2. 8, 10. & 14.

1. Argumentum petitur à gravitate periculi, cui sine Dei speciali auxilio impar ipse fuit. Quod tam à vehementi impetu hostium, quam ab eorum pertinacia, & multitudine declaratur. v. 2, 3. 2. Argumentum petitur à fide & fiducia, quam habuit in Deo firmiter collocatam, in medio gravissimorum periculorum. Quæ illustratur 1. Ab effectu opposito, timore scilicet animum percellente, v. 4. *Qua die timebo, ego in te confidam.* 2. A causa ejus propria, *verbo*, aut promissione Dei ritè apprehensa & æstimata. v. 5. in principio. *in Deo laudabo verbum ejus.* 3. Ab oppositi timoris expulsione. ibidem in medio. *non timebo.* Cujus victoriæ propria ratio declaratur per comparationem inter objecta vel causas fiduciæ ac timoris, *Deum* & *carnem*, institutam. ibidem. & v. 11, 12. 3. Repetitur Argumentum 1. & explicatur gravitas periculi, ab hostium malitia, calliditate, & vigilantia. v. 6, 7. Argumentum 3. petitur à tutelari & paterna Dei providentia, qua rationem accuratam habet omnium periculorum, dolorum, querelarum & petitionum eorum, qui in ipso confidunt: quod etiam opportuno tempore faciet manifestum, v. 9, 10. 4. Argumentum 4. petitur à fructu gratæ Dei celebrationis, quam tum habuit animo destinatam, & postea esset præstiturus. v. 13. cujus ratio redditur. v. 14. quod finis sit divinæ liberationis.

## DOCUMENTA.

I. Pii homines quo magis angustiis premuntur, eo magis confugiunt ad gratiam Dei. ex v. 2, 3.

*Ratio* 1. Quia necessitas major apparet. 2. Quia securitas & torpor, qui alias obrepere solet, hac ratione excutitur. 3. Quia norunt pii omnes afflictiones à Deo immitti, & gubernari. 4. Quia hæc unica est ratio ex tentatione ac malo afflictionis prementis evadendi.

*Usus Directionis*, ut neque parvi faciamus castigationem Domini, neque animis frangamur, quando affligimur, Heb. 12. 5. sed ad Deum revertamur, qui percussit, & obligabit. Hos. 6. 1.

II. Dum confugiunt ad Deum, per fiduciam luctantur adversus metum. ex v. 4.

*Ratio* 1. Quia communis infirmitas carnis est metuere, sed spiritus est non metuere sine fiducia. 2. Quia sine fiducia non possumus Deum efficaciter invocare. 3. Quia fiducia est illud quod in tentatione præcipue impugnatur, & cujus cōfirmatio imprimis debet quæri.

*Usus* 1. *Consolationis*, ne sensu timoris animos abjiciamus, quasi sig-

signum esset infidelitatis. 2. *Directionis* ut in omni tentatione fiduciam veram in animis nostris excitare præcipue studeamus.

III. Ad fiduciam confirmandam unice facit condigna æstimatio verbi & promissionis Dei. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia hoc verbum Dei est fiduciæ nostræ regula, & mensura. 2. Est ejusdem fiduciæ caussa efficiens impellendo, procreans & conservans. 3. Est etiam exspectationis fiduciæ proprium objectum. 4. Valet adversus sensum, & omnia illa quæ in contrarium apparent, quatenus demonstrat, & facit fidei subsistere quæ non cernuntur. Heb. 11. 1. 5. Quia justa verbi æstimatio non potest à fiducia separari. 1 Joh. 5, 10.

*Vsus Directionis*, ut indies proficere studeamus in æstimatione & applicatione verbi Dei.

IV. Ad fiduciam ex verbo Dei confirmandam juvat sæpe comparare inter sese Deum & creaturas. ex v. 5. in fine.

*Ratio* Quia ad vincendum creaturæ metum, directe ac plurimum facit, apprehendere Deum infinite superiorem. vincere enim est superare.

*Vsus Directionis*, ut in istiusmodi meditationibus religiose nos exerceamus.

V. Ut fiduciam & consolationem habeamus in Deo, specialis & accurata ejus providentia est fide apprehendenda. ex v. 9.

*Ratio* 1. Quia in variis & singularibus augustiis, singularis requiritur conservatio. *Vagationes meas in numerato habes.* 2. Quia in variis & singularibus querelis, & invocationibus Dei, singularis requiritur exauditionis fides ad animi firmam consolationem. *Pone quamque lacrymam meam in utretuo.* 3. Quia hujus providentiæ fides sustentat animum pium adversus omnes terrores. Mat. 10. 29, 30.

*Vsus* 1. *Informationis*, Quod providentia Dei sit universalis, & specialis, accurata, certa, omnes & singulas actiones hominum curans, gubernans, & in bonum fidelium convertens. 2. *Directionis.* Quomodo doctrinam de providentia Dei credentes, candem ad nostram consolationem applicare debemus.

VI. Providentiæ Dei fides ad certam consolationem conjungi debent cum nominis ejus invocatione. ex v. 10. *quo die clamabo.*

*Ratio* 1. Quia hæc invocatio est agnitio & prædicatio providentiæ divinæ, & nostræ ex eadem per fidem dependentiæ. 2. Quia invocatio est medium sanctissimum, quo providentia Dei utitur ad nostram salutem procurandam.

3. Quia est quasi extensio manus fiduciæ nostræ ad providentiæ divinæ dona sancte recipienda.

*Vsus Redargutionis*, adversus eos qui fiduciam quandam profitentur in providentia Dei, & interim negligunt nominis ejus invocationem.

VII. Pro singularibus beneficiis divina providentia nobis concessis, singularis obligatio gratitudinis nobis incumbit. ex v. 13. *Super me, ô Deus, vota tua.*

*Ratio* 1. Quia Dei beneficia hoc à nobis merentur. 2. Quia fœderis nostri cum Deo initi ratio hoc requirit. 3. Quia hic est finis beneficiorum Dei. v. 14.

*Vsus Increpationis*, adversus eos qui ingrate devorant quam plurima Dei beneficia. VIII. Gra-

VIII. Gratitudo noſtra debet eſſe realis in vita & factis, non in verbis tantum, ex verſ. 14. *Vt indeſinenter ambulem coram Deo.*

*Ratio* 1. Quia beneficia Dei ſunt realia. 2. Quia ſyncerus cordis affectus totum hominem ſecum ſemper fert. 3. Quia Deus eſt omnibus viribus noſtris glorificandus, tam externe, quam interne.

*Vſus Exhortationis*; ad genuinam iſtam gratitudinem Deo exhibendam.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

*Magiſtro ſymphoniæ; ne perdas, Davidis ode inſignis: quum fugeret metu Schaulis in ſpeluncam.*

2. *Gratiam fac mihi Deus, gratiam fac mihi, nam ad te ſe recepit anima mea; & ad umbram alarum me recepturus ſum, donec tranſiverint ærumnæ.*

3. *Invocabo Deum excelſum,* Deum *fortem perficientem erga me.*

4. *Mitte è cælis ut ſervet me afficiens eum probro qui me anhelus perſequitur vehementiſſime: Mittet Deus benignitatem ſuam; & veritatem ſuam.*

5. *Ego inter immanes leones* ſum, *jaceo* inter *incendiarios:* inter *homines, quorum dentes haſtæ & ſagittæ* ſunt, *& quorum lingua* eſt *gladius acutus.*

6. *Exaltare ſupra cælos, ô Deus, ſuper totam terram gloria tua.*

7. *Rete aptaverant greſſibus meis, curvaverant animam meam;* quam *foderant ante me foſſam, cadunt in eam vehementiſſime.*

8. *Erecto animo meo, ô Deus; erecto animo meo, canam & pſallam,* diceus:

9. *Evigila gloria mea: evigila nablium & cithara; expergefaciam* inde ab *aurora;*

10. *Celebrabo te in populis Domine, pſallam te in nationibus:*

11. *Magnam* eſſe *uſque ad cælos benignitatem tuam, & ad ſuperiores uſque nubes veritatem tuam.*

12. *Exaltare ſupra cælos, ô Deus; ſuper totam terram gloria tua.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Pſalmi fuit ſingularis perſecutio Saulis, qua David in ſpeluncæ latibulum fuit redactus. 1 Sam. 24.

Scopus eſt petere liberationem. verſ. 1. *ne perdas.* Petitionis fundamentum præcipuum indicatur in generali modo quo proponitur v. 2. *gratiam fac mihi.* & ejuſdem inſtans ardor declaratur per illam ingeminationem petitionis: *gratiam fac mihi, Deus, gratiam fac mihi.*

*Primum* argumentum, quo hæc petitio urgetur, petitur à fiducia tanquam cauſa adminiſtrante, & diſponente ad liberationem, quæ allegorice declaratur ſimilitudine pullorum ſub gallina deliteſcenti-

um, ut periculum evadant. v. 2.

*Secundum* argumentum petitur ab ejusdem fiduciæ constanti exercitio precibus habitis, & insuper habendis. v.3. *invocabo.* quæ objecti sui ratione formali illustrantur, sufficientia scilicet & efficientia Dei. *Invocabo Deum excelsum, & perficientem erga me.*

Horum argumentorum conclusio explicatur v. 4. Davidem scilicet conservatum iri hostibus repressis. Quæ conservatio illustratur 1. Suo modo, quod perficietur voluntate ac jussu Dei, auxilium quasi nutu suo mittentis, quod derivatur ex titulo omnisufficientiæ. *Dei excelsi.* v.3.

Illustratur 2. A causa efficiente, benignitate ac veritate, quarum efficacia tam certa esse declaratur, ac si essent personæ divinæ visibiliter præsentes, ac pro Davide pugnantes. ibid in fine. *Mittet Deus benignitatem suam, ac veritatem suam.*

*Tertium* argumentum petitur ab immanitate periculi quo circumcludebatur David, tanquam à necessaria causa petitionis & objecto invitante Deum ad auxilium contra ferendum. v.5.

*Quartum* argumentum petitur à gloria Dei, quæ, per & propter istam liberationem, quasi extolleretur in altum ab angelis & hominibus, cum omni honore spectanda. v. 6. Quæ gloria illustratur 1 A singulari ejus materia, justa scilicet & proportionata coertione inimicorum improborum. v.7.

Illustratur 2. Ab instrumnentali ejus causa jam tum ad hoc officium parata, corde scilicet Davidis erecto. v. 8. cujus continuata præparatio primo exprimitur. vers. 9. secundo extensio operis aut fructus ejus ad populos ac nationes indicatur. v. 10. & tertio in loco, ipsa prædicatio gloriæ Dei repræsentatur, cum in objectiva sua ratione formali, *benignitate, ac veritate*, cum ejusdem quantitate cœlos omnes superante v.11.

## DOCUMENTA.

I. Quando homines nos perdere quærunt, tum Deus rogandus est ne ille nos perdere velit. ex v. 1. *ne perdas.* idem est titulus. Psal. 58, 59. & 75.

*Ratio* 1. Qua hominum consilia & conatus omnes Dei voluntati & providentiæ subjiciuntur; ita ut illi non possint quidquam facere, nisi Deo volente. 2. Quia omnia illa quæ homines faciunt possunt à Deo converti in nostrum bonum. 3. Quia nostrum est in omnibus præcipue respicere Deum & ejus voluntatem, tam in malis ferendis, quam in eisdem depellendis.

*Usus Directionis*, ne cogitationes nostras in hominibus aut causis aliis secundis defigi sinamus, sed meminerimus semper præcipue nobis negotium esse cum Deo.

II. Ad pericula evadenda, sic debemus ad media confugere, ut præcipue confugiamus ad Deum. ex v. 1. & 2. *David fugiens in speluncam, recepit se ad Deum.*

*Ratio* 1. Quia media omnia sunt frustranea & vana, nisi Deus per ipsa, & cum ipsis operetur. 2. Quia aliquid est mali in omnibus periculis quod per media externa non potest amoveri, ut malum tentationis. 3. Quia nisi Deus in mediis, & supra media respiciatur, convertuntur media in

in cauſas principales, atque adeo in Dei loco, tanquam idola, conſtituuntur.

*Vſus Directionis*, ut neque media negligamus, neque in ipſis acquieſcamus, ſed utamur ut mediis Dei.

III. Unica ratio confugiendi ad Deum, eſt conſtans nominis ejus invocatio. ex v. 3. *invocabo Deum.*

*Ratio* 1. Quia in precibus elevatur anima ad Deum. 2. Quia in precibus, fiducia illa exeritur qua anima in Deum recumbit. 3. Quia in precibus ſpes etiam illa declaratur, qua omnia bona à Deo exſpectantur.

*Vſus Exhortationis*, ad fervorem & conſtantiam in Deo invocando.

IV. Invocationis noſtræ propria ratio eſt ſufficientia, & efficientia Dei. ex v. 3. *excelſum, perficientem.*

*Ratio* 1. Quia in iſtis apprehenditur Deus & potens, & volens nos audire, ac juvare. 2. Quia ex iſthac apprehenſione ſpei noſtræ conſolatio fluit, adverſus noſtram impotentiam, & aliorum malevolentiam. 3. Quia iſtarum perfectionum manifeſtatio in maximam Dei gloriam cedit, quæ præcipue debet in præcibus noſtris ſpectari.

*Vſus Directionis*. Quomodo poſſimus corda noſtra ad invocationem Dei excitare, & confirmare.

V. Sufficientis efficientiæ Dei pro nobis facientis certitudo pendet ex benignitate & veritate Dei. ex v. 4. *Mittet benignitatem ſuam, & veritatem ſuam.*

*Ratio* 1. Quia fiducia ac ſpes noſtra tota pendet ex promiſſionibus Dei, quæ conſtant ex benignitate ac veritate. 2. Quia benignitas ac veritas Dei immediate ſpectantur in ejus invocatione, ad promiſſionum obſignationem & complementum.

*Vſus Directionis*, ut in precibus noſtris intueamur attente benignitatem & veritatem Dei.

VI. Nullius periculi gravitas tanta eſt, quin à benignitate & veritate Dei ſuperetur. ex v. 5. cum 4. Rom. 8. 35, &c.

*Ratio* 1. Quia Deus non circumſcribitur aut limitatur à rebus externis. Pſalm. 78. 41. 2. Quia benignitas Dei longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet majorem, quam ut poſſit comprehendi, nedum ſuperari. Epheſ. 3. 18, 19. 3. Quia benignitas Dei maxime ſolet ſuperabundare, ubi malum abundat. Rom. 5. 20.

*Vſus Conſolationis*, adverſus deſperationem, etiamſi mala, quibus premimur, videri poſſint ineluctabilia, & plane deſperata.

VII. Ex benignitatis & veritatis Dei manifeſtatione ſingulariter pendet gloria nominis divini. ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia ſumma Dei perfectio hac ratione manifeſtatur. 2. Quia manifeſtatur in conſolationem ac ſalutem eorum qui confidunt in ipſo; atque adeo in aliorum vel converſionem, vel confuſionem. 3. Quia iſta perfectio maxime celebratur in Eccleſia, cujus felicitatem procurat.

*Vſus* 1. *Directionis*, ut iſtius gloriæ manifeſtationem in precibus ac votis noſtris intendamus.

2. *Exhortationis*, ut ejus nomine perpetuo Deum celebremus.

VIII. Singulariter facit ad gloriam Dei illuſtrandam, quando no-

notabilis proportio apparet inter peccatum & pœnam ipsorum. ex v. 7.

*Ratio.* Quia justitiæ, & providentiæ divinæ accurata ratio magis apparet.

*Usus Directionis*, ut diligenter observemus istiusmodi dispensationes Dei, & in eisdem nomen ejus glorificemus.

IX. Ad Deum glorificandum debemus nos totos omni modo præparare, & excitare. ex v. 8, 9.

*Ratio* 1. Quia Deus hoc à nobis ita meretur, ut officium nostrum nunquam satis possimus implere. Nehem. 9. 5. 2. Quia magna laboramus ineptitudine, & tarditate in hoc officio præstando. 3. Quia multa sunt quæ requiruntur ad Deum toto corde, toto animo, & omnibus viribus celebrandum. *Canam & psallam, gloria, nablio, cithara.*

*Usus Exhortationis*, ut cum omni diligentia & religiosa cura exerceamus nos, tam privatim quam publice, in eis mediis quibus ad hoc officium parari & excitari possimus.

X. Pertinet ad officium nostrum, in Deo glorificando, ut apud quamplurimos ex occasione ipsum celebremus. ex v. 10.

*Ratio* 1. Quia manifestatio gloriæ divinæ hoc pacto fit extensione sua major. 2. Quia hac via excitantur alii ad Deum nobiscum glorificandum. Matth. 5. 16. Psalm. 34. 4.

*Usus Admonitionis*, ne pudeat nos hoc facere coram quibusvis, ex occasione justa.

XI. Ad officium hoc celebrationis Dei rite præstandum necessaria est admiratio magnitudinis, benignitatis & veritatis Dei. ex v. 11.

*Ratio* 1. Quia nulla potest esse proportio inter affectum nostrum & bonitatem Dei, nisi per apprehensionem infinitæ bonitatis, quæ superans apprehensionem, eandem rapit in admirationem.

*Usus Admonitionis*, ne acquiescamus in qualibet apprehensione & celebratione bonitatis Dei, sed admirando laudemus eam, & laudando admiremur.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

*Magistro symphoniæ, ne perdas; Davidis* ode *insignis.*

2. *An re vera, ô manipule; justitiam loquimini? quæ recta* sunt *judicatis, filii hominis?*

3. *Quin etiam ex animo iniquitates operamini; in hac terra violentiam manuum vestrarum appenditis.*

4. *Abalienant se improbi inde à vulva, aberrant inde ab utero loquentes mendacium.*

5. *Venenum est illis simile veneno serpentis, sicuti aspidis surdæ obturantis aurem suam.*

6. *Quæ non auscultat voci mussitantium; utentis incantationibus peritissimis.*

7. *O Deus, destrue dentes eorum in ore ipsorum; molares juvenum leonum demolire Iehova.*

8. *Lique-*

8. *Liqueſiant ſicut aqua, indeſinenter abeant; intentantib ſagittas ſuas, tanquam in ſpicas abeant* ſagittæ.

9. *Sicut limax liqueſcens abeat* quiſque, ut *abortus mulieris*, ut qui *non viderunt ſolem.*

10. *Quum nondum ſentientur ſpinæ veſtræ*, ſpinæ *cinosbati: tam redivivam, quam aduſtam procellet quamque.*

11. *Lætabitur juſtus, quum viderit ultionem, pedes ſuos lavabit in ſanguine improbi.*

12. *Dicetque homo, utique* eſt *fructus juſto; utique eſt Deus,* eſt *judex in terra.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Dadivis in hoc Pſalmo eſt ſemetipſum conſolari adverſus inimicorum ſuorum iniquas molitiones, ipſosque ſimul acriter admonere, ad eorum vel emendationem, vel convictionem & terrorem.

In iſtum finem 1. Inimicos ſuos arguit maximi reatus peccati. ad v. 7. 2. Denunciat graviſſima Dei judicia ipſos apprehenſura. v. 11. 3. Declarat uſum & fructum eorum judiciorum quoad pios. v. 11, 12. 1. Peccatum ipſorum deſcribitur negative ex privatione officii quod ipſis incumbebat, juſte & recte judicandi, ac loquendi. v. 2. 2. Affirmative per gradationem ad majus: quod ſcilicet non tantum non recte & juſte judicarent, ſed ex adverſo omnem ſuam operam injuſtitiæ navarent. v. 3. *quinetiam iniquitates operamini.* Ubi etiam hæc injuſtitia exaggeratur. 1. A quantitate, quod non ſimplex fuerit, ſed multiplex & quaſi generalis, *iniquitates*. 2. A cauſa, quod non tam ex metu Saulis, quam ex proprii cordis malitia profluxerit. *ex animo vel corde*. 3. A perfectionis gradu comparative explicato, quod eandem accurationem adhibuerint circa injuſtitiam, qua juſtitiam debuerant procurare: *appenditis*. 4. A ſubjecto loco in quo hæc injuſtitia exercebatur: *in hac terra*. Denique peccatum ipſorum amplificatur tam ab adjuncta duratione, quod incepei i: à prima nativitate v. 4. quam qualitate ejus mortifera, ſimili veneno aſpidis v. 5. & ſimul à deſperatæ obſtinationis adjuncto, qua contra omnia commutationis media manebat invictum. v. 6. 2. Judicium Dei (ſub imprecationis forma,) 1. Deſcribitur ſuis partibus, quod poteſtas & vires, quibus ad nocendum abutebantur, ipſis adimerentur. v. 7. quod ipſimet una cum ſuis telis quaſi in nihilum diſſolventur. verſ. 8, 9. 2. Tempus opportunum ejuſdem judicii notatur, quod opprimet ipſos antequam pii ab ipſis opprimantur. v. 10. 3. Uſus & fructus hujus judicii apud pios, eſt. 1. Lætitia magna. v. 11. 2. Fidei confirmatio, & Dei celebratio. v. 12.

## DOCUMENTA.

I. Improbiſſimi homines præ ſe ferre ſolent juſtitiæ & rectitudinis curam. ex v. 2. *an revera, &c.*

*Ratio* 1. Quia nonnunquam ita sunt occæcati & perversi, ut malum vocent bonum. Jes. 5. 20. Joh. 16. 2. 2. Quia famam magis quam conscientiam aut Deum metuentes, cupiunt videri justi, quum sint maxime injusti.
2. Quia maxima ex parte injustitia habet aliquem prætextum paratum, quo apud imperitos potest palliari, & videri justum.

*Usus Admonitionis*, ut magis quæramus esse, quam videri justi.

II. Improbi maxima ex parte conscii sunt sibimetipsis suæ improbitatis. ex v. 3. *in corde.*

*Ratio* 1. Quia proposita & intentiones suas norunt, quibus student improbitati. 2. Quia ista proposita cordis dissentiunt plane ab externa ipsorum professione. 3. Quia subinde à cordibus & conscientiis suis arguuntur suæ nequitiæ.

*Usus Admonitionis*, ut corda nostra imprimis curemus recta & integra conservare.

III. Augetur, non minuitur injustitia simulata specie justi. v. 3. *appenditis.*

*Ratio* 1. Quia conscientia mala simulata specie fovetur. 2. Quia justitia ipsa cogitur aliquo modo injustitiam fovere, & in ejus participationem transire. 3. Quia nequitia hac ratione armatur, & confirmatur, adversus omnem spem correctionis.

*Usus Condemnationis*, adversus eos qui sub specie juris injustitiam exercent. Psalm. 94. 20.

IV. Augetur etiam injustitia, quando exercetur in terra justitiæ. ex v. 3, *in hac terra.* Jes. 26. 10.

*Ratio* 1. Quia plus legis violatur, dum plura media bene vivendi contemnuntur. 2. Quia gravius admittitur scandalum. 3. Quia Dei nomen hac occasione blaphematur.

*Usus Admonitionis*, erga membra Ecclesiæ, ut eo magis sibimet caveant à peccatis, quia sunt tales.

V. Quo diutius improbitas in improbis duravit, eo magis sunt desperati. ex v. 4.

*Ratio* 1. Quia peccati continuatio est aliquo modo ejusdem repetita multiplicatio. 2. Quia per continuationem peccati gignitur habitus peccandi, & sic peccatum fit magis plene peccans. 3. Quia peccatum diu infixum est magis immobile. 4. Quia hac ratione cor obduratur, tollitur sensus & extinguitur conscientia peccati. 4. Quia hoc pacto peccator magis abalienatur à Deo, & Deus ab ipso, sicut est in textu.

*Usus Admonitionis*, ne differamus resipiscentiam nostram, sed hodie ad Deum revertamur.

VI. Peccatum regnans est plane simile mortiferi veneni. ex v. 5.

*Ratio* 1. Quia peccatori infert mortem. 2. Quia eo etiam tendit, ut aliis lethaliter possit nocere. Rom. 3, 13. 3. Quia mala quæ infert, nulla arte humana possunt curari.

*Usus Directionis*, ut judicio, affectu, & omni parte conversationis, sic nos geramus adversus peccatum, sicut adversus pessimum venenum.

VII. Complementum peccati in eo consistit, quod vincat omnia media correctionis. ex v. 5, 6.

*Ratio* Quia hæc eſt obſtinatio in peccato, reſipiſcentiæ ſpem excludens.

*Vſus Admonitionis*, ut caveamus nobis ne emendationis ac ſalutis mediis obſtinate reſiſtamus.

VIII. Adverſus iſtiuſmodi Dei & Eccleſiæ hoſtes optare & ſperare poſſumus ac debemus ſingularem Dei vindictam. ex v.7,8, 9,10.

*Ratio* 1. Quia Dei gloria & Eccleſiæ ſalus hoc requirit.

2. Quia Deus hoc minatus eſt impiis, Eccleſiæ promiſit, & abſolute futurum prædixit.

*Vſus Directionis*, Ne temere utamur imprecationibus adverſus hunc aut illum male nobis facientem, ſed adverſus deſperatos Eccleſiæ hoſtes.

IX. Ex Dei judiciis adverſus impios, pii debent in pietate magis ædificari. ex v.11,12.

*Ratio* 1. Quia gloria Dei in juſtitia ejus illuſtratur, qua excitari debent ad majorem honorem ipſi tribuendum. 2. Quia impiorum repreſſio eſt piorum liberatio & victoria; cujus nomine Deus eſt ſingulariter laudandus. v.11.

3. Quia experientia iſta confirmatur fides de fructu pietatis in æterna felicitate percipiendo. v.12.

*Vſus Directionis*, ut tam judicia quam beneficia Dei ſint nobis ſemper, fidei ſigilla, & incitamenta pietatis.

## PSALMUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

*Magiſtro ſymphoniæ, ne perdas, Davidis ode inſignis, quum miſiſſet Schaul qui obſervarunt domum illius, ut morte afficerent illum.*

2. *Libera me ab inimicis meis, Deus mi; ſupra erigentes ſe contra me extolle me.*

3. *Libera me ab iis qui operam dant iniquitati, & ab hominibus ſanguinariis ſerva me.*

4. *Nam ecce, inſidiantur vitæ meæ, conveniunt contra me robuſti; nulla defectione mea nulloque peccato meo, Jehova.*

5. *Nulla iniquitate* mea *concurrunt & comparant ſe: evigila* venturus *obviam mihi, & reſpice.*

6. *Tu ergo Jehova, Deus exercituum, Deus Iiſraëlis, expergiſcere ad viſitandum omnes gentes iſtas: ne gratiam facias ullis perfide agentibus iniquitatem ſumme.*

7. *Revertuntur veſpere, ganniunt ut canis; & circumdant civitatem.*

8. *Ecce, eructant ore ſuo, gladios* adhibent *ad labia ſua; nam quis audit?* inquiunt.

9. *At tu Iehova ridebis eos; ſubſannabis omnes iſtas gentes.*

10. *Robur obtinente illo, te obſervabo; nam Deus* eſt *editus locus meus.*

11. *Deus benignitatis meæ præveniet me: Deus faciet ut aſpiciam obſervatores meos:*

12. *Ne occidas eos, ut non obliviſcantur populares mei: exagita eos v... tua, & dejice eos, clypeus noſter Domine.*

13. *Peccatum oris ſui, verbum labiorum ſuorum, quando fuerint*

*deprehensi in superbia sua; tum præ execratione, tum præ macie enarrent.*

14. *Consume æstu, consume, donec non sint* amplius; *ut sciant, Deum summe dominari in Jahakobo, usque ad fines terræ.*

15. *Quum revertuntur vespere, ganniant ut canis; & circumdent civitatem.*

16. *Seipsos exagitent ad comedendum, quum non fuerint saturati, tum cogantur pernoctare.*

17. *Ego vero canam robur tuum, & cantabo in matutinum quodque benignitatem tuam; te fuisse locum editum mihi & perfugium* quo die fuit *angustia mihi.*

18. *O robur meum, tibi psallam; Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit insidiatio, obsessio, & vis tentata adversus Davidem in sua propria domo per Saulis administros. v. 1, 4, 5. cujus rei historia narratur 1 Sam. 19. 11, &c.

Scopus est à Deo petere protectionem & liberationem. v. 2, 3. & 5. una cum hostium coërtione, tanquam medio necessario ad istam liberationem. v. 6.

Hæc petitio 1. suadetur ab adjunctis qualitatibus hostium, quod fuerint in genere improbi, & in specie crudeles homicidæ. v. 3. & 4. in principio. Hoc autem demonstratur 1. A qualitate Davidis, qua persequutorum iniquitas aggravatur, quod scilicet innocens fuerit, neque ullam causam dederit huic odio & crudeli insectationi hostium suorum. vers. 4. & 5. 2. Illustratur per similitudinem gentium à populo Dei alienarum. v. 6. 3. Describitur ab effectis. v. 7, 8. Quæ sunt 1. sedulus conatus male faciendi: *revertuntur vespere.* 2. Efferatus impetus ad eundem conatum perficiendum: *ganniunt ut canis.* 3. Indefessa pertinacia in proposito persequendo: *circundant civitatem.* 4. Impudens professio & jactatio crudelitatis conceptæ, & opinione sua statim exequendæ: *eructant ore suo gladios.* Quorum omnium effectorum causa procreans & conservans notatur, impia scilicet & carnalis securitas, quod clam & impune facere possint quod volunt: *nam quis audit?*

Huic autem securitati impiorum opponitur ad consolationem & spem certam petitionis obtinendæ 1. Potens & efficax Dei providentia. v 9. 2. Firma Davidis fiducia in illa providentia fundata. v. 10. 3. Utriusque effecta, in Davidis protectione tempestiva. v. 11. & hostium depressione, sic temperata, ut pii ædificentur. v. 12, 13. ipsimet vel inviti Dei potentiam agnoscant. v. 14. in judiciis ipsius ad eorum scelera proportionatis. v. 15, 16. comp. cum 7, 8. Hæc vero omnia illustrantur & suadentur effecto communi celebrationis nominis divini. v. 17, 18. Sequuntur propria hujus Psalmi

## DOCUMENTA.

I. Impii homines ex mera impietate sunt crudeliter sæpe affecti erga pios. ex v. 2, 3. Gen. 3. 15. Prov. 29. 27.

*Ratio* 1. Quia ſunt alieni à mundo. Johan. 15. 19. 1 Pet. 4. 4.
2. Quia impii habent naturam ferarum beſtiarum, & pii ſunt quaſi oves. Matth. 10. 16. Luc. 10. 13.
3. Quia mundum arguunt ſuæ impietatis, ſplendentes ut faces in medio tenebrarum. Joh. 3, 19, 20. cum Epheſ. 5. 11, 13. Phil. 2. 15, 16.
4. Quia Chriſtum odio proſequuntur, cujus imaginem vident in piis. Joh. 15. 18, 19.

*Vſus Admonitionis*, erga pios, ne mirentur, aut perturbentur, ſi mundi odium experiātur. 1 Joh. 3. 12, 13.

II. Singularis eſt conſolatio piorum, ſi nullo peccato cauſam aut occaſionem præbuerint odio & inſectationi improborum, ex v. 4, & 5.

*Ratio* 1. Quia conſcientia bona ſuſtentat hominem in omni afflictione. Prov. 18. 14. *Spiritus viri ſuſtentat ægritudinem ipſius.*
2. Quia in tali afflictione ſignum apparet manifeſtum, Deum à piorum partibus ſtare, & hoſtibus ipſorum adverſari. 2 Theſſ. 1. 5, 6. *Indicium eſt juſti judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam iſta patimini: Siquidem juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere illis, qui affligunt vos, afflictionem.* 3. Quia talis afflictionis perpeſſio habet promiſſionem exitus beati. Mat. 5. 11, 12. 1 Pet. 3. 14. *Si perpetiamini propter juſtitiam, beati eſtis.* 4. Quia conſcientia bona facit, ut cum fiducia poſſimus à Deo pendere, & ipſius opem implorare. Pſal. 66. 18. *Ad iniquitatem ſi ſpectaſſem animo meo, non exaudiviſſet Dominus.* Heb. 10. 22. *Accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, aſperſione purgatis cordibus à conſcientiâ malâ.* 1 Pet. 4. 19. *Qui malis affici untur ex voluntate Dei, tanquā fideli Conditori commendent animas ſuas bene agendo.*

*Vſus Directionis*, ut in conſcientiæ bonæ cura ſtudeamus conſolationi adverſus odia & inſectationes mundi. *Ne quiſquam veſtrum malo afficiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, alienarum rerum inſpector. &c.* 1 Pet. 4. 15, 16, &c.

III. Judicia Dei adverſus impios perſequutores ita diriguntur, ut Eccleſia inde maxime poſſit ædificari, impii convinci de potentia & juſtitia Dei, ex v. 12, 13, 14.

*Ratio* 1. Quia in iſtis conſiſtit gloria illa Dei, quæ ex judiciis ejus emanat. 2. Quia Deus hac ratione judicans inter pios & impios diſtribuit utriſque quod convenit ipſis. 3. Quia utrumque horum neceſſario ſequitur ex miſericordia, juſtitia, potentia, & veritate Dei in ſuis judiciis declarata.

*Vſus Admonitionis*, ne feſtinemus nimis, aut præſcribamus Deo modum judicandi, ſed in iſta fide acquieſcamus.

IV. Qui more beſtiarum peccant, beſtiali modo afficientur pœnis, ex v. 15, 16. comp. cum 7.

*Ratio* 1. Quia ſui ſunt ſimiles in agendo, & patiendo. 2. Quia Deus proportionem obſervat ſæpe manifeſtam inter peccatum & pœnam.

*Vſus Admonitionis*, ut caveamus nobis à moribus beſtialibus.

## PSALMUS SEXAGESIMUS.

M*Agiſtro ſymphoniæ, in hexachordis teſtimonii, ode inſignis Davidis, ad docendum*

2. Quum

2. *Quum certaret contra Syros Mesopotamienses, & contra Syros Tzobæ; & reversus Joab percussisset Edomæos in valle Salis duodecies mille.*

3. *O Deus, rejeceras nos, disruperas nos, iratus fueras, restitue* te *nobis.*

4. *Commoveras terram, diffregeras eam; cura fragmenta ejus, nam vacillat.*

5. *Feceras ut sentiret populus tuus* rem *duram, dederas bibendum nobis* tanquam *vinum horrorem.*

6. *Dedisti timentibus te vexillum, quo utantur: propter veritatem potentissime:*

7. *Ut liberentur dilecti tui; serva dextera tua, & exaudi me.*

8. *Deus loquutus est per sanctitatem suam, exultabo: in partem obtineo Schecemum, & convallem Succotharum metior:*

9. *Meus Gilhad, & meus Menasche, Ephrajimque, robur capitis mei; Iehuda legislator meus.*

10. *Moab pollubrum meum; supra Edomæum projiciam calceum meum; contra me, Palestina, clangentem age,*

11. *Quis deduceret me in civitatem munitam? quis duceret me* Edo*mæam usque?*

12. *An non tu, Deus, rejeceras nos; ut non procederes, Deus, inter exercitus nostros?*

13. *Cedo nobis auxilium* tuum *ab hoste: alioqui vanitas* est *auxiliatio humana.*

14. *In Deo faciamus strenue, & ipse conculcabit hostes nostros.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit bellum quod gessit David cum Syris & Edomæis. v. 2. Scopus est petere à Deo, ut vellet se ducem tutelarem & protectorem præbere in isthoc bello. Quæ petitio cum respectu ad privationem anteced. proponitur. v. 3. in fine. *restitue te nobis.* & cum indicatione effectorũ illius privationis. v. 4 *cura fragmenta terræ*, cum declaratione modi. v. 7. *serva dextra tua.* & tãdem simpliciter explicatur v. 13. *Cedo nobis auxilium tuum ab hoste.*

Arguitur hoc auxilium, quod petitur & illustratur. 1. A privatione ejus, & oppositione adversa, una cum miseris earũ effectis. v. 3, 4, 5. *Rejeceras nos, iratus fueras, disruperas, cõmoveras terrã, diffregeras eam, vacillat, feceras sentire rem duram, horrorem.*

Arguitur 2. & suadetur ab adjuncto antecedente, sub ratione pariũ, singulari nempe signo favoris, & spei bonæ, instar *vexilli*, quod sua causa illustratur, *veritate*, scil. Dei v. 6.

Arguitur 3. & præcipue suadetur à sua propria causa, promissione scil. Dei juramento confirmata, per fidem apprehensa, & applicata, v. 8. *Deus loquutus est per sanctitatem suam, exultabo.* Hæc autẽ promissio (tanquam præcipuum spei & consolationis in petitione obtinenda fundamentum.) 1. Prolixe describitur v. 8, 9, 10. & quia promissio est imperii & victoriæ, idcirco describitur per inductionem populorum

rum ad quos extenderetur, id eſt, tam Iſraëlitarum. v. 8,9. quam hoſtium ipſorum. v. 10. qui diſtinguuntur adjunctis modis imperii, quod reſpectu Iſraelitarum futurum eſſet civile & liberale. v. 8, 9. ſed reſpectu hoſtium ſeverum & grave.v.10.

Eadem etiam promiſſio illuſtratur ſuo effecto, alacritate ſcil. Davidis, in expeditione ſuſcipienda cum fiducia magna,v.11,12.quæ illuſtratur oppoſitæ fiduciæ negatione. v. 13. & exhortatione ad alios cõmilitiones tanquam effecto.v.14.

## DOCUMENTA.

I. Deus populum ſuum dilectum aliquando deducit ad duriſſimas & horribiles calamitates. ex v.3,4,5.

*Ratio* 1. Quia gravia & horribilia committunt peccata.

2. Quia in iſtis malis diſcere debent quantum mali ſit in peccato.

3. Quia per iſta media excitari debent ad Deum quærendum, ipſique fidelius adhærendum.

*Vſus Admonitionis*, ne animis perturbemur, aut fide vacillemus propter Eccleſiæ calamitates.

II. Officium piorum eſt, tempore publicæ calamitatis precibus apud Deum ſingulariter inſtare, ut vellet eaſdem removere. ex toto Pſalmo.

*Ratio* 1. Quia ſic gloria tribuitur Dei potentiæ, juſtitiæ, & miſericordiæ directæ. 2. Quia preces ſunt media à Deo inſtituta ad omnia beneficia ab ipſo impetranda.

3. Quia hac ratione fides excitatur & animæ noſtræ in communione cum Deo detinentur, quæ eſt ipſarum vita & beatitudo.

*Vſus Exhortationis*, ad aſſiduas & fervidas preces.

III. Signa ſpei & conſolationis, quæ Deus nobis exhibet, obſervari & apprehendi debent ad fiduciam confirmandam, & preces accendendas. ex v.6,7.

*Ratio* 1. Quia Deo debetur iſte honor & gratitudo. 2. Quia hac ſola ratione ſigna à Deo exhibita ſuum finem conſequuntur.

*Vſus Admonitionis*, ne in ulla calamitate locum demus ſtupori & deſperationi.

IV. In Dei promiſſionibus debemus per fidem ſemper exſultare. ex v.8,&c.

*Ratio* 1. Quia promiſſio Dei exhibet nobis omnipotentiam & ſanctam fidelitatem Dei tanquam pignora felicis eventus. 2. Quia ſic in Deo exſultamus & maximum ipſi tribuimus honorem. 3. Quia fidei noſtræ perfectio in hac exſultatione conſiſtit.

*Vſus Exhortationis*, ad fidem & fiduciam noſtram huc uſque promovendam.

V. Fiducia vera parit alacritatem ſingularem in officio præſtando, eamque puram. ex v.11,&c.

*Ratio* 1. Quia certos nos reddit de felici ſucceſſu.

*Vſus Exhortationis*, ut fidem & fiduciam noſtram ex hac alacritate oſtendere ſtudeamus.

## PSALMUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

*Magiſtro ſymphoniæ fidium*, Ode *Davidis*.

2. *Audi Deus, clamorem meum; attende orationi meæ.*

3. *Ab*

3. *Ab extremitate terræ te inclamo, quum obruitur animus meus: in rupem* quæ *sit editior me deducito me:*

4. *Nam fuisti receptus mihi, turris robusta adversus inimicum.*

5. *Commorabor in tentorio tuo* per *secula: recipiam me in occultum alarum tuarum maxime.*

6. *Cum tu, Deus, auscultaveris votis meis, dederis hæreditatem* suam *reverentibus nomen tuum:*

7. *Dies diebus regis superaddito, anni ejus* sint, *ut multarum generationum.*

8. *Maneat in seculum coram Deo; benignitatem & fidem præpara* quæ *custodiant eum.*

9. *Sic psallam nomini tuo in perpetuum, rependendo vota mea quotidie.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit persequutio Davidis, qua pellebatur in extremitatem terræ, per conspirationem (ut videtur) Absbalonis. 2 Sam. 24. 17. & gravis cordis anxietas inde exorta. v. 3.

Scopus est, in hac extremitate auxilium Dei implorare. Petitio hæc 1. Generaliter proponitur v. 2. 2. Specialiter magis describitur per comparationem virium suarum, quas impares esse fatetur istis malis eluctandis. v. 3. in fine. 3. Suadetur 1. Ab experientia similis liberationis à Deo antea concessæ. v. 4. 2. A fructu constantis adhæsionis ad Deum. v. 5. 3. A communitate hujus beneficii & fructus optati, quod scil. pertineret ad omnes pios, v. 6. 4. Ex occasione piorum nominatorum, & fœlicitatis ipsorum, petitionem suam urget, quasi eorum nomine per prosopopæam, eamque sic amplificat, ut ad Christum ipsum, cujus typus fuit, & regnum ejus extendat. v. 7, 8. Quod effecto suo illustratur. v. 9. celebratione scil. nominis divini.

### DOCUMENTA.

I. In summis extremitatibus, etiamsi obruatur cor nostrum anxietate, in precibus piis inveniemus levamen. ex v. 3 in princ.

II. Quamvis difficultates illæ, quibus premimur, longe superent vires nostras, nunquam tamen superant potentiam Dei. v. 3. in fine.

III. Corda nostra in precibus confirmare debemus recordatione pia beneficiorum Dei præteritorum. ex v. 4.

IV. Proprius fructus beneficiorum Dei est, ut constantius & arctius ipsi adhæreamus, secundum ejus voluntatem. ex v. 5.

V. Spes & consolatio major est in afflictione, si causa nostra sit communis causa piorum. ex v. 6.

VI. In piorum causa versatur duratio regni Christi. ex v. 7, 8.

VII. Celebratio nominis Dei est gloria illius regni. ex v. 9.

## PSALMUS SEXAGESIMUS SECUNDUS.

M*agistro symphoniæ in Jeduthune, Psalmus Davidis.*

2. *Tantummodo in Deo conquiescit anima mea: ab eo salus mea* ste.

3. Tan-

3. *Tantummodo ipſe rupes mea* eſt *& ſalus mea ; locus editus meus, non dimovebor* motione *magna.*

4. *Quouſque machinabimini ærumnas in virum? occidemini vos omnes,* eritis *ſimiles muro pando, materiæ impulſæ.*

5. *Tantummodo de excellentia ejus conſilia ineunt depellendi* eum, *delectantur mendacio ; ore ſuo benedicunt, intra ſe vero maledicunt vehementiſſime.*

6. *Tantummodo in Deo conquieſce anima mea ; nam ab eo* eſt *exſpectatio mea.*

7. *Tantummodo ipſe rupes mea* eſt *& ſalus mea : locus meus editus, non dimovebor.*

8. *In Deo* eſt *ſalus mea & gloria mea ; rupes robuſta mea receptus meus* eſt *in Deo.*

9. *Confidite ei omni tempore, ô popule, effundite coram eo animum veſtrum : Deus receptui nobis* eſt *maxime.*

10. *Tantummodo vanitas* ſunt *nati plebeio homine, mendacium* ſunt *nati præſtante viro: lancibus illi ſimul impoſiti, aſcenſuri* eſſent *ſupra vanitatem.*

11. *Ne confidatis oppreſſioni, & rapina ne evaneſcatis ; opulentia ſi abundet, ne apponatis animum.*

12. *Semel loquutus eſt Deus, bis idem audivi ; robur eſſe Dei,*

13. *Et tuam* Eſſe *Domine benignitatem, te repenſurum cuique ſecundum opus ſuum.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Pſalmi eſt inſtituere populum circa fiduciam erga Deum.

In iſtum finem 1. Proponit ſuum exemplum, cum ſuæ fiduciæ profeſſione uſque ad v. 9. 2. Exhortatur alios ad idem faciendum à v. 9. ad 12. Et 3. Principium & fundamentum veræ fiduciæ declarat, v. 12, 13.

1. In exemplo ſuo proponendo. 1. Profiteur, & deſcribit fiduciam ſuam, v. 2, 3. 2. Eandem illuſtrat per comparationem oppoſitionis inimicorum ſuorum, qui fiduciam ſuam impugnatum ibant. verſ. 4, 5. 3. Confirmat ſemetipſum in illa fiducia. v. 6, 7, 8.

Deſcriptio fiduciæ eſt 1. Ab objecto, *in Deo.* 2, A ſubjecto, *anima mea.* 3. Ab effecto, *ab eo ſalus mea.* Quorum duorum, objecti ſcilicet & effecti ratio clarius illuſtratur. v. 3.

Illuſtratio hujus fiduciæ per oppoſitionem innuitur in illa particula bis repetita, *tamen* vel *tãtummodo*. v. 2. & 3. ſed clarius proponitur. v. 4. 1. Per modum increpationis tanquam rei vanæ. 2. Prædictionis infauſti eventus, tanquam conatus irriti & fruſtranei. Et 3. Convictionis, tanquam nequitiæ ſceleratæ cum diſſimulatione conjunctæ. v. 4, 5.

Confirmatio fiduciæ repræſentatur per meditationem, inculcationem & pleniorem apprehenſionem Dei, & ſalutis ejus, id eſt, objecti & effecti fiduciæ veræ. v. 6, 7, 8.

Exhortatio erga populum perficitur.

ficitur. 1. Notatione tẽporis universalis: *omni tempore*. 2. Effecti & actus ejus proprii qui in precibus collocatur: *effundite coram eo animum vestrum*. 3. Singularis ejus sufficientiæ & efficientiæ ad fiduciam sustinendam. v. 9. Quorum ultimum illustratur dissimili & incomparabili vanitate hominum. v. 10. sicut & oppressionis, rapinæ & divitiarum. v. 11.

Principium & fundamentum veræ fiduciæ collocatur in verbo Dei, accuratum & perfectum testimonium præbente potentiæ, benignitati, & providentiæ Dei ad fiduciam nostram stabiliendam. v. 12, 13.

## DOCUMENTA.

I. In fiducia vera anima hominis cum silentio acquiescit in Deo. ex v. 2. Exod. 14. 13. Jes. 3. 15. Psalm. 37. 7. & 131. 3. Non autem intelligitur silentium à precibus, & confessione. Psalm. 116. 10. 2 Cor. 4. 13. sed à murmuratione, & impotentibus querelis.

*Ratio* 1. Quia subjicit sese Dei voluntati. Psalm. 39. 10. 2. Quia cavet sibi à peccato. Psalm. 39. 2. 3. Quia bonum exitum patienter exspectat. Jac. 5. 7, 8, 10, 11.

*Usus Directionis*, ut fiduciam nostram ex isthoc signo exploremus.

II. Ad fiduciam talem necessaria est multa & frequens meditatio ac ruminatio sufficientiæ ac efficientiæ Dei. ex v. 3.

*Ratio* 1. Quia in illis ratio & causa fiduciæ versatur. 2. Quia per meditationem istam apprehensio Dei redditur firmior, & sic fiducia alitur & augetur. 3. Quia hæc meditatio per oppositionem directam vincit tentationes diffidentiæ, quæ vel ex adversariorum potentia, vel ex infirmitate nostra oriuntur.

*Usus Directionis*, & exhortationis, ut meditationibus istis nosmetipsos totos dedamus.

III. Per istas meditationes eousque ascendere debemus, ut sancta quadam insultatione improbos nostros hostes increpemus. ex v. 4, 5. Psalm. 27. 1.

*Ratio* 1. Quia fiducia perfecta optatum eventum postea sequuturum sic apprehendit, ac si jam adesset. 2. Quia fideles per hanc fiduciam in omnibus malis sunt plusquam victores. Rom. 8. 37. 3. Quia per istius fiduciæ professionem Deus maxime à nobis glorificatur, & alii etiam ad eum glorificandum provocantur.

*Usus Exhortationis*, ne in qualibet fiducia acquiescamus, sed ad perfectionem istam ascendere nitamur.

IV. Ad fiduciam confirmandam & promovendam, subinde debemus cordibus nostris inculcare illa quæ faciunt ad eandem vehementer excitandam. ex v. 6, 7, 8. Hæc autem inculcatio est actus mentis practicus, quo anima in semetipsam reflectitur, & sibimet dictat quid facere debet.

*Ratio* 1. Quia perpetuam luctam habemus cum carne, & tentationibus aliis, quibus fiducia oppugnatur. 2. Quia corda nostra sunt nimis tarda ad officia ista spiritualia, atque adeo multis admonitionum calcaribus egent. 3. Quia nunquã talis aut tanta est fiducia nostra, quin opus habeat firmari & adaugeri.

*Vſus Directionis*, ut exerceamus nos ad hæc ſpiritualia ſoliloquia. Pſalm.39,11.& 4.5.

V. Qui vere confidunt in Deum, cupiunt etiã ut alii idẽ faciãt. ex v. 9. *Confidite ei omni tẽpore ô popule.*

*Ratio* 1. Quia charitas erga Deum,& zelus gloriæ ejus eo ducit. 2. Quia charitas erga homines, & ſalutis eorum zelus hoc requirit. 3. Quia in iſtis bonis ſpiritualibus nihil decedit,ſed accedit potius aliquid uni,ſi ſimul ab aliis quamplurimis poſſideantur.

*Vſus Exhortationis*, ad ſtudium aliorum ædificandum.

VI. Qui vere cõfidunt in Deum, ſeriis precibus eum quærũt. ex v.9. *Effundite coram eo animã veſtram.*

*Ratio* 1. Quia proprius actus fiduciæ ac ſpei divinæ ſunt preces. 2. Quia preces ſunt medium à Deo inſtitutũ ad illud impetrãdumquod per fiduciã exſpectamus. 3. Quia in precibus maximã cõmunionem habemus cum Deo,in qua ſpecialis fructus fiduciæ noſtræ conſiſtit.

*Vſus Directionis*, ad fiduciã verã ex iſta nota diſcernendam à ficta.

VII.Cavendũ diligẽter,ne fiduciã noſtrã in aliis ullis rebus præterquã in Deo collocemus.ex v.10,11.

*Ratio* 1. Quia omnia alia ſunt vana,& inepta ad fiduciã noſtram ſuſtentandã,v.10. atque adeo fiduciã reddunt vanã,& fidẽtes evaneſcere. v.11. 2. Quia hoc eſt peccatũ idololatriæ,qua honor, ſoli Deo debitus, ad alia transfertur.

*Vſus Condemnationis*, adverſus eos qui vel in ſua nequitia, vel in creaturis confidunt.

VIII. Fiducia vera ſolide fundatur in verbo Dei.ex v.12,13.

*Ratio* 1. Quia ex illo ſolo diſcit, qualis ſit Deus. 2. Ex illo ſolo diſcit, quid à Deo ſit exſpectãdum. 3. Quia per hoc verbum Spiritus fidei communicatur.

*Vſus* 1.*Redargutionis*,adverſus eos qui fiduciã jactant, & verbũ non curãt. 2. *Exhortationis*,ut in verbo diligenter quæramus fiduciæ baſin.

## PSALMUS SEXAGESIMUS TERTIUS.

P*Salmus Davidis, quum eſſet in deſerto Iehudæ.*

2. *O Deus*,Deus *fortis meus es, tempeſtive requiro te, ſitiens eſt tui anima mea,creſcit ad te* ſpectans *caro mea,in terra ſicca & feſſa ſineaquis:*

3. *Ad vidẽdum robur tuũ & gloriã tuã, ſicut in loco ſancto videbã te:*

4. (*Nam benignitas tua melior eſt vita*) ut *labia mea laudent te.*

5. *Sic benedicam tibi in vita mea,in nomine tuo attollam manus meas:*

6. *Quaſi adipe & pinguedine ſaturabitur anima mea, & labiis canoris laudabit te os meum.*

7. *Quum recordor tui ſuper ſtrata mea,in vigiliis meditor de te:*

8. *Te fuiſſe ſũmo auxilio mibi,ita ut in umbra alarũ tuarũ canerem:*

9. Quum *adhæreſcens anima mea ſequitur te,ſuſtentat me dextera tua.*

10. *Quamobrem iſti qui vaſtationem quærunt animæ meæ, pervenient ad imas partes terræ.*

11. *Faciẽt ut diffluat eorũ quiſque per gladiũ,portio vulpiũ futuri ſunt.*

12. *Rex vero ipſe lætabitur in Deo, gloriabitur quiſquis jurat per eum, quum obturabitur os loquentium mendacium.*

ANA-

# ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in hoc Psalmo est piis meditationibus coram Deo expositis semetipsum consolari. Fuit enim jam in deserto Judæ desertus exul, & omnis externæ consolationis inops. v. 1.

1. Hujus consolationis fundamentum præcipuum primo proponit, quod Deum habuit pro Deo suo. v. 2. in principio. Secundarium etiam fundamentum à priore pendens eidem subjungit, intensissimum scilicet & ardentissimum suum affectum, vel desiderium Dei, vel solitæ communionis cum Deo exercendæ. Quem affectum comparat cum siti & fame maxima, tanquam similem; ita tamen ut majorem illum ostendat, & omni siti ac fame, quam in desolatissimo deserto patiebatur, superiorem, easque sua vi obruentem. v. 2. reliquo.

Hoc desiderium illustrat. 1. A causa impellente vel alliciente, sancta nempe voluptate quam perceperat, & porro percepturus erat ex communione cum Deo. vers. 3. Cujus voluptatis ratio & causa declaratur per comparationem imparium inter communionem Dei, & vitam naturalem. v. 4.

Idem desiderium illustratur à fine, qui consistit in celebratione cultus divini, quæ per suas partes amplificatur, laudatione scilicet & invocatione. v. 4. 5. Cujus etiam celebrationis effectum & fructus notatur sancta illa voluptas antea memorata, & comparatione gratissimi & copiosissimi cibi illustratur: sicut etiam effecto plenioris laudationis inde sequuturæ. v. 6.

2. Ejusdem consolationis fulcrum alterum proponit, experientiam scilicet opis & protectionis divinæ in periculis antegressis, & religiosam ejus recordationem. ver. 7, 8, 9.

3. Ex istis fundamentis, vel firmissimis argumentis, ad consolationem suam deducit ac concludit. 1. Interitum hostium singularem. ver. 10, 11. suam evectionem ad regnum cum lætitia magna. v. 12. in principio. Quæ suis effectis illustrantur, gloriatione scilicet piorum, & impiorum confusione. ibidem.

## DOCUMENTA.

I. Primarium fundamentum omnis consolationis solidæ est, quod Deus sit Deus noster. ex v. 2. in principio.

*Ratio* 1. Quia Deus est objectum fidei, fiduciæ, ac spei, ex quibus consolatio fluit. 2. Quia per Deum solum vincere possumus omnes tentationes, quibus alias opprimeremur. Rom. 8. 37. 2. Quia Deus iis, quos suscipit & agnoscit pro suis, est Deus omnis consolationis, id est, communicat illam gratiam ac salutem, quæ sustentat illos adversus omnes afflictiones. 2 Cor. 1. 3, 4.

*Usus Directionis*, ut primaria nostra cura sit, certitudinem hujus rei firmam acquirere, quod Deus sit Deus noster, & super hoc nostram consolationem per meditationes pias ædificare, vel haurire aquas cum gaudio ex fonte hujus salutis. Jes. 12. 3.

II. Quamvis optata cum Deo communione non fruamur, consolationis materia tamen est in ipso deside-

deſiderio hujus communionis, ex v. 2. reliquo.

*Ratio* 1. Quia hoc deſiderium provenit à ſingulari gratia Dei, qua dat nobis *velle*. Phil. 2. v. 13. 2. Quia Deus hoc ipſum velle acceptum habet ac ſi perficeretur. 2 Cor. 8. v. 12. 3. Quia Deus tandem perficiet quod incepit. Phil. 1. 6.

*Vſus Conſolationis*, erga illos qui præter deſideria pia nihil fere habent in ſeſe, quo ſemetipſos ſuſtentent.

III. Deſiderium noſtrum ad cultum Dei obeundum debet eſſe ardentiſſimum, inſtar ſitis ac famis maximæ. ibid.

*Ratio* 1. Quia hoc eſt officium primarium à Deo nobis præſcriptum. 2. Quia maximum noſtrum bonum ex eo pendet. v. 4. in principio. 3. Quia gloria quam nos Deo deferre debemus in eo præcipue conſiſtit.

*Vſus Redargutionis*, adverſus torporem & tepiditatem hominum circa Deî cultum.

IV. Cultus Dei conſiſtit potiſſimum in Dei nomine laudando & invocando. ex v. 4. 5.

*Ratio* 1. Quia in iſtis Deo directe tribuitur gloria bonitatis, potentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentiæ, providentiæ, veracitatis & ſimilium perfectionum. 2. Quia fides, ſpes, & charitas in iſtis maxime directe exeruntur. 3. Quia communio ſpiritualis gratiæ à Deo in nos deſcendentis, & à nobis in Deum reflexæ, in iſtis præcipue & maxime directe à nobis celebratur.

*Vſus Exhortationis*, ut hæc officia (tanquam Deo gratiſſima) magni faciamus.

V. In iſtis exercitiis maxima percipitur conſolatio, qua excitantur pii ad pleniorem Dei laudationem: ita ut inter Dei laudationem, & noſtram conſolationem ſit quaſi circulus perpetuus & infinitus. ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia conſcientia officiis iſtis præſtitis tranquilla redditur & læta. 2. Quia orationi factæ in Spiritu, Spiritus, qui conſolator noſter eſt, plenius conceditur. Luc. 11. 13. hic etiam eſt circulus divinus. 3. Quia ſpes noſtra iſtis mediis aucta parit gaudium ineffabile & glorioſum.

*Vſus Directionis*, ut ſolidam voluptatem in iſtis exercitiis quæramus.

VI. Ad ſpiritualem conſolationem neceſſarium eſt, ut frequentes meditationes de Deo, interdiu noctuque habeamus, ex v. 7.

*Ratio* 1. Quia per iſtas meditationes detinetur animus in contemplatione cauſæ omnis conſolationis. 2. Quia per eaſdem infigitur animis ipſa conſolatio, & per multiplices affectuum motus in cordibus noſtris diffunditur. 3. Quia contrariæ tentationes quæ ſubinde in animis noſtris oriri ſolent, meditationibus iſtis repelluntur.

*Vſus Exhortationis*, ut in iſtis meditationibus diligenter nos exerceamus.

VII. In meditationibus noſtris de Deo, plurimum facit ad conſolationem, ſi diligenter attendamus ad beneficia ejus quibus nos antea cumulavit. ex. v. 8.

*Ratio* 1. Quia experientia parit ſpem. Rom. 5. 2. Quia hujus experientiæ recordatio parit etiam gratitudinem quæ magnam vim habet, ejuſdem gratiæ continuationem impetrandi. in textu.

*Usus Directionis*, ut beneficiorum Dei memoriam pie semper excolamus.

VIII. Continens causa nostræ consolationis est, si toto corde adhærescamus Deo tanquam sustentatori nostro. ex v. 9.

*Ratio* 1. Quia hæc est fides qua vivit justus. 2. Quia hæc fides conscientiam reddit plane tranquillam & lætam. 3. Quia certam & indubitatam spem adfert læti eventus.

*Usus Directionis*, ut omni studio nitamur Deo adhærere, omnibus illis relictis quæ abducunt ab ipso.

IX. Qui Deo adhærent, possunt sibimet spondere illum exitum omnium tentationum, qui cedet in ipsorum lætitiam, aliorum piorum gloriationem, & impiorum hostium confusionem, ex v. 10, 11, 12.

## PSALMUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

*Magistro Symphoniæ, Psalmus Davidis.*

2. *Audi, ô Deus, vocem meam dum meditor; à pavore inimici custodi vitam meam.*

3. *Absconde me ab arcano* consilio *maleficorum, à tumultuatione operam dantium iniquitati.*

4. *Qui exacuunt sicut gladium linguam suam; intentant* ut *sagittam suam, verbum amarulentum.*

5. *Iaculis petendo ex latebris integrum; repente jaculis petunt eum, neque timent:*

6. *Confirmant sibi rem malam: narrant de abscondendis laqueis; dicunt, Quis videret illos?*

7. *Perscrutantur iniquitates; conficimur iis quæ callidissime sunt perscrutati: adeo intimum viri & cor profundum est.*

8. *Sed ubi jaculis petierit eos Deus, à sagitta repentina fuerint plagæ eorum.*

9. *Feceritque ut ipsa lingua sua in seipsos impingant: vagi se in fugam dabunt quisquis viderit eos.*

10. *Quicunque autem homines reverentur, nunciabunt opus Dei, & factum ejus intelligendum proponent:*

11. *Lætabitur justus in Iehova, & recipiet se ad eum, denique gloriabuntur omnes recti animo.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in hoc Psalmo est petere à Deo protectionem contra inimicorum suorum persecutionem.

1. Hæc petitio generaliter proponitur v. 2. in principio, *Audi ô Deus, vocem meam.* specialius ibidem in fine: *à pavore inimici custodi vitam meam.* & specialissime. v. 3. ubi & singularis protectio petitur: *absconde me:* & singularis persecutio declaratur per inductionem partium, consilii scilicet malefici, & machinationis iniquæ: *à consilio maleficorum*

*ficorum, à tumultuatione operam dantium iniquitati.*

2. Perſecutionis illius natura (qua petitionis & neceſſitas & perſuaſio continetur) latius deſcribitur. 1. A crudelitate & amarulentia verborum vel criminationum. v.4. 2. Ab illius crudelitatis occultatione, ut ex latebris ſubito perficiatur. v. 5. quæ illuſtratur privatione timoris Dei, ubi maxime debuit adeſſe, id eſt, perſecutione hominis integri & juſti. ibidem. 3. Ab obduratione in improbo propoſito, quæ ſpe occultationis tanquam cauſa ſua illuſtratur. v.6. 4. A callida diligentia in mediis illis excogitandis, quibus crudelia ſua conſilia perficerent: quæ conſumptione Davidis, tanquam effecto ab ipſis pro certo ſperato, & à Davide cum horrore cogitato, illuſtratur. v.7.

3. Petitio protectionis adverſus iſtam perſecutionem illuſtratur profeſſione ſpei protectionis à Deo concedendæ v. 8, 9, 10, 11. ubi judicium Dei adverſus improbos perſecutores illuſtratur 1. Ab adjuncta validitate, velocitate & repentina invaſione per comparationem ſimilitudinis, & majoris, ad machinationes eorum adverſus Davidem, quæ antea iiſdem phraſibus fuerunt notatæ. v. 8. 2. A ſpeciali modo, quo illa judicia perficerentur, per verba ſcilicet ipſorum propria, quibus ſibimet invicem perniciem eſſent accerſituri. v. 9. in principio. 3. Ab effectis tam ſpectatorum omnium communibus, terrore & prædicatione juſtitiæ Dei, v. 9. in fine. & v. 10. quam fidelium propriis, lætitia, fiducia, & gloriatione. v.11.

## DOCUMENTA.

I. Ad orationem concurrunt meditatio, vox, & ſtudium ac fides auditionis. ex v.2.

II. Pia Dei invocatio eſt medium optimum protectionis conſequendæ adverſus quælibet impiorum perſequutorum conſilia & machinationes. ex v.3.

III. Impii ſuis linguis maxime abutuntur ad perſequutionem piorum. ex v.4.

IV. Improbitati occultæ indulgent, quia Deum non timet. ex v.5.

V. Ex illa occultatione ſuæ improbitatis, & Dei neglectu obdurantur in propoſitis malis. ex v.6.

VI. Calliditati ſuæ ita confidunt, ut non dubitent de ſucceſſu. ex. v.7.

VII. Dei judicia ſubito ipſos apprehendunt. ex v.8.

VIII. Judicio Dei fit ut ſæpe ſuis propriis linguis, magna mala ſibimet accerſant.

IX. Ex judiciis iſtis Dei ſicut impii terrentur, & omnes inſtituuntur, ſic pii cum ſingulari conſolatione & glorificatione ædificantur. ex v.9.10,11.

## PSALMUS SEXAGESIMUSQUINTUS.

*Magiſtro ſymphoniæ Pſalmus, Davidis canticum.*

2. *Tibi* debetur *certa laus ô Deus*, qui es *in Tziione*; *& tibi rependendum eſt votum.*

3. *O qui exaudis orationem, ad te uſque omnis caro ventura eſt.*

4. *Res iniquæ prævaluerant mihi, defectiones noſtras tu expias.*

5. *Beatus* quem *eligis, & admoves, inhabitaturum atria tua: ſaturamur*

*ramur bono domus tuæ, rebus sanctis templi tui.*

6. *Res reverendas in justitia proloqueris nobis, ô Deus salutis nostræ fiducia omnium extremitatum terræ & maris longinquarum.*

7. *Stabiliens montes virtute sua, accinctus potentia.*

8. *Compescens strepitum marium, strepitum fluctuum eorum, & fremitum nationum.*

9. *Qui facis ut canant exortus matutinos & vespertinos, incolæ extremitatum reverentes à signis tuis.*

10. *Visitas hanc terram & appetis eam: plurimum ditas eam: rivo Dei pleno aquæ, paras frumentum illorum, quum ita præparaveris eam.*

11. *Porcas ejus irrigando, deprimendo liras ejus; imbribus dissolvis eam, germini ejus benedicis.*

12. *Coronas annum bonitatis tuæ, & orbitæ tuæ stillant pinguedinem.*

13. *Stillant in caulas deserti, & exsultatione colles accinguntur.*

14. *Vestiuntur pascua gregibus, & convalles obteguntur tritico, clangentes agunt, atque etiam canunt.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi, est Deum laudare ex toto nomine Ecclesiæ, quæ dicitur Tzijon. v. 2. ubi laus etiam illustratur ab adjuncto silētio, vel admiratione inenarrabili.

Argumentum ducitur à singulari effecto gratiæ, ex quo votum laudis dependet, exauditione scilicet precum, v. 3. quæ altero suo effecto illustratur, id est, excitatione omnium ad Deum invocandum. ibid. Hæc autem exauditio precum, qualis fuerit, specialiter designatur primo. vers. 4. quod nempe magnorum peccatorum remissionem continebat. & fundamento vel causa sua declaratur. v. 5. electione scilicet & vocatione Dei, quæ effecto suo proprio illustrantur, & generaliter, quod efficiant homines beatos, cujus ratio etiam redditur, quod spiritualis omnis communionis (cujus pars primaria est peccatorum remissio) participes eos faciat. ibid. & specialiter, quod augustissimis promissionibus eos confirmet. v. 6. in principio. Quarum effecta notantur esse, 1. Stabilitio regni. v. 7. 2. Repressio hostium. v. 8. quæ suis effectis illustrantur, gentium scilicet institutione ad fiduciam, & lætitiam piam in Deo ex timore. v. 6. in fine. & v. 9. & 3. Copiosa benedictio populi sui, cujus effectum fuit fertilitas terræ. Hæc autem illustratur & causa sua tam principali, dilectione Dei; quam instrumentali, commodissima pluvia à Deo immissa. v. 10, 11. & effectio pinguedinis omnium partium. v. 12. cujus fructus per subjecti & effecti distributionem explicantur. v. 13, 14.

### DOCUMENTA.

I. Votum ineffabilis laudis Deo semper debetur ab omnibus Ecclesiæ membris. ex v. 2.

II. Eo præcipue nomine debetur, quod Deus orationes exaudiat. ex v. 3.

III. Eo ipso etiam excitari debent omnes ad preces fervidas & fre-

frequentes, quod à Deo exaudiantur, ibidem.

IV. In exauditione precum illud præcipue ſpectandum & celebrandum, quod remiſſionem peccatorũ illis obtineamus. ex v. 4.

V. Præcipuum fundamentum hujus conſolationis eſt electio & vocatio Dei. ex v. 5.

VI. Ex hac electione & vocatione Dei fluit beatifica communio omnium bonorum. ibidem.

VII. Communionis hujus certitudo acquiritur ex fide promiſſionum Dei. ex v. 6.

VIII. Promiſſiones ſuas tam fideliter & potenter præſtat Deus Eccleſiæ ſuæ, ut omnes gentes inde erudiri poſſint ad pietatem. ex v. 6, 7, 8. & 9.

IX. Omnis benedictio, tam externa, quam interna, ſic apprehendi ac recipi debet tanquam fructus dilectionis & viſitationis Dei erga nos, ſecundum ſuas promiſſiones. ex v. 10.

X. Benedictiones iſtæ quamvis nobis per media vel cauſas ſecundas communicentur, Deo tamen omnis laus & gloria earum debetur. ex v. 11, 12, 13, 14.

## PSALMUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

*Magiſtro ſymphoniæ, canticum* & *Pſalmus. Clangite Deo, omnes* incolæ *terræ.*

2. *Pſallite gloriam nominis ejus, apponite gloriam laudi ejus:*

3. *Dicite, Deus, quam reverendus* es *factis tuis: propter amplitudinem roboris tui mendaciter ſe dedunt tibi inimici tui.*

4. *Omnes* incolæ *terræ incurvent ſe tibi, & pſallant tibi; pſallant nomini tuo,* ut quum *maxime.*

5. *Venite & videte opera Dei; reverẽdus* eſt *actione erga filios hominis.*

6. *Convertit mare in aridam; per flumen tranſiverunt pedes, illic lætati ſumus in eo.*

7. *Dominatur potentia ſua in ſeculum, oculi ejus gentes ſpeculantur: qui rebelles ſunt ne efferantur apud ſe ipſos admodum.*

8. *Benedicite populi Deo noſtro; & facite ut reſonet vox laudis ejus.*

9. *Qui reſtituit animam noſtram in vitam, neque permittit dimoveri pedes noſtros.*

10. *Poſtquam probaſti nos Deus, conflaſti nos ut conflatur argentum.*

11. *Induxiſti nos in rete ipſum, impoſuiſti cingulum* aſinarium *lumbis noſtris:*

12. *Feciſti ut inſideret mortalis in caput noſtrum, ingreſſi ſumus per ignem & per aquam; tandem eduxiſti nos ad hanc ſaturitatem.*

13. *Ingrediens domum tuam cum holocauſtis, rependam tibi vota mea.*

14. *Quæ* nuncupaverint *aperta labia mea; & eloquutum fuerit os meum in anguſtia mea.*

15. *Holocauſta pinguium arietum offeram tibi cum ſuffitu: parabo boves cum hircis potentiſſime.*

16. *Agite, audite, quicunque timetis Deum; ut enarrem quæ fecit anima mea.*

17. *Eum ore meo inclamavi,* & fui *elatus pro* sermonibus *linguæ meæ:*
18. *Ad iniquitatem si spectassem animo meo, non exaudivisset Dominus.*
19. *At certe exaudivit Deus, attendit ad vocem orationis meæ.*
20. *Benedictus* est *Deus: qui non avertit orationem meam* à se, & *benignitatem suam à me.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi, est Deum laudare post singularem aliquam liberationem.

Hæc laudatio 1. Proponitur per modum exhortationis, qua omnes homines excitantur ad ejus exercitium. v. 1, 2, 3. & 8. ubi & modo suo illustratur, quod debeat esse *gloriosa* v. 2. & causa, quod amplissimum sit Dei robur, cujus effectum est inimicorum adactio ad aliqualem deditionem ex timore. v. 3. 2. Eadem laudatio proponitur per modum voti v. 4. ubi modus ejus gloriosus in religiosa adoratione vel incurvatione collocatur. 3. Causa laudationis diligenter spectanda proponitur 1. In genere, reverenda nempe dispensatio, qua Deus utitur erga filios hominum. v. 5. cujus exemplum speciale commemoratur in traductione Israëlitarũ per mare rubrum & fluvium Jordanem, quæ effecto lætitiæ illustratur. vers. 6. cui subjungitur generalis illius dispensationis, vel gubernationis descriptio. v. 7. à genere, quod sit dominium, ab adjuncto durationis, quod sit æternum, à modo, quod sit cum potentia & accurata providentia conjunctum, ab effecto, quod rebelles ejus vi domentur. 4. Repetitur hortamentum ad laudationem & urgetur tanquam speciali causa, à singlari illa liberatione recens accepta. vers. 8, 9. Quæ liberatio illustratur tam gravitate malorum, à quibus liberabantur, quæ variis comparationibus aggravantur. vers. 10, 11, 12. quam copia bonorum, ad quorum fruitionem ex liberatione perducebantur. vers. 12. in fine. 5. Eadem laudatio, quæ antea per modum hortationis, & voti, proponebatur, simplici professione & promissione omnis debiti cultus explicatur. vers. 13, 14, 15. Cujus usus & fructus explicatur per modum exhortationis ad omnes pios; qui excitantur primo in genere, ut diligenter observent benignitatem illam Dei, quæ in hoc exemplo elucebat. v. 16. Specialiter autem observandum ipsis proponitur, ad eorum imitationem, 1. Quod administrans causa hujus benignitatis fuit invocatio fervida. v. 17. cum syncero studio pietatis, ut necessario comite conjuncta. v. 18. 2. Quod hujusmodi invocationis certus fructus sit exauditio & liberatio ex benignitate Dei. 3. Quod omnis laus & benedictio Deo debeatur pro tam benigna precum exauditione v. 20.

## DOCUMENTA.

I. Non simplex tantum gratiarum actio, sed omni modo gloriosa Deo debetur. ex v. 1, 2, &c.

II. Omni voto & conatu tam alios quam nosmetipsos excitare de-

debemus ad hanc gloriam Deo deferendam. ex v.1,2,3,4.

III. Ad accendendum animum hoc ſtudio Dei glorificandi, requiritur diligens & attenta operum ejus contemplatio. ex v. 5.

IV. Opera Dei miraculoſa ſingulariter debent in iſtum finem conſiderari. ex v.6.

V. In operibus Dei præcipue obſervanda eſt potentia, & providentia ejus, prout piis favet, & impiis adverſatur. ex v.7.

VI. Potentia & providentia Dei maxime apparet in liberationibus Eccleſiæ à ſuis preſſuris. ex v.9.

VII. Preſſuræ maximæ Eccleſiæ ſic à Deo ordinantur, ut ſuas liberationes reddant illuſtriores. ex v.10,11,12.

VIII. Pro liberationibus nobis conceſſis (præſertim ſi ſint publicæ) Dei nomen eſt publice celebrandum. ex v.13.

IX. Eodem affectu memores eſſe debemus liberationum divinarum, quo in anguſtia noſtra eaſdem deſideramus. ex v.14.

X. Affectus iſte demonſtrari debet ſecundum Dei inſtituta, non imaginationes noſtras. ex v.15.

XI. Ex eodem affectu & narrare debemus, & reverenter audire narrantes gratiam Dei ſuis manifeſtatam. ex v.16.

XII. Illud ſingulariter obſervandũ eſt in gratiæ Dei diſpenſatione, quod Deus illas ſolas exaudiat preces, quæ ex fide & bona conſcientia proficiſcuntur. ex v.17,18,19.

XIII. De hac precum exauditione Deus eſt præcipue benedicendus. ex v.20.

## PSALMUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

*Magiſtro ſymphoniæ fidium, Pſalmus & canticum.*

2. *Deus gratiam faciat nobis & benedicat nobis, illuſtret faciem ſuam erga nos maxime:*

3. *Ut agnoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutem tuam.*

4. *Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.*

5. *Lætentur & cantent nationes; quum judicabis populos recte, & nationes ipſas in terra deduces potentiſſime.*

6. *Celebrent te populi, Deus; celebrent te populi omnes.*

7. *Terra dante proventum ſuum; benedicat nobis Deus, Deus noſter.*

8. *Benedicat nobis Deus, & revereantur eum omnes fines terræ.*

## ANALYSIS.

In hoc Pſalmo proponitur generalis formula voti aut precationis laudativæ, qua omnia bona petuntur à Deo, & omnis gloria ipſi vovetur. Quæ duo ita inter ſeſe connectuntur, ut ſibimet mutuo ſint cauſæ & effecta. Idcirco enim petuntur bona, ut illis Deus glorificetur. Idcirco etiam Dei gloria optatur ac vovetur, ut omnium bonorum communicatio procuretur.

Bona quæ petuntur, gradatim declarantur. v. 2. 1. A fonte vel cauſa primaria, gratia vel favore

Dei: *gratiam faciat nobis.* 2. Ab effecto beatitatis: *benedicat nobis.* 3. Ab arguendi vi, qua hoc effectū ad illam causam refertur, clara scilicet manifestatione favoris: *illustret faciem suam erga nos maxime.*

Gloria quæ Deo inde vovetur est, 1. Salutaris agnitionis salutis ipsius propagatio ad omnes gentes. v. 3. 2. Celebratio nominis ejus secundum illam cognitionem. v. 4, 6. Quæ illustratur. v. 5. tam adjuncto suo modo, quod fiet cum lætitia & cantu; quam causa propria, rectissima nempe gubernatione Dei. 3. Fructificatio congruens in operibus bonis. v. 7. 4. Omnimoda reverentia nominis ejus. v. 8.

DOCUMENTA.

I. Ex gratia & favore Dei pendere semper debemus, ut ex illo fonte omne bonum fide & precibus hauriamus. ex v. 2.

II. Bona quæ proveniunt ex favore Dei, sunt veræ benedictiones, ibid.

III. Significatio ipsa favoris divini est maximum bonum. ibidem.

IV. Primarius fructus benedictionum Dei tam aliis quam nobis optandus, est agnitio viæ salutis. ex v. 3.

V. Qui vere Deum agnoscunt, ii nomen ejus debent ac solent celebrare. ex v. 4, 6.

VI. Ad istam celebrationem requiritur sancta lætitia de recta & justa Dei gubernatione. v. 5.

VII. Hæc celebratio præcipue consistit in fructibus Deo ferendis ex reverētia nominis ejus. ex. v. 7, 8.

## PSALMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

*Magistro symphoniæ, Davidis Psalmus & canticum.*

2. *Surgente Deo disperguntur inimici ejus; & fugiunt infesti osores ejus à conspectu ejus.*

3. *Quasi impellas fumum, impellis* eos; *ut liquefit cera ab igne, pereunt improbi à conspectu Dei.*

4. *Justi vero lætantes exsultant coram Deo; & gaudent in lætitia.*

5. *Cantate Deo, psallite nomini ejus; extollite eum qui insidet amœnitatibus ac nomine ejus Jah, ac exsultate coram eo.*

6. *Pater pupillorum & defensor viduarum* est *Deus in habitaculo sanctitatis suæ.*

7. *Deus collocat solitarios in familia, educit vinctos compedibus: at rebelles inhabitant locum aridissimum.*

8. *O Deus quum procederes coram populo tuo; quum gradereris: per solitudinem excellentissime:*

9. *Terra movebatur, etiam cœli destillabant à præsentia Dei; ipse Sinai, à præsentia Dei, Dei Israëlis.*

10. *Pluviam liberalissimam stillabas, Deus; possessionem tuam, eamque defessam tu instaurabas.*

11. *Tui catervatim habitabant in ea; te parante per bonitatem tuam pauperi illi afflicto, Deus.*

12. *Dominus dabat sermonem; ea quæ annunciabant, exercitu magno* dicebant.

13. *Reges exercituum fugiunt, fugiunt: & quæ commoratur domi, partitur ſpolia.*

14. *Etiamſi jacueritis inter duas ſtrues lapideas*, eritis ſimiles *aliis columbæ tectæ argento, cujus pennæ* ſunt *ex fulvo auro effoſſo.*

15. *Quum expanderit omnipotens reges in hac* terra, *niveus eris in Tzalmone,*

16. *Monte maximo, monte Baſchanis; monte frequente gibbis, monte Baſchanis.*

17. *Quare dejiceretis vos, montes frequentes gibbis? hæc montana deſiderat Deus ad ſedem ſuam, etiam Iehova inhabitabit in æternum.*

18. *Curruum Dei duæ* ſunt *myriades, millia multiplicata: Dominus cum illis* eſt, Dominus *Sinai in ſanctuario* habtans.

19. *Aſcendens in ſublime; captivam feciſti captivorum multitudinem, accipiens* dediſti *dona hominibus; etiam rebelles habitando* captivos facis, *Iah Deus.*

20. *Benedictus Dominus* qui *quotidie onerat nos* donis; Deus *ille fortis ſalus noſtra excellentiſſime.*

21. Deus *ille fortis nobis* eſt Deus *fortis, ad ſalutem omnimodam: & Iehovi Domino* ſunt *exitus contra ipſam mortem.*

22. *Tantummodo Deus frangit caput inimicorum ſuorum, verticem comatum indeſinenter ambulantis in reatibus ſuis.*

23. *Dixerat Dominus, ex Baſchane reduco, reduco ex profunditatibus maris,*

24. *Ut frangens* immergas *pedem tuum in ſanguine; linguam canum tuorum,* ſanguine fluente *ab inimicis, ab unoquoque eorum:*

25. Quum *viderunt inceſſus tuos, O Deus; inceſſus Dei fortis mei, regis mei,* qui eſt *in ſanctuario;*

26. *Præcedebant cantores, poſt fidicines; inter puellas tympana pulſantes.*

27. *In congregationibus benedicite Deo Domino,* qui eſtis è *ſcaturigine Iiſraëlis.*

28. *Illic* ſit *Benjamin parvus* & *dominator eorum, principes Iehudæ* & *cœtus eorum; principes Zebulunis, principes Naphtali.*

29. *Præcepit Deus tuus robuſtum eſſe te; corrobora, ô Deus, quod operatus es in nobis.*

30. *E templo tuo propter Ieruſchalaima: tibi offerent reges donarium.*

31. *Perde catervam arundiferam, cœtum robuſtorum juvencorum cum vitulis populorum, fingentem ſubjicere ſecum fragminibus argenti; diſſipat populos* qui *bellis delectantur.*

32. *Veniant magnates ex Ægypto, Æthiopia celeriter tranſmittat manuum ſuarum* donum *ad Deum.*

33. *Regna terræ cantate Deo; pſallite Domino vehementiſſime:*

34. *Inſidenti cœlis cœlorum antiquorum; en edit voce ſua vocem robuſtam.*

35. *Tri-*

35. *Tribuite robur Deo; cujus excellentia* est *supra Israëlem, & cujus robur in superioribus nubibus.*

36. *Formidabilis es, ô Deus, è sanctuariis tuis:* Deus *fortis Jisraëlis ipse dat robur & vires huic populo: benedictus* sit *Deus.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuisse videtur deductio arcæ Dei in civitatem Davidis.

Hinc scopus ejus v. 2. eadem formula proponitur, qua usus est Moses quum eadem arca esset profectura. Numer. 10. 35. Hujus propositi scopi mens est generaliter prædicare magnificentiam Dei hoc signo præsentiæ suæ significatam. Declaratur autem 1. Effecto suo glorioso, hostium scilicet dispersione. vers. 2. quæ duplici similitudine illustratur. vers. 3. & fructu debitæ laudis. v. 4, 5. Cujus laudis argumenta varia adferuntur. 1. Providentia ejus generalis, qua piis omni ope destitutis succurrit, & impios coërcet. v. 6, 7. 2. Specialis ejus providentia, quam declaraverat in bene faciendo populo suo, tam in deserto. v. 8, 9. quam in terra promissa. v. 10, 11. 3. Victoriæ adversus hostes ex illa providentia concessæ. vers. 12, 13. quæ diversis pressuris & angustiis populi cum liberatione victoriarum collatis illustrantur. v. 14. 15. & propria sua causa declarantur, habitatione scilicet Dei singulari in populo suo electo. vers. 16, 17. Quæ causa, tanquam principalis, illustratur causis administrantibus. v. 18. & gloriosissimo suo modo, qui victoriam Christi in spirituales nostros hostes ad vivum repræsentabat vers. 19. 2. Ex istis omnibus argumentis concluditur laus & benedictio Dei. vers. 20. quæ denuo similibus argumentis persuadetur: 1. Beneficiis Dei quotidianis. ibidem. 2. Liberationibus admirandis. v. 21. 3. Victoriis in impios hostes. v. 22. quæ experientiæ testimonio singulari confirmantur. vers. 23, 24, 25, 26. 3. Idem officium laudis ac benedictionis inculcatur omnibus Israëlitis in genere. vers. 27. & per distributionem ornatur. v. 28. ac præcepto Dei, & promissione fidei corroboratur. v. 29. Quæ fides prædictione felicitatis à Deo populo suo concedendæ confirmatur. vers. 30, 31, 32. 4. Idem officium laudis omnibus gentibus commendatur. v. 33. propter ejus majestatem. v. 34. & potentem omnium rerum gubernationem. v. 35. sed præcipue propter gloriosam communionẽ quam Ecclesiæ suæ singulariter impertit. v. 36.

## DOCUMENTA.

I. Ad Dei gloriam, & nostram consolationem, apprehendere fide debemus præsentiam Dei ad hostes perdendos, & suos tuendos summe potentem ex v. 1, 2, 3.

II. De ista Dei præsentia fideles omnes exultare debent gaudio magno. ex v. 4.

III. Ex isto gaudio laudare Deum debent, & nomen ejus rite cognitum celebrare. ex vers. 5. Psalm. 99. 3. Exod. 15. 3.

IV. Nomen Dei singulariter illustre celebrandum est in defensione afflictorum & omni ope destituto-

tutorum. ex v.6,7. Deut. 10. 18. Prov.23.11.

V. Ad iſtam fidem, & celebrationem nominis divini, plurimum facit recordatio operum Dei, quibus olim ſufficientiam & efficientiam ſuam erga populum ſuum declaravit. ex v. 8, 9, 10, 11, 12, 13. Pſalm.77,10,11.

VI. Ex iſtis operibus Dei antegreſſis conſolari & confirmare ſe poſſunt fideles adverſus ſummas anguſtias & preſſuras. ex v.14,15.

VII. Conſolationis hujus primarium argumentum,& fundamẽtum eſt gratioſa Dei præſentia & habitatio inter ſuos ex v.16,17.

VIII. Eandem conſolationem auget conſideratio multitudinis ſanctorum Angelorum miniſterii munere fungentium propter ſalutem fidelium. ex v. 18.

IX. Apex conſolationis noſtræ eſt in victoria & triumpho Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. ex v.19. Epheſ.4.8,&c.

X. Prout conſolatio hæc quotidie continuatur, ſic etiam gratitudo noſtra debet continuari & abundare.ex v.20,21,22.

XI. Ad iſtam fidem & gratitudinem confirmandam plurimum facit religioſa conſideratio promiſſionum Dei cum earum complementis.ex v.23,24.25,26.

XII. Gratitudinis hujus officium non tantum in genere omnibus, ſed & ſpecialiter ſingulis debet inculcari.ex v.27,28.

XIII. Gratitudini adjungendæ ſunt omnis generis preces fideles & conſtantes.ex v.29,30,31,32.

XIV. Precibus noſtris adjungenda ſunt pia vota, & conatus indefeſſi ad alios quamplurimos eo adducendos, ut Deum nobiſcum pariter laudent,ex v.33.fine.

## PSALMUS SEXAGESIMUSNONUS.

*Magiſtro ſymphoniæ ad hexachorda, Davidis* ode.

2. *Serva me Deus,quia perveniunt aquæ uſque ad animam.*

3. *Demergor in cœnum profundiſſimum, ubi non eſt conſiſtendi locus: ingredior profunditates aquarum, & fluentum inundans abripit me:*

4. *Fatigor clamando, exſiccatur guttur meum, deficiunt oculi mei ſperantis in Deum meum.*

5. *Plures ſunt quam capilli capitis mei,qui oderunt me immerito, potentiores ſunt, qui conantur me ſuccidere, qui mihi ſunt inimici injuria; tunc quod non rapui,rependere cogor.*

6. *O Deus,tu noviſti ſtultitiam meam;& reatus mei non ſunt celati tibi.*

7. *Ne erubeſcant de me expectantes te, Domine Jehovi* Deus *exercituum; ne rubore ſuffundantur mea cauſa,qui quærunt te,Deus Iiſraëlis.*

8. *Nam propter te ſuſtineo opprobrium, operit ignominia faciem meam.*

9. *Extraneus effectus ſum fratribus meis, & alienus filiis matris meæ:*

10. *Quia zelus domus tuæ exedit me,& opprobria probris afficientium te, accidunt mihi.*

11. *Quum flens* affligo *jejunio animam meam, tum hoc vertitur in summum probrum mihi.*

12. *Quum statuo vestimentum meū cilicium, tū sum illis in parabolam.*

13. *Confabulantur de me sedentes in porta ; &* canunt *odas lyricas bibentes potum inebriantem.*

14. De *me itaque oratio mea ad te* est hæc, *Iehova, tempus* est *benevolentiæ Deus, pro amplitudine benignitatis tuæ exaudi me, pro fide salutari tua.*

15. *Eripe me è luto, & ne immergar ; eripiar ab osoribus meis, & à profunditatibus aquarum :*

16. *Ne inundans abripiat me fluentum aquarum, neque absorbeat me profundum : & ne præcludat mihi puteus os suum.*

17. *Exaudi me Iehova, quia bona* est *benignitas tua : secundum amplitudinem miserationum tuarum respice ad me.*

18. *Et ne abscondas faciem tuam à servo tuo ; quia* est *angustia mihi ; festina, exaudi me.*

19. *Appropinqua ad animam meam : vindica eam, propter inimicos meos redime me.*

20. *Tu nosti opprobrium meum, pudoremque meum, & ignominiam meam : coram te* sunt *omnes hostes mei.*

21. *Opprobrium frangit animum meum, adeo ut afficiar ægritudine: quumque exspecto qui condoleat, nemo adest ; aut consolatores, tamen non invenio :*

22. *Quin* potius *dant pro alimento meo amarorem ; & in siti mea bibendum dant mihi acetum.*

23 *Sit mensa eorum ante eos pro laqueo ; & pro retributionibus, pro tendicula* ipsis.

24. *Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant : & fac ut lumbi eorum jugiter nutent.*

25. *Effunde super eos indignationem tuam, & æstus iræ tuæ assequatur eos.*

26. *Sint castella eorum desolata, in tentoriis eorum ne sit habitator :*

27. *Quia quem tu percussisti persequuntur, & secundum dolorem confossorum tuorum narrationes contexunt.*

28. *Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, & ne veniant in justitiam tuam.*

29. *Deleantur de libro viventium, & cum justis ne conscribantur :*

30. *Ego vero pauper & dolens ;* quum *salus tua, Deus, in edito collocaverit me.*

31. *Laudabo nomen Dei cantico, & magnificabo eum gratiarum actione.*

32. *Quæ melior videbitur Iehovæ ; bove juvenco, cornuto,* aut *ungulam scissam habente* quoquam.

33. Quod ubi *viderint mansueti, lætabuntur ; & reviviscet animus vester, ó quærentes Deum :*

34. *Quod*

34. *Quod attendat ad egenus Iehova, & vinctos ſuos non ſpernat.*

35. *Laudabunt eum cœli & terra, maria, & quicquid repit in eis:*

36. *Quia Deus ſervat Tzijonem, & inſtaurat civitates Iehudæ; ut habitent ibi, & hæreditario jure poſſideant eam* terram.

37. *Poſteri, inquam, ſervorum ejus poſſideant eam, & amantes nominis ejus habitent in ea.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in hoc Pſalmo eſt petere ſalutem ac liberationem à periculis in quibus verſabatur. v. 2.

*Primum* argumentum petitur à periculorum gradu vel gravitate, qua neceſſitas tam petitionis, quam opis à Deo ferendæ declaratur. v. 2, 3.

*Secundum* argumentum petitur ab ipſis precibus, tanquam certis mediis vel cauſis adminiſtrantibus, quibus Deus ex gratioſa promiſſione & fœdere ſalutem tanquam effectum annexit. Quæ preces ardore, conſtantia, & exſpectatione tanquam adjunctis & conditionibus perficientibus illuſtrantur. v. 4.

*Tertium* argumentum deducitur à periculi cauſa, hoſtium ſcil. numero, potentia & iniquitate magna. v. 5.

*Quartum* argumentum petitur ab humili confeſſione peccatorum adverſus Deum admiſſorum, & ipſi notorum: quæ diverſa eſſe notantur à criminationibus adverſariorum. v. 6.

*Quintum* argumentum petitur ab effecto incommodo liberationis negatæ, confuſione ſcil. piorum, v. 7. Cujus argumenti conſequentia declaratur, inde ad v. 14. quia ut pius propter Deum perſequutionem graviſſimam & indigniſſimam ſuſtinebat.

Ex iſtis argumentis concluditur petitio ſalutis initio propoſita, & illuſtratur ab adjuncto temporis, & ſimul urgetur à benignitate ac fide Dei tanquam principali cauſa. v. 14.

Illuſtratur etiam à neceſſitate. v. 15, 16. eodem plane modo quo antea proponebatur. v. 2, 3.

Conjunctim porro illuſtratur & urgetur tam à cauſa quam à neceſſitate liberationis. v. 17, 18, 19.

Illuſtratur denique à gravitate mali quod patiebatur. v. 20, 21. & inhumana crudelitate hoſtium, à quibus inferebatur. v. 22.

Hæc autem crudelitas hoſtium adjuncta imprecatione omnimodæ pœnæ declaratur à v. 22. ad 30. ubi

Ultimo in loco petitio repetitur. v. 30. & ſuadetur ab effecto conſequuturo, grata ſcilicet laudatione nominis divini. v. 31, 32. gaudio piorum. 33, 34. glorificatione Dei in toto mundo. v 35. quæ perpetua Eccleſiæ conſervatione tanquam cauſa primaria declaratur. v. 36, 37.

## DOCUMENTA.

I. Quo majores ſunt anguſtiæ in quibus verſamur, eo magis inſtanter debemus Deum precari. v. 2, 3.

II. Ex inſtantia & perduratione noſtrarum precum fiduciam noſtram confirmare poſſumus ad con-

consolationem spei. ex vers. 4.

III. Multitudo, potentia, & iniquitas omnis inimicorum nostrorum vincitur ista consolatione quam habemus in Deo. ex v. 5.

IV. Consolationem istam peccata nostra præcipue impugnant: quæ idcirco vel innocentia, vel humili confessione & deprecatione sunt removenda. ex v. 6

V. Peccatorum & afflictionum piorum acerbissimum effectum est, aliorum piorum confusio. ex v. 7.

VI. Plurimum facit ad consolationem, si constet nos affligi propter Deum. ex v. 8, 9.

VII. Ex eo imprimis constat nos affligi propter Deum, si causa sit zelus noster pro domo Dei, id est, pro Dei cultu, & religione vera. ex v. 10.

VIII. Constat idem ex eo, si in afflictionibus religiose nos geramus, quamvis eo nomine impii nos odio & irrisione prosequantur. ex v. 11, 12, 13.

IX. Ex odio & irrisione hominum proficere debemus in studio Deum invocandi ex fide benignitatis & fidelitatis ejus. ex v. 14.

X. In Deo invocando abundantia cordis facit ut eadem sæpius inculcemus. ex v. 15. ad 23.

XI. Pertinet ad spem in invocatione nostra exertam, ut certo exspectemus gravissima Dei judicia in desperatos Dei & Ecclesiæ hostes exercenda. v. 23. ad 30.

XII. Tota hæc Dei dispensatio, quam expetimus, aut exspectamus, ad nostram gratitudinem, aliorum ædificationem, & omnimodam Dei glorificationem tanquam ad proprium finem debet referri. à v. 30. ad finem Psalmi.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS.

*Magistro symphoniæ, ode Davidis ad recordandum.*
2. *Deus ad eripiendum me, Jehova, ad auxilium meum festina.*
3. *Pudefiant & rubore perfundantur quærentes animam meam: agantur retrorsum & ignominia afficiantur qui delectantur malo meo.*
4. *Retrocedant pro mercede pudoris sui, qui dicunt, euge, euge.*
5. *Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te; ac dicant jugiter, magnificetur Deus, amantes salutis tuæ.*
6. *Ego vero sum pauper & egens, ô Deus, festina mea causa; auxilium meum & liberator meus es, Iehova, ne tardes.*

Hic Psalmus cum fine Quadragesimi coincidit, ideoque Lectori cuilibet facile erit inde ejus Analysin & Documenta excerpere.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

*Ad te, Iehova, me recipio, ne erubescam unquam.*
2. *Iustitia tua eripe me & libera me, inclina ad me aurem tuam, ac serva me.*
3. *Esto mihi rupes quam inhabitem, quo veniam jugiter; præceptum posuisti de servando me, quia petra mea & munitio mea es.*

4. *Deus mi, libera me è manu improbi; è manu inique & præfracte agentis.*

5. *Nam tu es exſpectatio mea, Domine Iehovi; fiducia mea à pueritia mea.*

6. *Tibi innitor inde ab utero; viſceribus matris meæ tu abripuiſti me: in te* eſt *laus mea jugiter.*

7. *Tanquam oſtentum fui multis, adeo es mihi receptus robuſtus.*

8. *Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.*

9. *Non abjicias me tempore ſenectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me:*

10. *Quia loquuntur inimici mei de me, & obſervantes animam meam conſultant ſimul:*

11. *Dicendo, Deus dereliquit eum, perſequimini & prehendite eum; quia nemo* eſt *qui eripiat.*

12. *Deus, ne longe abeſto à me; Deus mi, ad auxilium meum feſtina.*

13. *Pudefiant, deficiant adverſantes animæ meæ; operiantur opprobrio & ignominia quærentes malum meum.*

14. *Ego vero jugiter in exſpectatione ſum, de tota laude tua; & perrecturus ſum.*

15. *Os meum narraturum eſt juſtitiam tuam, quotidie ſalutem tuam: quamvis ignorem numeros* ejus.

16. *Aggrediar omnimodam fortitudinem Domine Iehovi; commemorabo juſtitiam tuam ſolius.*

17. *Deus, docuiſti me à pueritia mea, & huc uſque indicavi mirabilia tua.*

18. *Quare etiam tantiſper dum ſenex & canus ſum Deus, ne derelinquas me; donec indicavero brachium tuum* huic *generationi, omni venturæ* generationi *fortitudinem tuam.*

19. *Nam juſtitia tua, Deus, in altum uſque* aſſurgit: *quia facis res magnas; Deus, quis eſt par tibi?*

20. *Quia poſtquam feciſti, ut experirer anguſtias magnas & malas; rurſus vitæ reſtituis me, & ex abyſſis terræ rurſus facis, ut aſcendam.*

21. *Auges magnitudinem meam, & divertens conſolaris me.*

22. *Etiam ego celebraturus ſum te inſtrumento nablii, fidem*que *tuam Deus mi: pſallam tibi cithera, ô ſancte Iiſraëlis.*

23. *Cantabunt labia mea, quando pſallam tibi, & anima mea quam redemeris.*

24. *Etiam lingua mea quotidie enunciabit juſtitiam tuam: quod erubuerint, quod pudore perfuſi fuerint quærentes malum meum.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Pſalmi eſt petere liberationem ab inimicis. v. 2, 3, 4, 12, &c.

Argumentum *primum* petitur à cauſa adminiſtrante, fiducia ſcil. cujus conſequentia declaratur ab incommodo pudoris alias conſecuturo. v. 1.

Argu-

Argumentum *secundum* petitur à causa principali, justitia Dei. v. 2. qua significatur perfectio æquitatis, bonitatis ac fidelitatis Dei.

Argumentum *tertium* petitur à causa subordinata, verbo scilicet & ordinatione Dei, fide apprehensa. v. 3.

Argumentum *quartum* petitur à comparatione similium, & imparium antegressæ conservationis maximæ, & omni laude dignissimæ, ab infantia, cum ista liberatione quã in senectute petit. v. 5, 6, 7, 8, 9.

Argumentum *quintum* petitur ab insultatione inimicorum, quæ Dei gloriæ adversa, vim habuit causæ impellentis, ad liberationem ejus cum eorum confusione impetrandam. v. 10, 11, 12, 13.

Argumentum *sextum* petitur à fine & fructu speratæ liberationis, in laudes Dei pro virili debito modo celebrandæ. v. 14, 15, 16.

Argumentum hoc *ultimum* per commemorationem illustratur.

1. A comparatione anteactæ celebrationis pro beneficiis antea concessis, v. 17, 18. Quarum causa communis, altitudo nempe justitiæ Dei notatur v. 19. & modo suo per oppositionem declaratur. v. 20, 21.

2. Eadem celebratio illustratur à suis mediis, distributione comprehensis, instrumentis nempe externis, corpore, ejusque membris, & anima, vel spiritu mentis, v. 22, 23, 24.

DOCUMENTA.

I. Precum ex fiducia vera proficiscentium nunquam quenquam pudebit. ex v. 1.

II. Hujus fiduciæ certum fundamentum est justitia vel perfectio Dei. ex v. 2.

III. Hæc justitia & perfectio Dei apprehendenda est à nobis in omni verbo promissionis. ex v. 3.

IV. Pia receptio, agnitio, & recordatio beneficiorum præteritorum, plurimum facit ad istam fiduciam in futurum corroborandam. ex v. 5, 6, 7, 8, 9.

V. Impiorum insultatio fiduciam nostram non debet minuere, sed acuere magis & excitare, ex v. 10, 11, 12, 13.

VI. Insultationi impiorum (qua læditur gloria Dei) opponere debent ipsi summum studium gloriam Dei promovendi. ex v. 14, 15.

VII. In Deo glorificando, quamvis quod debemus & volumus, non possimus præstare, sedulo tamen aggredi & conari debemus, quod datur nobis posse. ex v. 16.

VIII. Si inchoatio divinæ erga nos beneficientiæ inchoatum in nobis produxit studium ipsum glorificandi, certo possumus sperare quod ejusdem beneficentiæ continuatio & perfectio succedet ad idem studium perficiendum. ex v. 17, 18.

IX. Ad spem nostram sustentandam, id agere debemus, ut omnia Dei opera secundum altitudinem suam intueri possimus. ex v. 19.

X. Singularis quædam altitudo viarum Dei est in eo, quod primo deducit suos in abyssum quandam angustiarum, & inde ascendere illos facit ad maximam consolationem. ex v. 20, 21.

XI. Ut altissimæ Dei bonitati nostra gratitudo aliquo modo respondeat; omnia nostra, tam externa, quam interna in ipsius gloriam debent conspirare. ex v. 22, 23, 24.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

PRo Schelomone, ô Deus, judicia tua regi da, & juſtitiam tuam filio regis:

2. Judicet populum tuum juſte, & pauperes tuos jure.

3. Proferant montes pacem populo, & colles propter juſtitiam.

4. Vindicabit pauperes populi; ſervabit filios egentis, conteret vero oppreſſorem.

5. Reverebuntur te quam diu erit ſol; & durante luna in generationem æternam.

6. Ut quum deſcendit pluvia ſuper ſectam herbam; quum imbres, irrigatio terræ.

7. Florebit temporibus ejus juſtus; & amplitudo pacis, donec non ſit luna:

8. Et dominabitur à mari uno ad ulterum, & à flumine quaquà ſunt fines terræ.

9. Coram eo honorem exhibentes incurvabunt ſe barbari, & inimici ejus pulverem lingent.

10. Reges Oceani accolæ & inſulani munus reddent, reges Schebæ & Sebæ donarium offerent.

11. Denique incurvabunt ſe honorem exhibentes ei omnes reges omnes gentes ſervient ei.

12. Quoniam eripiet egentem vociferantem, & pauperem cui non fuerit adjutor;

13. Parcet attenuato & egenti, animaſque egentium ſervabit;

14. A dolo & à violentia vindicabit animam eorum: adeo pretioſus eſt ſanguis eorum in oculis ejus.

15. Ideo quamdiu vivet, dabit ei de auro Schebæ; & orabit pro eo jugiter, toto die benedicet ei.

16. Ubi fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium, commovebit ſe, ut Libanus fructus ejus; & florebunt cives ut herba terræ.

17. Erit nomen ejus in ſeculum, durante ſole ſoboleſcet nomen ejus; & benedicentes ſibi in eo, omnes gentes beatum prædicabunt eum.

18. Benedictus ſit Jehova Deus; Deus Iiſraëlis; qui facit mirabilia ſolus:

19. Et benedictum nomen gloriæ ejus in ſeculum: impleaturque gloria ejus tota terra, amen, iterum amen.

20. Finiuntur orationes Davidis filii Iiſchai.

## ANALYSIS.

CONTIENTUR hoc Pſalmo precatio Davidis pro Salomone jam rege Iſraëlis conſtituto ante obitum ipſius Davidis: & ſimul etiam ſub ejus typo pro regno Chriſti. Utriuſque reſpectu, pro fine & ſcopo habet deſcriptionem, votum, prædictionem & præ-

dicationem florentissimi regni: sed quoad Salomonem, conjunctam habet ejus informationem vel institutionem in officio suo præstando.

1. In hac precatione optatur primo, ut Deus Salomoni largiatur intelligentiam & voluntatem bene regnandi *judicia* scil & *justitiam*. v. 1. Secundo, ut det ipsum agere & perficere. v. 2. quod objecto suo declaratur, tam communi, quam proprio, *populum tuum, pauperes tuos*. Tertio, ut addere velit istis suum proprium fructum, omnimodam scilicet benedictionem & felicitatem. v. 3.

2. Huic petitioni, tanquam certo impetratæ & implendæ, subjungitur prædictio congruentis eventus. Ubi declarantur 1. Justitiæ exequutio, tam in oppressorum liberatione, quam in opprimentium coërtione. v. 4. cujus effectum notatur esse religionis promotio & propagatio. v. 5. 2. Fructus justitiæ. 1. Respectu civium, qui essent justi & florentes: quod similitudine illustratur. v. 6, 7. 2. Respectu Regis, cujus regnum esset amplum & latum. v. 8, 9. & in magno honore, tam apud Reges ac Principes. v. 10, 11. quam apud subditos omnes, & etiam seros posteros. v. 15, 17. cujus causa propria in justitia collocatur. v 12, 13, 14. 3. Respectu ipsius terræ, quæ etiam in locis incommodis, ex principiis minutis fructum feret amplissimum. v. 16.

3. Eidem prædictioni, fide apprehensæ, tanquam jam impletæ, subjungitur glorificatio Dei eo nomine debita, cum omni affectu repræsentata. v. 18. & 19.

DOCUMENTA.

I. Piorum parentum officium est, pia institutione & precibus liberorum suorum bonum procurare: maxime vero eorum quibus optime cupiunt & sperant. ex titulo, *pro Salomone*.

II. Officium etiam est eorum qui publicis muneribus funguntur, non tantum pro se, sed & pro successoribus suis sollicite orare. ib.

III. Intelligentia & voluntas recte agendi etiam in rebus politicis, & œconomicis sunt specialia Dei dona, precibus quærenda, etiam eis qui optime fuerunt ab infantia instituti. ex v. 1.

IV. Rogandus est Deus, non tantum ut intelligentiam & voluntatem bene agendi largiri velit; sed etiam earum firmam persistentiam ad actum ipsum perficiendum. ex v. 2.

V. Quamvis officium sit præstandum erga omnes, singulari tamen cura ejus debetur populo Dei, & præcipue eis qui pauperes sunt in populo Dei. ibidem.

VI. Ex Gubernatorum officii administratione recta pendet omnimoda pax & prosperitas populi. ex v. 3. & 16.

VII. Gubernatorum officia duo sunt potentissima, nunquam vel negligenda vel separanda, oppressos liberare, & oppressores coërcere. ex v. 4.

VIII. Finis quem Gubernatores debent spectare, & quem sperare possint ex officio præstito, est religionis veræ promotio & propagatio. ex v. 5.

IX. Ejusdem officii præstiti effectum optatum est prosperitas justorum, non impiorum. ex v. 6, 7.

X. Ejus-

X. Ejuſdem fructus eſt poteſtatis & honoris amplificatio. ex v. 8, 9,10.11. & 17.

XI. Ad officium iſtud pertinet 1. Non exſpectare dum pauperes litem conteſtantur, ſed quocunque modo clamantibus ſubvenire. 2. Parcere ipſis quantum jure poteſt. 3. Jus ipſis dicere ex mera charitate, & ita ut appareat ipſos in juſto pretio & honore haberi. ex v.12,13,14.

XII. Talibus Gubernatoribus omnia debita reddere & debent & ſolent ſubditi libenter. ex v.15.

XIII. Iſtorum omnium bonorum gloria tam à gubernatoribus, quam à ſubditis Deo in ſolidum eſt tribuenda. ex v.18,19.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUSTERTIUS.

*Psalmus Aſaphi. Atqui bonus* eſt *Iſraëli Deus, puris animo.*

2. *Equidem* quod ad *me*, *pene declinaverant pedes mei*; *nihil fere* aberat quin *effunderentur greſſus mei*:

3. *Quum inviderem inſanientibus, proſperitatem improborū aſpicerem.*

4. *Nam non* ſunt *nexus uſque ad mortem eorum*, *ſed pingue* eſt *robur eorum.*

5. *In labore mortalium non ſunt*, *& cum* reliquis *hominibus non afficiuntur plagis.*

6 *Idcirco cingit eos torques ſuperbiæ*, *operit* velut *ornamentum violentia eos.*

7. *Emicat præ pinguedine uterque oculus eorum, ſuperant cogitationes animi.*

8. *Tabifici ſunt, & loquuntur maligne oppreſſionem:* & *è ſublimi loquuntur.*

9. *Opponunt cælis os ſuum, & lingua eorum pervadit terram.*

10. *Ideoque redit populus ejus huc*, *quum aquæ pleni* poculi *exprimuntur ipſis*;

11. *Ut dicant, quomodo cognoſceret Deus fortis? aut eſſet notitia in excelſo?*

12. *Ecce iſtos improbos, ut tranquilli in ſeculo augeant vires.*

13. *Utique inaniter purifico animum meum, & lavo in munditia manus meas:*

14. *Quum ſim plaga affectus quotidie, & caſtigatio mea* præſto ſit *matutinis ſingulis.*

15. *Si dixerim, narrabo talia; ecce generationi filiorum tuorum perfidus fuero.*

16. *Si cogitem cognoſcere hoc, laborioſum* viſum *eſt in oculis meis.*

17. *Donec ingreſſus eſſem in ſanctuaria* Dei *fortis, animadvertiſſem finem iſtorum.*

18. *Utique in lubricis ponis eos, dejicis eos in vaſtitates.*

19. *Quomodo abeunt in deſolationem quaſi momento: deſinunt, conſumuntur terroribus?*

20. *Tanquam somnium, postquam evigilavit* quispiam? *Domine, quum expergisceris, imaginem eorum contemnis.*

21. *Quum exacerbabatur animus meus, &* in *renibus meis meipsum exacuebam,*

22. *Tum eram brutus, qui ignorarem :* velut *jumenta eram apud te.*

23. *Itaque ego jugiter* futurus sum *tecum : prehendisti manum dextram meam.*

24. *Consilio tuo deduc me, ut postmodum* in *gloriam recipias me.*

25. *Quis* esset *mihi in cœlis* præter te? *& præter te nullo delector in terra.*

26. *Deficiente carne mea & animo meo, rupes animi mei & portio mea Deus* est *in seculum.*

27. *Nam ecce longinqui à te pereunt, exscindis quicunque adulterando* deficit *à te.*

28. *De me itaque, propinquum esse Deo mihi bonum* est; *pono in Domino Iehovi receptum meum, ut enarrem omnia opera tua.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est declarare, Deum piis bene, & impiis male & velle & facere, quàvis contraria suspicio multis oriatur ex iis quæ in sensus incurrunt. v. 1.

Hæc quæstio à Psalte sub persona piorum in utramque partem disputatur per totum Psalmum, & primo quidem in partem negativam & falsam, qua maxima tentatio repræsentatur. ad v. 15. deinde vero in partem veram, qua illa tentatio refutatur, ad finem Psalmi.

Falsæ disputationis effectum primo notatur perniciosum, perturbatio scilicet invidiæ, & sollicitatio ad defectionem à pietate erga Deum. v. 2. & 3. in principio.

Tum ipsa disputatio vel tentatio explicatur: quæ petitur ab apparente conditione impiorum & piorum inter se comparatis. Ubi in impiis per discretionem objiciuntur eorum adjuncta pax aut fœlicitas apparens, & impietas quam interim & inde exercent.

Pax impiorum in genere declaratur. v. 3. & postea specialiter, tum negatione adversorum v. 4, 5. tum affluentia bonorum spe sua majorum. v. 7.

Impietas eorum in cogitatis dictis, & factis, declaratur. v. 6, 8, 9.

Apparens conditio piorum miseriæ plena comparate declaratur. v. 10, 12, 14.

Ex istis inter se comparatis, tanquam præmissis, conclusio sequitur tentationis, quæ est dubitatio de providentia Dei. v 10, 11. & sollicitatio ad defectionem à pietate, tanquam inani cura v. 13. quia scilicet non piis, sed impiis bene est.

Veræ disputationis, qua hæc tentatio refutatur, declaratur primo necessitas, ad perfidiam vitandam. v. 15. difficultas, aut impossibilitas, ut petatur ex sésu, & oratione carnali aut infirma. v. 16. & verũ principium ex quo peti debet, videlicet ex doctrina sanctuarii Dei. v. 17.

Disputatio ipsa vera & solida petitur ex vero judicio de iis rebus quæ in tentatione fuerunt ob-

jectæ: de conditione ſcilicet impiorum & piorum. Impiorum igitur infœlicitas arguitur ab horribili ipſorum fine, & momentanea ac vana proſperitate. v.17,18,19, 20. Piorum autem beatitudo per modum voti declaratur; quod ſcilicet in unione & cõmunione cum Deo ſolo conſiſtat. v.25. cujus partes ſunt, quod Deus pios conſilio ſuo regat, & promoveat ad gloriam veram ex ſummis miſeriis ereptos. v.23. in fine. & 24.26.

Ex iſtis autem præmiſſis, tentatio refutata damnatur. ex v.21,22. & adverſa plane concluſio infertur: miſerum nempe eſſe à Deo deficere, & beatum ipſi adhæreſcere: quia impiis male & piis bene erit. v.27,28.

## DOCUMENTA.

I. Tentationes graves quaſi vi abrumpere ſæpe juvat. ex v.1. *atqui*, vel *attamen*. notat enim enunciationis diſcretæ partem unam ex abrupto prolatam, cujus pars altera fuit gravis tentatio, quæ hac oppoſitione abrumpitur.

*Ratio* 1. Quia tales tentationum nodi ſæpe à Diabolo, & carnali ratione nectuntur, ut non poſſint facile ſolvi, atque adeo debent diſcindi. 2. Quia tales ſunt multæ tentationes, ut quamvis poſſint refutari, tamen ipſa tractatione vel meditatione diuturna ſoleant animum inquinare, atque adeo tutius multo quaſi vi ſtrangulantur. 3. Quia multæ tentationes, quæ & facile & tuto poſſunt alias à nobis diſſolvi, non poſſunt tamen tum temporis diſcuti, quando ex tentationis fumo nubes quaſi obducitur ſuper mentes noſtras: atque adeo exſpectandum eſt donec illa nubecula diſpulſa, & reducta ſerenitate, animum habeamus magis compoſitum ad lucem veritatis intuendam.

*Uſus Directionis*, ne noxiis tentationibus noſmetipſos nimis fatigemus.

II. Optima ratio pleraſque tentationes abrumpendi eſt, fortiter excitare ac renovare fidem ac fiduciam noſtram circa bonitatem Dei. ex v.1.

*Ratio* 1. Quia juſtus ex fide vivet. Habac.2.4. Rom.1.17. Gal.3.11. Heb.10.38. Principium autem vitæ eſt principium vigoris illius quo in omni periculo confirmamur. 2. Quia fides noſtra in maximis tentationibus præcipue impugnatur. Luc.22.31,32. 3. Quia fides eſt ſcutum extinguens ignita jacula Diaboli. Eph. 6.16. eſt victoria qua vincimus mundum. 1 Joh.5.4.

*Uſus Directionis*, ut præcipua noſtra cura ſit in fide iſta corroboranda.

III. Specialis Dei bonitas proprie pertinet ad veros Iſraëlitas, qui ſyncere ſtudent puritati cordis. ex v.1.

*Ratio* 1. Quia ſpiritualis Dei benedictio incipit à purificatione cordis per fidem. Act.15.v.9. 2. Quia puritas cordis expellit impedimenta, & paratum hominem reddit ad bonitatem Dei recipiendam. 1 Pet.2.1,2,3. 2 Cor.7.1. 3. Quia pure ac ſyncere Deum quærentes promiſſiones habent omnis bonitatis ipſis communicandæ. 1 Tim.4.8.

*Uſus Admonitionis*, ne acquieſcamus in profeſſione, nomine, vel notis externis Iſraëlitarum, vel Chriſtiano-

stianorum; sed purgemus corda nostra ab omni duplicitate, & in omni simplicitate Deũ quæramus.

IV. Aculeus & amaritudo tentationis est in eo, quod sollicitet ad defectionem à pietate. ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia hic proprius est scopus tentatoris, ut seducere nos possit à via recta quæ ducit ad vitam. 2 Cor. 11. 3. 2. Quia per hanc seductionem homines à Diabolo tentatore devorantur, id est, vita spirituali privantur, & in ejus potestatem rediguntur. 1 Pet. 5.8. 2 Tim. 2.6. 3. Quia hoc maxime læditur gloria nominis divini, tam in Ecclesia, quam inter infideles, Rom. 2. 24.

*Usus Directionis*, in omni tentatione hoc imprimis caveamus, ne vel extinguat, vel minuat studium pietatis. Huc spectat illa petitio, qua non petimus ne tentemur, sed ne inducamur in tentationem.

V. Istiusmodi tentationibus exercentur & aliquando etiam concutiuntur illi, qui in pietate excellunt. ibidem.

*Ratio* 1. Quia Diabolus præcipue talibus insidiatur, tanquam hostibus suis primariis, & ex quorum ruina plurimum possit lucrari. 2. Quia Deus vult ut istiusmodi exercitiis tales explorentur, & erudiantur tam de infirmitate sua, quam de gratia Dei. 3. Quia hæc est sapientissima Dei dispensatio, ut ex fortium luctationibus infirmiores proficiant. 2 Cor. 1. 4, 6.

*Usus* 1. *Consolationis*, adversus tentationum horrorem: quia tentationes illæ quæ nobis obveniunt, obvenerunt olim præstantissimis Dei servis, & ab eis etiam ad consolationem nostram superatæ. 2. *Directionis*, ne unquam securitati carnali indulgeamus, sed omni studio nos magis magisque corroboremus & muniamus adversus tentationes: quia præstantes viri graviter aliquando concutiuntur.

VI. Istiusmodi tentatio originem suam sæpe trahit ab invidia, qua afficiuntur pii ex intuitu prosperitatis impiorum. ex vers. 3. sic Psalm. 37. Jer. 12. Habac. 1. 12. Per invidiam intelligitur hic non tantum, φθόνος, sed & νέμεσις, & ζῆλος. indignatio & æmulatio inordinata.

*Ratio* 1. Quia hæc invidia aliquo modo includit in sese opinionem illam, quæ fœlicitatem hominis collocat in bonis externis: qui est exitialis error circa fundamentum pietatis. 2. Quia continet opinionem quandam propriæ dignitatis, qua quis sibi aliquo modo deberi fœlicitatem illam imaginatur: qua opinione humilitas illa, qua pietas nititur, multum labefactatur. 3. Quia continet in sese dolorem, indignationem, & iram quandam adversus Dei providentiam, vel cessationem ejus in istiusmodi rerum dispensatione, qua fit ut indignis contingant. 4. Quia continet etiam æmulationem vel desiderium conditionis illius quo impii utuntur; atque adeo inclinationem inducit ad impios imitandos.

*Usus Admonitionis*, ne invidiæ huic locum ullum in animis nostris concedamus: neque oculos nostros defigi sinamus in impiorum apparente prosperitate cum admiratione contemplanda. Nam

per

per iſtas feneſtras irrepit invidia, ſicut eſt in textu.

VII. Impii homines gaudent ſæpe immunitate quadam à multis hujus vitæ malis, quibus alii premuntur; & commodis hujus vitæ, ſupra illud quod ſperabatur, augentur. ex v. 4, 5. & 7.

*Ratio* 1. Quia Deus vult abundantem ſuam bonitatem hoc modo teſtari. Matth. 5. 45.
2. Quia hac ratione vult ipſos ad reſipiſcentiam invitare. Rom. 2. 4.
3. Quia ſic inſtituuntur pii, ut magis aſpirent ad vitam futuram, ubi liberabuntur illi à malis, & impii cruciabuntur. Luc. 6. 25.

*Vſus* 1. *Reformationis*, ne inanem illam imaginationem foveamus, quæ miſeriam hominis collocat in externis hujus vitæ malis, & fœlicitatem in bonis externis.

VIII. Impii homines pace & proſperitate ſupra modum inſolentes evadunt. ex v. 6.

*Ratio* 1. Quia inde colligunt ſe poſſe ſuis cupiditatibus abſque periculo vel pœna indulgere.
2. Quia pœnæ formidine remota pudorem excutiunt, & ſic nihil manet in illis quo poſſint coërceri. 3. Quia in peccante ſua fœlicitate acquieſcunt, ſemetipſos oblectant, & adverſus alios gloriantur.

*Vſus Informationis*, ut hinc intelligamus quantus ſit uſus afflictionum, ſicut aliis rationibus, ſic in iſtum finem, ne ſecūdis rebus inflati ſuperbi & inſolentes evadamus.

IX. Ex inſolentia fit, quod impii & injuriis contumelioſis homines violent, & blaſphemiis Deum. ex v. 8, 9.

*Ratio* 1. Quia ex inſolentia oritur contemptus non tantum hominum, ſed & Dei ipſius. Inſolentia enim homines imaginatione ſua elevatos ponit in ſublimi, unde alios quaſi inferiore loco poſitos deſpiciunt. v. 8. & vel Deo ipſi ſubjici neſciunt ac recuſant. Exod. 5. 2. 2. Quia inſolentia & contemptus omni diſciplinæ adverſatur; atque adeo frangit omne jugum, & vincula dirumpit. Jer. 5. 5. 3. Quia excutit metum pœnæ, & non veretur Deum ipſum provocare. 1 Cor. 10. 22.

*Vſus Admonitionis*, ut caveamus nobis à ſuperbia. Jer. 13. 15.

X. Pii homines, ex comparatione proſperitatis hujus impiorum, cum externa ſua conditione, eouſque nonnunquam tentantur & perturbantur, ut aliquo modo dubitent de omniſcientia & providentia Dei. ex v. 10, 11, 12, 14.

*Ratio* 1. Quia temere perſuaſerant ſibi externam fœlicitatem. Pſalm. 30. 7. Job 29. 18. Quum igitur experiuntur hanc ſpem (quæ temeraria fuit) fruſtrari; ſpe & fide toti concutiuntur.
2. Non ita profecerunt omnes pii in cognitione ac fide, quin reliquias habeant in ſeſe infidelitatis, quæ tentationis flabello poſſint quadamtenus excitari.
3. Pii dum vehementer commoventur dolore & ira, obliviſcuntur aliquo modo eorum quæ certiſſime alias credunt.

*Vſus* 1. *Conſolationis*, ne plane deſpondeamus animos, ſi alquando hujuſmodi tentationibus vexemur. 2. *Directionis*, ut diligenter muniamus nos adverſus hanc ten-

tentationem, & in fide providentiæ divinæ radicari studeamus.

XI. Ex perversa hac opinione de impiorum & piorum conditione, una cum dubitatione inde manante de providentia Dei, diabolica sequitur sollicitatio ad defectionem ab omni studio pietatis. ex v.13.

*Ratio* 1. Quia hæc imaginatio omnem remunerationem pietatis tollit: atque adeo pietatem omnem frustraneam repræsentat. 1 Cor.15. 14. 2. Quia pietatis mercedem, fœlicitatem in impios transfert. 3. Quia Dei scientiam in dubium vocans, incertam relinquit differentiam boni à malo.

*Usus* 1. *Admonitionis*, ut fundamentales istas tentationes, tanquam exitiales abominemur.

2. *Directionis*, ut omni modo firmum & fixum habere studeamus principium illud pietatis de gloriosa mercede, quæ piis est parata. Psalm.58.11. 1 Cor.15.ult.

XII. Pietas vera (quæ hujusmodi tentationibus impugnatur) consistit in cordis & conversationis purificatione. ex eod. v.13.

*Ratio* 1. Quia ad communionem cum Deo habendam requiritur ut renunciemus communioni cum peccato. 2 Cor.7.1. Heb.12. 14. 1 Joh.3.3. 2. Quia hæc est propria operatio fidei veræ, quæ est principium solidæ pietatis. Act.15. 9. 3. Quia pietatis natura est, ut Deo nos totos dicemus, eumque tam corpore quam spiritu glorificemus. 1 Cor.6.20.

*Usus Redargutionis*, adversus illos qui pietatem profitentes, vim hanc purificationis vel abnegant, vel neglectui habent.

XIII. Qui vere pii sunt, quamvis hujusmodi tentationibus percellantur, nunquam tamen in easdem (ut impii) plane inducuntur. ex v.15.

*Ratio* 1. Quia impii istiusmodi opiniones avide arripiunt & consectantur, tanquam suis moribus faventes; sed pii ex parte quamvis admittant, non faciunt hoc tamen sine obnixu & reluctatione. 2. Impii talia volentes concludant, quamvis argumentis validis non urgeantur, sed pii non disceptant de talibus, nisi validis tentationum objectionibus turbati; & quum disceptant, quamvis objectiones refutare non possint, nunquam tamen penitus concludunt. 3. Impii nihil metuunt in istiusmodi blasphemiis, nisi quod pœnæ horrore a liquando concutiantur: sed pii ab ipsa *perfidia* & peccato abhorrent: sicut est in textu.

*Usus Consolationis*, adversus istas tentationes, si iisdem constanter resistamus.

XIV. Tentationes hujusmodi nulla humana ratiocinatione possunt explicari ac superari. ex v.16.

*Ratio* 1. Quia viæ & consilia Dei sunt mirabilia supra nos, adeo ut nequeant ratione cognosci. Job.41 3. 2. Quia ratio humana corrupta est in omnibus, & singulari perversitate laborat in viis illis Dei censendis, quæ φιλαυτια & superbiæ adversantur. 3. Quia rationis acies tentatione præstringitur & hæbetatur, ut ne tantum quidem percipiat eo tempore quantum alias comprehendit.

*Vſus Informationis*, Providentiæ igitur divinæ rationem ad humani judicii examen ac normam exigi non debere. Qui enim hoc faciunt, labirynthis & meandris inextricabilibus implicantur.

XV. Solvuntur ac ſuperantur omnes tentationes religioſo uſu & applicatione verbi Dei. ex v. 17. Sanctuarium enim per metonymiam ſubjecti loci ponitur pro verbo quod ibi prædicabatur; & ingreſſus in illud ſanctuarium notat pias meditationes, ac preces, quibus penetramus ad rectam intelligentiam verbi.

*Ratio* 1. Quia mirabilia conſilia Dei in verbo revelantur. Pſalm. 119.12. 2. Quia verbum Dei ſapientiam & intelligentiam adfert etiam ſimplicibus. Pſalm. 19. 8. & 119.98. 3. Quia verbum Dei ratiocinationes humanas evertit, & in captivitatem redigit omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. 2 Cor.10.5.

*Vſus Exhortationis*, ut ingrediamur in hoc ſanctuarium, ibique perpetuo habitemus, id eſt, ut cum omni ſtudio ac religione id agamus, ut ex verbo Dei ſapere poſſimus.

XVI. Ad tentationem iſtam ſuperandam, plurimum facit animadvertere finem impiorum, prout in verbo Dei declaratur. ex v. 17. in fine.

*Ratio* 1. Quia omnia media ex fine & fructu æſtimantur, & via omnis ex termino ad quem ducit. Matth. 7.13, 14. 2. Quia finis impiorum ex Dei ordinatione ita dirigitur, ut habeat rationem juſtæ mercedis. Rom. 6.21, 23. 3. Quia finis eſt æternus; & fides alitur ac perficitur ſpectando futura, æterna, quæ non cernuntur. 2 Cor.4.18.

*Vſus Directionis*, ut non tam ad principia, quam ad finem attendamus. Deut. 32. 29. Lament. 1.9. Pſalm. 37.36,37.

XVII. Finis impiorum eſt inexſpectata, mirabilis, terribilis deſolatio & conſumptio cum contemptu. ex v. 18, 19, 20.

XVIII. Qui negligunt verbum Dei, & non diſcunt ex eo animadvertere finem impiorum, illi tentationibus Diaboli ad brutorum quandam ignorantiam & ſtuporem adiguntur. ex v. 21, 22.

*Ratio* 1. Quia vacui ſunt omni vera ſapientia & intelligentia. Job.11.12. Prov.30. 2. Jeſ.8.20. 2. Quia brutos affectus induere ſolent, & in ſenſualibus acquieſcunt. Pſalm. 49. ult. 2 Pet.2.12. Jud. 10. 3. Quia ſic evaneſcunt in ſuis cogitationibus, ut quamvis ſibi & aliis multum ſapere videantur, coram Deo tamen habentur pro brutis, ſicut eſt v. 22. *velut jumenta eram apud te.* Rom. 1. 21, &c.

*Vſus* 1. *Admonitionis*, ut in iſtiuſmodi rebus ſapientiæ noſtræ renunciare & ex verbo Dei pendedere diſcamus. 2. *Directionis*, ut ſi quando ad tempus hujuſmodi tentationibus ineſcati fuimus, eaſdem cum ſeria deteſtatione, humili confeſſione, ac noſtri damnatione quamprimum excutiamus, ſecundum hoc Davidis exemplum.

XIX. Pii ab iſtiuſmodi tentationibus conſervantur ac liberantur potente Dei manu. ex v. 23. 1 Pet.1.5.

*Ratio* 1. Qua ſemetipſos conſervare non poſſunt abſque Dei ope.

ope. 2 Cor. 3. 5. 2. Quia sua vanitate, & tentationum deceptione seducti, ne tantum quidem faciunt ad conservationem sui, quantum possunt. 3. Quia manus ipsorum à Dei manu retinetur, ne manum Dei sustentantem dimittat: sicut est in textu.

*Usus* 1. *Consolationis*, adversus pericula tentationum. 2. *Directionis*, ut ex Dei manu pendeamus toti: & ipsi in solidum conservationis nostræ gloriam tribuamus.

XX. Conservationis hujus propria ratio est, quod pii ducantur consilio Dei. ex v.24.

*Ratio* 1. Quia testimonia Dei sunt consiliarii piorum. Psalm.119 24. 2. Quia Spiritus Dei bonus interne ipsos agit. Psalm.143. 10. Neh.9 20. 3. Quia providentia Dei bona dirigit gressus eorum in bonum. Nehem 2. 8. 4. Quia Deus per ista media fœlicem exitum tentationum omnium præstat piis. 1 Cor.10.13.

*Usus Directionis*, quomodo fidem, patientiam, & observantiam nostram confirmare possimus adversus pericula tentationum.

XXI. Finis hujus directionis est gloria. ibidem.

*Ratio.* Quia gratia tendit ad gloriam. Psalm.84.12.

*Usus Directionis*, ut istum finem semper ante oculos ponamus, ne vel prosperitate impiorum, vel piorum afflictionibus perturbemur.

XXII. Qui consilium hoc Dei & gloriam ejus rite apprehendunt, ii pectus in Deo acquiescunt, ita ut præter illum nihil magni faciendum ducant. ex v.25.

*Ratio* 1. Quia beatitudo nostra consistit in hac unione & communione cum Deo. 2. Quia hæc beatitudo talis est, ut omnia mundana pro stercoribus haberi faciat. Phil.3.8. 3. Quia omnem amaritudinem hujus vitæ exhaurit.

*Usus Exhortationis*, ut ad istam perfectionem perpetuo aspiremus; qua sola ratione tentationes hujusmodi superantur.

XXIII. Nulla est tanta calamitas, vel corporis vel animæ, quæ non per fiduciam in Deo superatur, tanquam per rupem defensionis, & felicitatis portionem. ex v.26.

*Ratio* 1. Quia Deus nobis & omnia alia, & nosmetipsos facile potest præstare. 2. Quia talis est Deus, non uno tempore, aut aliquãdiu, sed in seculum; sicut est in textu. 3. Quia per fidem ac fiduciam assequimur ut talem se præstet nobis in seculum. in textu.

*Usus Exhortationis*, 1. Ut tentationibus illis, quæ abducerent nos à Deo, nullum unquam locum in animis nostris concedamus. 2. Ut non dubitemus ullam afflictionem subire, ad quam nos vocamur à Deo: quia Deus omnia nobis præstabit.

XXIV. Nulla est tanta felicitas, vel corporis, vel animæ, quæ à Deo separatos potest à perditione servare. ex v. 27.

*Ratio* 1. Quia à vera salute ac felicitate, id est, à Deo sunt alieni. in textu. 2. Quia suis peccatis ab eodem Deo perditionem accersunt. in textu.

*Usus Admonitionis*, ne in animos nostros admittamus unquam somnium illud impiorum de impunitate ac felicitate obtinenda, dum peccato indulgemus. Deu. 29.18,19,20.

XXV. Istis considerationibus

fidelis

fidelis tandem, victis omnibus tentationibus adverſis, in fide & obſervantia ſua ſtabilitur. ex v. ult.

*Ratio* 1. Quia concludit prorſus contradictorium illius quod tentatio ſuadebat. ex comp. v. 13. cum 28. 2. Quia vanitate tentationis detecta, avertens animum à tentationis objectamentis, inhæret meditationibus illis quibus fides alitur & confirmatur *in Domino Jehovi.*

3. Quia fidei virtute excitatur ad conatus pios, qui plane contrarii ſunt eis ad quæ tentatio eum ſollicitabat. ex comp. v. 15. cum 28. in fine.

*Vſus Directionis*, 1. Ut hac eadem via pacem conſcientiæ quæramus. 2. Ut exploremus noſmetipſos ad hoc exemplum, utrum ex tentationibus hujuſmodi profecerimus, necne.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

ODe didaſcalia, *Aſ pho. Quare Deus rejicis in æternum? ſumare pergit ira tua in gregem paſtus tui?*

2. *Recordare cœtus tui; te acquiſiviſſe antea, vendicaſſe tribum poſſeſſionis tuæ; montem Tzijonis hunc eſſe in quo habitabas.*

3. *Attolle pedes tuos ad vaſtitates æternas*, ad *omnia mala* quæ *facit inimicus in loco ſancto.*

4. *Rugientes hoſtes tui in medio ſynagogarum tuarum, poſuerunt inſignia ſua* pro *inſignibus.*

5. *Nobilis habitus eſt* eorum quiſque, *prout efferebat ſurſum contra implexa ligna ſecures.*

6. *Etiam nunc ſculpturas ejus ſimul vecte & tuditibus tundunt.*

7. *Immiſerunt ignem in ſanctuaria tua*; dejicientes *in terram prophanarunt tabernaculum nominis tui.*

8. *Dixerunt cum animo ſuo: Vim inferamus* eis *pariter: incenderunt omnes ſynagogas* Dei *fortis* dejicientes *in terram:*

9. *Inſignia noſtra non videmus*; *non* eſt *amplius propheta*, *neque* eſt *apud nos qui ſciat uſque quo.*

10. *Quouſque ô Deus, probro afficiet hoſtis? irritabit inimicus nomen tuum in æternum?*

11. *Quare avertis manum tuam, &* quidem *dexteram tuam? è medio ſinus tui cohibe.*

12. *Atqui Deus rex meus* eſt *jam olim, operans omnimodam ſalutem in medio terræ.*

13. *Tu diſrupiſti robore tuo mare, perfregiſti capita cetorum in aquis.*

14. *Tu conquaſſaſti capita balanæ, dediſti cibum ipſi populo per deſerta* proficiſcenti.

15. *Tu fidiſti fontem & torrentem; tu areſacis fluvios validos.*

16. *Tuus* eſt *dies; etiam tua nox, tu paraſti lumen* hujus *& ſolem.*

17. *Tu ſtatuiſti omnes terminos terræ: ipſam æſtatem & hyemem tu formaſti.*

18. *Recordare* ſaltem *hujus; inimicum probro afficere*, *ô Iehova, & populum ſtultum irritare nomen tuum.*

19. Ne

19. *Ne tradas* isti *catervæ vitam turturis tuæ*; *caterva pauperum tuorum afflictorum ne obliviscaris in æternum.*

20. *Intuere in fœdus: nam repleta sunt obscurissima loca terræ, caulæ* sunt *violentiæ.*

21. *Qui attritus est, ne redeat confusus, pauper & egens laudent nomen tuum.*

22. *Surge ô Deus, age caussam tuam*; *recordare opprobrii tui* quo afficeris *à stulto quotidie.*

23. *Ne obliviscaris vocis hostium tuorum*; *strepitus insurgentium in te, augescentis jugiter.*

## ANALYSIS.

OCCASIO hujus Psalmi fuit extrema vastatio Judeæ, vel tempore captivitatis à Babyloniis, vel post ab Antiocho profecta. Scopus est petere liberationem à tanta calamitate. Simul igitur calamitas ipsa describitur, per modum querelæ, & liberationis petitio variis argumentis urgetur. Quæ duo primo succincte proponuntur. v.1,2,3.& postea fusius explicantur ad finem usque Psalmi.

In propositione calamitas describitur 1. A causa, Dei scilicet rejectione vel desertione, ex ira accensa: quæ amplificatur à suo objecto, quod fuerit in populum illum quem elegerat & agnoverat pro suo. v.1. & ab adjuncta duratione. v.1, & 3. *in æternum.* 2. A modo, gradu, duratione, instrumento & subjecto loco calamitatis inde sequutæ. v.3. Petitio autem liberationis urgetur à descriptione populi, qui calamitatem istam patiebatur, quod scilicet ille idem fuit populus, erga quem Deus olim peculiarem gratiam exercuerat.v.2. ubi vis consequentiæ partim est ab objecti, & partim à parium ratione.

In fusiore harum rerum explicatione, Calamitas imprimis illustratur 1. Ab insolentia hostium in omnibus sacris evertendis & prophanandis. v.4,5,6,7,8. & in Deo ipso contumeliis ac blasphemiis proscindendo, v. 10. 2. A defectu mediorum consolationis, v 9. 3. A tolerantia Dei, qui tamdiu patiebatur talem hostem tam petulanter grassari. v. 10,11.

Petitio deinde urgetur, & fides ejus confirmatur 1. A speciali illa ratione quam Deus habuit ad istum populum.v.12. 2. A specialibus exemplis liberationis olim præstitæ. inde ad v.16. 3. A communioribus exemplis potentis Dei gubernationis. v. 16, 17. 4. A præsente necessitate, ad nomen Dei ipsius à contemtu vindicandum. v.18,22,23. & miseram Ecclesiam ab interitu conservãdam. v.16,20. 5. Ab effecto, nominis divini laudatione: quod illustratur contrario effecto liberationis negatæ, in confusione piorum. v.21.

## DOCUMENTA.

I. Omnia mala quæ inimici nobis faciunt, proveniunt à justa desertione & ira Dei. ex v.1.cum 3.

*Ratio* 1. Quia providentia Dei omnia tam mala quam bona ordinantur ac disponuntur. Amo. 3. 6. Jes.

Jeſ.45.7. Lam.3.38. 2. Quia inimici omnes noſtri ſunt quaſi inſtrumenta providentiæ divinæ. Jeſ.10.5. 3. Quia non inferuntur nobis mala niſi propter peccata. Lam.3.39. 4. Quia Deus nobis reconciliatus facile efficere poteſt ne noceant nobis inimici: vel animos eorũ mutando, Prov 17.7. vel impetum eorum cohibendo. Jeſ.37.29.

*Vſus Directionis*, ut in omnibus malis ad Deum imprimis reſpiciamus, tanquam plagarum omnium authorem, & earundem etiam propulſatorem, neque cum canibus lapides, aut cum equis fræna mordeamus.

II. Efficax medium conſolationis adverſus omnia mala eſt, fide confugere ad miſericordiam & fœdus Dei gratioſum, ex v.2.

*Ratio* 1. Quia miſericordia illa Dei fons eſt omnis ſalutis, ex quo haurire ſemper debemus quod nobis eſt opus. 2. Quia hujus fœderis oblivio eſt cauſa malorum: quæ per contrariam recordationem tolli debet. 3. Quia finis eſt caſtigationum à Deo immiſſarum, ut magis fideliter & arcte Deo ejuſque fœderi adhæreamus.

*Vſus Directionis*, quomodo erigamus animos noſtros ne gravioribus malis, ſive privatis, ſive publicis plane opprimantur.

III. Inter omnes calamitates nihil magis piorum animos percellit, quam cultus & nominis divini inſolens prophanatio. à v.4.ad 12.

*Ratio* 1. Quia Deum diligunt ſupra omnia, ejuſque gloriam habent ſua vita chariorem. 2. Quia ſicut regnum Dei primo quærunt, & cetera omnia tanquam additamenta, Matth.6.33. ſic ejus violationem imprimis deplorant, & cæteras calamitates tanquam ſecundarias. 3. Quia peccata hominum nullo ſuo effecto apparent magis abominanda, quam quod Dei nomen afficiant contumelia, cumque diſcedere faciant à populo ſuo. 4. Quia hac ratione impii homines videntur triumphum agere in Deum ipſum, atque adeo fidem ac fiduciam piorũ.

*Vſus Directionis*, ut nos noſtroſque affectus ad hoc exemplum exploremus, ſi eodem ſpiritu ducamur. Exemplum egregium commemoratur 1 Sam.4.18.

IV. Solidum fundamentum ſpei adverſus omnia mala ſuppetit eis qui à Deo pendent tanquam à rege ſuo. ex v.12.in principio.

*Ratio* 1. Quia rex ſuis ſubditis debet protectionem. 2. Quia protectio Dei ſufficiens eſt adverſus omnia mala. *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* 3. Quia Deus ut protector ſemper & ubique ſuis adeſt.

*Vſus Conſolationis*, omnibus fidelibus, qui Deo, tanquam fideli conditori ac regi, commendant animas ſuas bene agendo. 1 Pet.4.19.

V. Memoria liberationum omnium quas Deus jam olim (ut rex bonus) ſuo populo præſtitit, fidem ac ſpem noſtram debet confirmare. ex v.13,14,15.

*Ratio* 1. Quia omnes pii ab origine mundi, in unum Chriſti corpus coaleſcunt, una fide viventes, uno ſpiritu vegetati, ita ut quod in unum membrum confertur, non privatum illius, ſed publicum totius corporis bonum ſit. 2. Quia tanta eſt conſtantia Dei, ut ſui ſimilis maneat ſemper, non po-

potentia tantum, sed & benignitate erga suos. 3. Quia priora ejus in suos beneficia, in illum finem & facta sunt & literis sacris consignata, ut fidelibus omnibus sint pignora & vades beneficentiæ similis ex omni occasione præstandæ.

*Usus* 1. *Consolationis* magnæ erga fideles, quod possint ex omnibus illis beneficiis, quæ unquam ab Adami temporibus in fideles collata fuerunt, suam fiduciam confirmare. 2. *Directionis*, quomodo in lectione historiæ sacræ versari debemus; ita scilicet ut fide omnia ad nostrũ usum accommodemus. Rom. 15.4.

VI. Temporum conversio & anni vicissitudo facit ad fidelium spem in suis calamitatibus erigendam. ex v. 16, 27.

*Ratio* 1. Quia in istis elucet maxima Dei potentia & providentia. 2. Quia in commutatione tenebrarum in lucem, & hyemis in æstatem, imago quædam apparet maturæ depulsionis calamitatum, & conversionis omnium in statum optatum. Psalm. 30.6. Lam. 3.23.

*Usus Consolationis* & *Directionis*, ut prius.

VII. Propria fundamenta spei, quam Ecclesia habet in angustiis suis, sunt, Dei gloria à stultis hominibus indignissime læsa. v. 18, 22, 23. Dilectio ejus erga Ecclesiam suam. v. 19. Dei fœdus v. 20. Fidelium conservatio à confusione, & excitatio ad nomen Dei laudandum. v. 21.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUSQUINTUS.

*Magistro symphoniæ, ne perdas; Psalmus Asapho, & canticum.*

2. *Celebramus te Deus, celebramus: nam propinquum nomen tuum, enarrant mirabilia tua.*

3. *Quum excepero conventum, ego rectissime judicabo.*

4. *Solutas terra, omniumque habitatorum ejus, ego aptabo columnas maxime.*

5. *Dicens insanientibus, ne insaniatis, & improbis, ne attollatis cornu:*

6. *Ne attollatis contra excelsum cornu vestrum*, ne *loquamini collo duro.*

7. *Non enim ab exorto aut ab occasu, neque à deserto* est *exaltatio:*

8. *Sed Deus judex hunc deprimit, & illum extollit.*

9. *Nam poculum in manu Iehovæ, & vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fudit: verumtamen fæces ejus* quas *expresserint, bibent omnes improbi terræ.*

10. *Ego itaque annunciem in seculum, psallam Deo Iahakobi.*

11. *Et omnia cornua improborum succidam; exaltentur cornua justi.*

## ANALYSIS.

CONTINETUR hoc Psalmo celebratio nominis divini per Davidem & reliquos fideles de mirabili ejus providentia in omnium rerum administratione & specialiter in conservatione Davidis & ejus

ejus ad regnum evectione, jamjam perficienda. Hujus celebrationis professio generalis proponitur v. 2. Inde autem speciali voto (quoad efficaciam suam) explicatur: quomodo scilicet Dei nomen celebraturus esset David postea in regno suo; id est, officium justi ac pii regis accurate præstando. v. 3. Hoc ipsum porro declaratur duobus effectis, quorum primum fuit restitutio rerum prolapsarum. v. 4. alterum fuit medium imprimis necessarium ad illam restitutionem; repressio scilicet fastus & furoris hominum impiorum. v. 5, 6. In illum insuper finem, impiorum primarium ac fundamentalem errorem damnat ac refutat, quo vel fortunæ, vel humanis consiliis ac viribus exaltationem ac depressionem hujus aut illius adscribunt, quæ pendet ex Dei potenti gubernatione v. 7, 8. Qualis autem sit illa Dei administratio, tam erga pios quam impios allegorice declaratur v. 9. Ex istis quasi partibus colligitur plena Dei celebratio v. 10, 11.

## DOCUMENTA.

I. Studium nominis Dei celebrandi ex omni occasione debet in nobis excitari. ex v. 2.

II. Efficacissima ratio Dei celebrandi est, quando factis eum glorificamus in illa statione, qua sumus ab ipso collocati. ex v. 3.

III. Qui aliis præficiuntur, maxime Deum glorificare debent emendatione & reformatione eorum, quæ depravata sunt. ex v. 4.

IV. Per illos præcipue reprimendus furor impiorum, & fastus ille à quo procedit. ex v. 5, 6.

V. Doctrina de Dei potente ac justa mūdi gubernatione, tā piis quā impiis est inculcanda. ex v. 7, 8, 9.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

*Magistro symphoniæ fidium, Psalmus Asapho & canticum.*

2. *Nobilis est in Iehuda Deus, in Israële magnum nomen ejus:*

3. *Cujus tugurium est Schalemi, & habitaculum Tzijone.*

4. *Ibi confregit coruscos arcus; scutum, gladiumque, & bellum vehementissime.*

5. *Illustris factus es, magnificus, ex montibus direptionis.*

6. *Dediderunt se in prædam robusti animo, dormitaverunt somnum suum: adeo ut non invenerint ulli viri bellatores manus suas.*

7. *Præ increpatione tua, ô Deus Iahakobi: consopitus est & currus & equus.*

8. *Tu, tu* inquam *formidabilis* es: *ecquis consisteret coram te, ex quo irasceris?*

9. *E cælis facis ut audiatur sententia; terra timet, & quieta sidit;*

10. *Quum surgit ad judicium Deus, ad servandum omnes mansuetos terræ maxime.*

11. *Nam æstus hominum celebrat te, residuo æstuum accingis* tuos.

12. *Vovete &* vota *reddite Iehovæ Deo vestro; quicunque circumstant illum offerant munus illi formidabili,*

13. *Qui vindemiat spiritum antecessorum, formidabili regibus terræ.*

ANA-

## ANALYSIS.

PSALMUS iste compositus fuit ex occasione extraordinariæ defensionis à Deo præstitæ populo suo adversus prævalidos hostes: & ut maxime verisimile est, respicit liberationem illam ab Assyriis, quæ tempore Hezechiæ perficiebatur. 2 Reg. 19. Scopus est Ecclesiam ad debitam gratitudinem eo nomine excitare. v. 12, 13.

Argumenta, quibus hoc officium suadetur, Primo generaliter proponuntur v. 2 quod scilicet Deus in Ecclesia singulariter ostenderit magnitudinem nominis sui ab omnibus celebrandam & nobilitandam. 2. Causa communis hujus rei declaratur fuisse, quod ibi sedem suæ præsentiæ singulariter fixerit. v. 3. 3. Effectum speciale prædicatur: quod fuit hostium coërtio celebris ac gloriosa. v. 4, 5, 6. Cujus specialis causa & modus notatur. vers. 7. Increpatio nempe Dei. Efficax autem vis increpationis divinæ ad tale effectum producendum asseritur v. 8. & illustratur exemplo, v. 9, 10. nec non effectu ac usu suo. v. 11.

### DOCUMENTA.

I. Deus sese exhibet in Ecclesia, pro Ecclesia maxime gloriosum, & ab Ecclesia maxime glorificandum. ex v. 2.

II. Principium hujus rei in eo consistit, quod Deus communicet se Ecclesiæ per cultum suum institutum ac receptum. ex v 3.

III. Privilegium est Ecclesiæ, quod Deus ex vi fœderis eam protegat, & hostes ejus perdat. ex v. 4, 5, 6.

IV. Ad hoc perficiendũ sufficit sola Dei increpatio. ex v. 7, 8, 9, 10.

V. Furorem & insolentiam impiorum hostium convertit Deus in materiam gloriæ suæ. ex v. 11.

VI. Fideles hujusmodi rerum experientia, ad fidem, cultum; & gratitudinem excitantur. ex v. 12.

## PSALMUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

*Magistro symphoniæ, præfecto* posteris *Jeduthunis; Asaphi Psalmus.*

2. *Vox mea ad Deum* fertur, *quum exclamo: vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me.*

3. *Tempore angustiæ meæ Dominum requiro: manu mea noctu perfusa; & non intermittente: renuente consolationem admittere anima me.*

4. *Recordor Dei, quum fluctuando perstrepo: meditor, quum obruit se spiritus meus vehementissime.*

5. Quum *tenes vigiles oculos meos; concutior, ita ut non possim eloqui.*

6. *Reputo tempora inde ab antiquitate, annos* superiorum *seculorum.*

7. *Recordor musicæ pulsationis meæ nocte: cum animo meo meditor, & perscrutatur spiritus meus* dicens;

8. *An in secula repelleret Dominus? aut non pergeret bene velle amplius?*

9. *An deficeret in æternum benignitas ejus? deſineret ſermo in quamque generationem?*

10. *An oblitus eſſet gratiam facere* Deus *fortis? an occluderet ita miſerationes ſuas ſumme?*

11. *Tandem dico; infirmare me iſtud mutata dextera excelſi?*

12 Imo *recordabor actionum Iah: quin recordabor inde ab antiquitate quodque mirabilium tuorum:*

13. *Et meditabor de unoquoque opere tuo; de actionibus tuis confabulabor,* dicens;

14. *O Deus in ſanctitate via tua* eſt; *quis* Deus *fortis magnus* eſt, *ut Deus?*

15. *Tu, ô Deus fortis mirifice, oſtendiſti in populis robur tuum.*

16. *Vindicaſti brachio populum tuum; poſteros Iahakobi, etiam Ioſephum maxime.*

17. *Videntes te aquæ, Deus, videntes te aquæ formidarunt: etiam commotæ ſunt abyſſi.*

18. *Exundarunt aquas nubes, ſonum ediderunt ſuperiores nubes: etiam pervaſerunt ſagittæ tuæ.*

19. *Sonante tonitru tuo in iſto orbe, illuſtrarunt fulgura orbem habitabilem: commota eſt & tremuit terra.*

20. *Per mare via tua, & ſemita tua per aquas amplas; ubi veſtigia tua non ſunt cognita.*

21. *Duxiſti ut gregem populum tuum, Moſchis & Aharonis opera.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo docet nos Propheta, ſub exemplo ſuo, quomodo nos gerere debeamus, quando premimur gravi aliqua calamitate.

Summa hujus doctrinæ proponitur v. 2. ut ſcilicet ad Deum precibus confugiamus cum certa ſpe exauditionis. Hanc autem doctrinam fuſius explicat per enarrationem vel deſcriptionem ſtudii precandi, quod in ſua graviſſima afflictione adhibebat; & luctæ inde exortæ, una cum victoria quam tandem luctando conſequutus eſt Pſalmiſta.

Studium & conſilium ſuum declarat v. 3, 4, 5. lucta inde exorta ad vivum repræſentatur, v. 6, 7, 8, 9, 10. victoria ejuſque conſequendæ ratio in reliqua parte Pſalmi narratur.

Studium precandi per oppoſita diſcretive illuſtratur, quamvis anima ejus nullum ſolatium in Deo ad leniendos cruciatus invenerit, ipſum tamen dediſſe ſe precibus, Idem etiam ſtudium illuſtratur inſtantia, conſtantia, & graduum ac modorum varietate, *requiro Dominum, recordor Dei, meditor.*

Lucta vel conflictatio animi, quæ ex illo conatu ſequebatur, primo generaliter declaratur à cauſa ſua adjuvante, recordatione ſcil. tam communium Dei beneficiorum ergà Eccleſiam, quam ſingularium illorum, quæ ipſemet Propheta cum magno ſuo gaudio fuerat expertus, v. 6, 7. Eadem lucta graphice poſtea repræſentatur ſub interrogandi formâ, tam ad dubitationem præcedentem ex-

ponendam, quam ad eandem in posterum excutiendam, v. 8, 9, 10. Ubi argumenta illa primaria, quibus in ista lucta nitebatur, notat fuisse, 1. Benevolentiam ac benignitatem Dei. 2. Sermonem promissionis quo illa benevolentia fuit manifestata. 3. Constantiam benevolentiæ, ac fidelitatis ejus.

Victoria, quam tandem post certamen hoc Propheta reportavit, declaratur 1. Per oppositæ tentationis rejectionem, & causæ ejus elevationem, v. 11. 2. Per causam ejus procreantem, debitam scil. considerationem actionum Dei antiquarum, mirabilium, & sanctissimarum, v. 12, 13, 14. quarum nobilissimum exemplum commemoratur, & magnifica descriptione ornatur, ad finem usque Psalmi.

### Documenta.

I. In extremis rerum difficultatibus unicum remedium est, Deum invocare cum spe exauditionis, ex vers. 2.

II. Ad hoc præstandum excitare nosmetipsos debemus exempla piorum intuendo, ibid. &c.

III. In istis precibus cum omni conatu, instantia, & constantia perseverare debemus, quamvis nullum ex illis levamen, sed potius inquietudinis augmentum sentiamus ad tempus, ex v. 3, 4, 5.

IV. Ad mitigandum dolorem, & spem erigendam, plurimum facit recordatio benignitatis Dei, quam erga alios exercuit, sed præcipue nosmetipsi olim sumus experti, ex vers. 6, 7.

V. Ex ista recordatione eo saltem proficere possumus ac debemus, ut fortiter luctemur adversus dubitationes illas, quibus fides ac spes nostra labefactatur, ex vers. 8, 9, 10.

VI. In lucta illa quam habemus adversus dubitationes & infidelitatis motus, erigere nosmetipsos debemus intuitu benevolentiæ, benignitatis promissionum, & constantiæ Dei, ibid.

VII. Quamvis Dei & operum Dei meditatio non statim nobis adferat solatium optatum, nostram tamen infirmitatem agnoscentes, in eadem assidue persistere debemus, donec tentationum omnium victores evadamus, ex v. 11, 12, 13.

VIII. Tum demum victores evadimus hujusmodi tentationum, quando Deum in viis suis ex animo possumus laudare ac glorificare, ex v. 14, 15.

IX. Ad Dei glorificationem & fidei vigorem in cordibus nostris promovendum, cum omni attentione & admiratione, figere animos debemus in magnorum operum Dei contemplatione, ex v. 16, &c.

## Psalmus Septuagesimus octavus.

*ODe didascalica, Asaphi. Auribus percipe, populo mi, doctrinam meam; inclinate aurem vestram ad sermones oris mei.*

2. *Aperiam per parabolam os meum, eructabo occulta inde à prisco* tempore.

3. *Quæ audivimus ac novimus, ut majores nostri narraverunt nobis.*

4. *Non celabimus filios eorum generationem posteram: narraturos laudes Iehovæ robur que ejus, & mirabilia ejus opera quæ fecit.*

5. *Nam*

5. *Nam ſtatuit teſtimonium in Iahakobo, & legem poſuit in Iſraele ; quum præcipit majoribus noſtris nota facere filiis ipſorum :*

6. *Ut ſciant generatio poſtera, filii naſcituri ; ſurgenteſque enarrent filiis ſuis :*

7. *Et ponant in Deo ſpem ſuam, neque obliviſcantur actionum Dei fortis, ſed præcepta ejus cuſtodiant :*

8. *Ac non ſint ut majores eorum, generatio contumax & rebellis; generatio quæ non comparavit animum ſuum, & cujus ſpiritus non fuit conſtans erga* Deum *fortem.*

9. *Ut poſteri Ephrajimi armati jaculantes arcu, vertentes* terga *tempore prælii.*

10. Quia *non ſervaverant fœdus Dei, & in lege renuerant ambulare.*

11. *Obliti actionum ejus, & mirabilium ejus operum quæ oſtenderat ipſis.*

12. *Coram majoribus eorum fecerat miracula ; in terra Ægypti, agro Tanitico.*

13. *Diffiderat mare ut traduceret eos, ſtatuens aquas tanquam acervum:*

14. *Deduxeratque eos nube interdiu, & totam noctem lucente igne ;*

15. *Fiderat rupes in deſerto, ut potum præberet in abyſſis plurimum,*

16. *Educens fluenta è petra, & demittens tanquam flumina aquas.*

17. *Perrexerunt tamen adhuc peccare in eum, exacerbando excelſum in ipſa terra ſicca :*

18. *Et tentantes* Deum *fortem cum animo ſuo, petiverunt cibum pro deſiderio animi ſui :*

19. *Ac obloquentes contra Deum dixerunt, an poſſet* Deus *fortis inſtruere menſam in deſerto ?*

10. *En ita percuſſit rupem, ut fluxerint aquæ, & torrentes exundaverint : an etiam cibum poſſet dare ? an pararet carnem populo ſuo ?*

21. *Idcirco audiens Iehova, excanduerat : & ignis ſuccenſus erat in Iahakobum, ac etiam ira aſcerat in Iiſraelem :*

22. *Quia non crediderint in Deum, neque confiſi erant in ſalute ejus :*

23. *Quamvis præcepiſſet ſuperioribus nubibus ſuperne, & januas cœlorum aperuiſſet ;*

24. *Depluenſque ſuper eos Man ad comedendum, frumentum cœlorum daret illis ;*

25. *Panem robuſtiſſimorum, comederet quiſque ; viaticum mitteret eis ad ſaturitatem.*

26. *Impellens Eurum in cœlis, & inducens robore ſuo Auſtrum.*

27. *Quum depluiſſet ſuper eos carnem tanquam pulverem, & ſicut arenam marinam volucres alatas.*

28. *Dejiciens intra caſtra ſua, circa tabernacula ſua ,*

29. *Et comedentes ſaturati eſſent valde, & quod concupiverant illi, attuliſſet illis :*

30. *Nondum alienati erant à concupiſcentia ſuâ, adhuc cibus eorum in ore eorum* erat.

31. *Quum ira Dei ardens in eos, interficeret è pinguiſſimis eorum ; & juvenes Iſraëlis proſterneret.*

32. *Post totum hoc peccaverunt amplius, neque crediderunt propter mirabilia ejus opera.*

33. *Quamobrem consumebat vanitate dies illorum; & annos illorum terrore.*

34. *Quum occidebat eos, si requirebant eum, & conversi mane quærebant* Deum *fortem.*

35. *Recordantes Deum fuisse rupem suam, &* Deum *fortem excelsum fuisse vindicem suum;*

36. *Quamvis conarentur eum decipere ore suo, & lingua sua mentirentur ei,*

37. *Et animus ipsorum non esset comparatus erga eum, neque constantes essent in fœdere ejus;*

38. *Tamen ille misericors expiabat iniquitatem, ita ut non perderet, & plurimum avertebat iram suam, neque excitabat totum æstum suum;*

39. *Recordans carnem eos esse, ventum abeuntem qui non revertitur.*

40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto? dolore affecerunt eum in solitudine?*

41. *Qui subinde tentarunt* Deum *fortem, & sanctum Israëlis circumscripserunt,*

42. *Immemores manus ejus diei quo redemerat ipsos ab hoste:*

43. *Quo disposuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in agro Tanitico:*

44. *Quum mutavit in sanguinem rivos eorum, fluentaque eorum ne bibere possent:*

45. *Immisit in eos colluviem animalium quæ consumeret eos, ac ranas, quæ perderent eos:*

46. *Et dedit brucho proventum eorum, ac laborem eorum locustæ:*

47. *Occidit grandine vites eorum, & sycomoros eorum* igni, *qui quacunque insidebat, consumeret:*

48. *Dedidit etiam eidem grandini bruta eorum, & pecora eorum prunis ignitis:*

49. *Immisit in eos æstum iræ suæ, excandescentiam, indignationemque, & angustiam, mittendo nuncios malorum:*

50. *Liberavit iter ad iram suam, non cohibuit à morte vitam illorum: & bestias eorum pesti dedidit:*

51. *Et percussit omne primogenitum in Ægypto, principium virium in tentoriis Chami:*

52. *Et transtulit tanquam pecudes populum suum: direxitque eos tanquam gregem per desertum:*

53. *Et deducens eos secure ita ut non metuerent, postquam inimicos eorum operuisset mare.*

54. *Adduxit eos in terminum sanctitatis suæ, montem hunc* quem *acquisivit dextera ejus,*

55. *Expellens à facie eorum gentes, faciensque ut acciderent in funiculo possessionis: & habitaverunt in tentoriis earum tribus Israëlis.*

56. *Attamen tentarunt & exacerbarunt Deum excelsum, & testimonia ejus non observarunt;*

57 Sed

57. *Sed averſi perfide egerunt, ut majores eorum ; converſi ſunt, ut arcus fallax.*

58. *Nam provocarunt eum per excelſa ſua, & per ſculptilia ſua ad zelotypiam concitarunt eum.*

59. Quod *audiens Deus excanduit, ſprevitque valde Iſraëlem :*

60. *Adeo ut deſerens tabernaculum Schiluntis, tentorium* quod *collocaverat inter homines :*

61. *Traderet in captivitatem robur ſuum, & gloriam ſuam in manum hoſtis :*

62. *Dederetque gladio populum ſuum ; quia in poſſeſſionem ſuam excanduerat.*

63. *Juvenes ejus abſumeret ignis, & virgines ejus non laudarentur :*

64. *Sacerdotes ejus gladio conciderent, & viduæ ejus non flerent.*

65. *Deinde evigilavit Dominus* qui viſus fuerat *tanquam dormiens ; ſicut robuſtus, cantillans ex vino :*

66. *Et percuſſit hoſtes ſuos retro ; opprobrium perpetuum indidit eis.*

67. *Tandem ſprevit tentorium Joſephi, & tribum Ephraimi non elegit.*

68. *Eligens vero tribum Iehudæ, montem Tzionis quem diligat ;*

69. *Ædificavit ſimile excelſis* palatiis *ſanctuarium ſuum ; utpote in terra quam ſtatuit in ſeculum.*

70. *Eligenſque Davidem ſervum ſuum, & aſſumens eum ex caulis gregis ;*

71. *A tergo fœtarum duxit eum ; ad paſcendum Jahakobum populum ſuum & Iſraëlem poſſeſſionem ſuam :*

72. *Qui pavit eos pro integritate animi ſui, & ſumma prudentia manuum ſuarum deduxit eos.*

## ANALYSIS.

PRoponitur hoc Pſalmo hiſtorica narratio præteritæ Dei erga populum ſuum adminiſtrationis : & ſimul etiam populi erga Deum contumacia, v. 4. Illuſtratur hæc narratio in præfatione, primo, ab adjuncto attentionis ei debitæ, verſ. 1. Secundo ab attentionis cauſis in ipſa narratione hærentibus ; quæ ſunt 1. Dignitas : *& parabola.* 2. Difficultas : *occulta ænigmata.* 3. Antiquitas : *à priſco tempore,* v. 2. 4. Certitudo : *quæ audivimus ac novimus,* v. 3.

Illuſtratur 2, Eadem narratio à à fine ſuo, qui primo generaliter notatur ad laudem & gloriam Dei ſpectare, v. 4. *narraturos laudes Iehovæ,* & poſtea ſpecialius declaratur tam per ſuam cauſam : patefactionem ſcilicet Dei per verbum huic populo communicatum, & deinceps juſſu Dei communicandum, verſ. 5. quam per ſuas partes & patefactionis illius fines : cognitionem Dei, verſ. 6. ſpem in Deo, & obedientiam erga Deum, verſ. 7. Iſti autem fines adverſis effectis illuſtrantur, 1. Majorum in communi, qui harum rerum oblivione à fide & obedientia deflexerunt, v, 8. 2. Ephraimitarum in ſpecie, v. 9, 10, 11.

Narratio ipſa ( quæ producitur uſque ad tempora Davidis, confir-

mans illud quod de majoribus fuit affirmatum ) continet comparationem, & quasi certamen quoddam inter Dei administrationem, qua debuerant ad pietatem erga ipsum commoveri ; & eorum contumaciam, qua eidem sese opposuerunt.

Administratio Dei fuit 1. In beneficentia, qua multis & magnis beneficiis illos cumulavit. 2. In patientia qua sæpius & graviter se irritantes toleravit. 3. In justitia, qua in illorum scelera nonnunquam graviter animadvertit.

Populi contumacia fuit 1. In rebus afflictis, quibus suam prodebant aut infidelitatem, qua de Dei potentia dubitabant, aut simulationem, qua fictis & fucatis pollicitationibus ipsi quasi imponere conabantur. 2. In rebus prosperis, quibus ad vanam securitatem ac idololatriam deflectebant.

Hæc autem promiscue narrantur, ut magis distincte & per partes possint inter se comparari, 1. beneficentia Dei in eductione populi ex Ægypto, v. 12, 13, 14, 15, 16. 2. Populi infidelitas, v. 17, 18, 19, 20. 3. Dei justitia, vers. 21. ad 31. 4. Populi infidelitas, v. 32. 5. Dei justitia, v. 33. Populi simulatio, v. 34. ad 38. Dei misericordia, patientia, & benignitas, v. 38. ad 56. Populi securitas & idololatria, v. 56. ad 59. Dei justitia, v. 59. ad 68. & ultimo in loco, Dei beneficentia in hoc certamine superior evadens, v. 68. ad finem.

### Documenta.

I. Verbum Dei non tantum est audiendum, sed perquam attente, sollicite & cum magna cura audiendum à populo Dei, ex versic. 1.

II. Tanta est tarditas nostra, ut multis incitamentis indigeamus ad attentionem justam erga verbum Dei in animis nostris excitandam, ibid. & sequent.

III. Dignitas, gravitas & excellentia verbi, supra cæteras omnes doctrinas, postulat à nobis reverentem attentionem, vers. 2. *parabolam*, Psalm. 49. 5.

IV. Difficultas est quædam & subtilitas in mysteriis verbi, qua attentioni nostræ commendatur, ibidem, *occulta ænigmata*, Psalm. 49. vers. 5.

V. Antiquitas rerum quæ in verbo explicantur, postulat ut majore cum studio audiatur quam aliæ qualescunque doctrinæ, ibid. *à tempore prisco*, id est, *à jacto mundi fundamento* Matth. 13. 35.

VI. Idem postulat certitudo verbi : quæ ( etiamsi humano more expendatur) est longe maxima, ex v. 3. Joh. 3. 11. 2 Pet. 1. 16. 1 Joh. 1. vers. 1.

VII. Mirabilia Dei opera, præcipue illa quæ in verbo continentur, sunt omni modo commemoranda, & prædicanda, ita ut ad posteros possint propagari ad gloriam nominis divini, ex vers. 4.

VIII. Ista prædicatio à verbo præcipitur ad observationem verbi in Ecclesia, eamque magis magisque exædificandam, ex vers. 5, 6.

IX. Prædicationis hujus finis & usus proprie consistit in fide, spe, & obedientia procreanda, conservanda, & promovenda, ex v. 7.

X. Defectibus aliorum, quamvis Patres nostri fuerint, non debemus in fidei ac obedientiæ studio retardari, sed potius ad majorem curam & sollicitudinem excitari,

citari, ex verſ. 8, 9, 10, 11.

XI. Opera Dei quo plus habent in ſe mirabilis potentiæ, beneficentiæ, conſtantiæ, & variæ providentiæ, eo efficacius nos excitare debent ad Deum glorificandum, v. 12. ad 17.

XII. Qui hujuſmodi beneficentia Dei neglecta, pertinaciter pergunt peccare, ii Deum tentando, graviſſimam ejus iram ſibimetipſis accerſunt, ex v. 17, 18.

XIII. Exaggeratur peccatum internum, quando in ſtultas & blaſphemas voces prorumpit, ex v. 19, 20, 21.

XIV. Reliqua omnia peccata ex infidelitate cordis, tanquam ex fonte manant, ex v. 22.

XV. Tam infidelitas quam petulans omnis concupiſcentia inde exorta, amplificatur & arguitur experientia potentiæ ac munificentiæ Dei contemptæ, aut neglectæ, v. 23. ad 26.

XVI. Petulantiſſimis hominum concupiſcentiis ſatisfacit aliquando Deus ex ira, & ſimul vindictam ſuam juſtam exercet, à verſ. 26. ad 32.

XVII. Tanta eſt multorum pervicacia, ut ſicut beneficentia Dei non flectuntur, ſic neque vindicta & judiciis ejus poſſint domari, verſ. 32.

XVIII. Qui minora judicia Dei contemnunt, majora ſibimet accerſunt, v. 33.

XIX. Magnis Dei judiciis eo adiguntur aliquando præfracti peccatores, ut aliquo modo Deum quærant, ſed non ſyncere, conſtanter, & cum efficacia reali, v. 34. ad 38.

XX. Congeries iſtiuſmodi graviſſimorum peccatorum non efficit, quin Deus in medio judiciorum ſuorum, ſit memor ſuæ miſericordiæ & fragilitatis humanæ, ad pœnas meritas mitigandas, v. 38. 39.

XXI. Iteratio & aſſidua multiplicatio peccatorum, ſignum eſt ingenii plane rebellis, ex verſ. 40.

XXII. Exaggeratur iſta rebellio, ſi eo in loco & tempore, graſſetur, quo Dei vel ſingularibus judiciis à peccando terremur, vel beneficiis inſignibus ad obedientiam invitamur; ibidem. *in deſerto, in ſolitudine.*

XXIII. Qui hujuſmodi rebellionem in Deum exercent, nihil aliud ab ipſo poſſunt expectare, quam talem ultionem, qualem ſumma patientia graviſſimis injuriis læſa ac laceſſita ex acerbatione ſolet proferre, ibidem.

XXIV. Singularis ſpecies eſt hujus rebellionis, vel ex infidelitate, vel ex præſumptione, præſcribere Deo limites, vel media potentiæ ac providentiæ ſuæ exercendæ pro noſtro arbitratu, v. 41.

XXV. Hujuſmodi peccata eo ſunt graviora, quo majorem experientiam vel notitiam Dei & operum ejus habuerunt illi à quibus admittuntur, v. 42. ad 56.

XXVI. Continuatio & propagatio rebellionis, vel contemptus maximorum Dei beneficiorum, Dei vindictam ſeveram tandem inclamat & accerſit, v. 56, ad 60.

XXVII. Vindictæ divinæ caput in cultus ac præſentiæ divinæ ſubtractione conſiſtit, v. 59, 60, 61.

XXVIII. Subtractionem iſtam præſentiæ divinæ vel comitantur, vel ſubſequuntur ſemper graviſſimæ calamitates, verſ. 62. ad 67.

XXIX. Iſtis gradibus progreditur

ditur Deus ad plenam vindictæ exequutionem, vers. 68.

XXX. Quomodocunque populus hic aut ille juste à Deo deseratur, semper tamen Ecclesiam aliquam sibi colligit & conservat, vers. 69. ad finem.

## PSALMUS SEPTVAGESIMUS NONUS.

*Psalmus Asapho. O Deus, ingressæ sunt gentes in possessionem tuam, polluerunt templum sanctitatis tuæ, disposuerunt Jeruschalaima in cumulos.*

2. *Dederunt cadaver servorum tuorum cibo volucribus cœli; carnem eorum quos benignitate prosequeris, bestiis terræ.*

3. *Effuderunt sanguinem eorum velut aquam circa Ieruschalaima,* nec erat *qui sepeliret.*

4. *Sumus opprobrio vicinis nostris, sannæ & ludificationi circumstantibus nos.*

5. *Quousque Iehova? irasceris in æternum? ardebit velut ignis zelus tuus?*

6. *Effunde æstum tuum in eas gentes quæ non agnoscunt te; & super regna quæ nomen tuum non invocant.*

7. *Nam* consumtor *consumsit Iahakobum, & habitaculum ejus desolaverunt:*

8. *Ne recorderis adversus nos iniquitates præcedentium* temporum: *festinantes præveniant nos miserationes tuæ, nam attenuati sumus valde.*

9. *Auxiliare nobis Deus salutis nostræ propter honorem nominis tui: & eripe nos, expiationemque fac peccatis nostris propter nomen tuum.*

10. *Cur dicturæ essent istæ gentes, ubinam* est *Deus istorum? innotescat in istis gentibus ante oculos nostros, ultione sanguinis servorum tuorum effusi.*

11. *Perveniat ante faciem tuam gemitus vincti; pro magnitudine brachii tui fac ut reliqui sint qui jam traduntur morti.*

12. *Redde ergo vicinis nostris septuplo in sinum ipsorum; opprobrium ipsorum quo affecerunt te Domine.*

13. *Et nos populus tuus & grex pastus tui celebrabimus te in seculum, in generationem enarrabimus laudem tuam.*

## ANALYSIS.

INtentio hujus Psalmi est petere a Deo liberationem, ex gravissimis malis, quæ Iudæis fuerunt ab impiis hostibus illata, v. 8, 9, & 11. Quia vero illa mala proveniebant ab impiis hostibus partim remotioribus, id est, (ut maxime probabiliter colligitur) à Babyloniis; & partim à vicinis Edomæis; idcirco cum liberationis petitione conjungitur imprecatio adversus utrumque genus hostium, v. 6, 10, 12.

Argumentum

Argumentum *primum* petitur à gravitate, vel gradu calamitatis: quæ declaratur à ſubjectis quibus in iſta calamitate indigne afficiebantur. Nam 1. Terra Deo conſecrata fuit ab hoſtibus profanis occupata. 2. Templum Dei fuit pollutum ac funeſtatum. 3. Vrbs Deo ſacra vaſtata fuit & everſa, v. 1. 4. Servi Dei fuerunt crudeliſſima morte affecti, & etiam poſt mortem ignominioſiſſime tractati, v. 2, 3. 5. Hæc omnia inſuper amplificantur, primo, ſuo effecto, quod ſcilicet propter iſtam calamitatem contemptui, ludibrio, & irriſioni fuerunt Judæi ſuis vicinis Edomæis, v. 4. Secundo, duratione ſua, quod non ad paucos dies, menſes, aut annos, ſed diu admodum hæc impiorum ſævitia fuerit graſſata, v. 5.

*Secundum* argumentum petitur ab impietate hoſtium cum ſumma crudelitate conjuncta, v. 6, 7.

*Tertium* argumentum petitur à miſericordia Dei, quæ fide apprehenditur, & applicatur tam ad peccata remittenda, velut calamitatum cauſas, quam ad extremam earum perniciem antevertendam, v. 8.

*Quartum* argumentum petitur ab effecto calamitatis, gloria ſcilicet Dei, ex occaſione ejus læſa, dum nomen Dei fuit opprobrio magno affectum ab impiis hoſtibus, qui non tantum Judæis, ſed & Deo ipſorum inſultabant v. 9, 10, 12.

*Quintum* argumentum petitur ab effecto liberationis, gloria ſcilicet Dei eo nomine celebranda, v. 13.

DOCUMENTA.

I. Graviter afficiuntur pii, quando vident poſſeſſionem aliquam Dei, ab hoſtibus Dei occupari, ex v. 1. *Ingreſſæ ſunt gentes in poſſeſſionem tuam.*

II. Gravius adhuc eſt videre cultum Dei everti, & ſanctiſſima ejus inſtituta prophanari, ibidem, *Polluerunt templum ſanctitatis tuæ.*

III. Nihil magis eſt lamentabile, quam videre ſanctos Dei ſervos crudeliter trucidari, & belluinæ feritati exponi, ex v. 2, 3.

IV. Opprobrium quod ex iſtis calamitatibus in Eccleſiam & religionem redundat, multo acerbiores illas reddit, quam alias eſſent in ſeſe, ex v. 4.

V. Iſtiuſmodi conditio Eccleſiæ quamvis, ex juſta Dei ira, aliquando continuetur, ultra fidelium expectationem, in perpetuum tamen non durabit, v. 5.

VI. Tandem iram Dei ab Eccleſia in impios ejus hoſtes converſum iri, cum certo credendum eſt, tum pie optandum, v. 6, 7.

VII. Liberationis hujus principium eſt miſericordia Dei peccata graviſſima condonans, v. 8.

VIII. Primaria ratio ad ſpem noſtram de iſta liberatione confirmandam, eſt gloria nominis divini, ex verſ. 9, 10.

IX. Gloriæ huic Dei fervidæ noſtræ preces debent ſubſervire, v. 11, 12.

X. Ejuſdem gloriæ celebrandæ cura (tanquam finis & fructus beneficiorum Dei) primarium locum habere debet tam in intentione quam in executione noſtra, verſ. 13.

## Psalmus Octvagesimus.

*Magistro symphoniæ ad hexacorda; Psalmus testimonii Asapho.*

2. *O pastor Israelis auribus percipe; ductor Iosephi tanquam gregis, insidens Cherubinis illucesce.*

3. *Coram Ephrajimo, Binjamineque, & Menasche excita potentiam tuam; & veni ad plenam salutem* afferendam *nobis.*

4. *O Deus, restitue nos, & fac ut luceat facies tua; ita servabimur.*

5. *Iehova Deus exercituum, quousque fumaturus es contra orationem populi tui?*

6. *Cibas eos pane lacrymarum, & bibendum præbes eis de lachrymis triental.*

7. *Exponis nos contentioni vicinis nostris, & inimici nostri subsannant* nos.

8. *O Deus exercituum restitue nos, & fac ut luceat facies tua; ita servabimur.*

9. *Vitem ex Ægypto transtuleras; expuleras gentes ut plantares eam.*

10. *Expediveras ante eam, feceras que ut ageret radices suas & impleverat terram.*

11. *Operiebantur montes umbra ejus, & palmitum ejus cedri maximæ.*

12. *Emittebat ramos suos usque ad mare, & ad flumen teneros ramos suos.*

13. *Quare perrupisti macerias ejus, adeo ut carpant eam omnes viatores.*

14. *Suffodiat eam porcus silvestris, & animal agreste depascat eam?*

15. *O Deus exercituum, revertere jam, intuere è cælis & respice: ac visita vitem hanc.*

16. *Et surculum quem plantaverat dextera tua; idque propter filium* quem *fortificasti tibi.*

17. *Incensa igne, succisa est, ab increpatione faciei tuæ pereunt.*

18. *Adsit manus tua viro dexteræ tuæ: filio hominis quem fortificasti tibi:*

19. *Ac non recordemus à te: in vita conserva nos ut nomen tuum invocemus.*

20. *Jehova, Deus exercituum, restitue nos, fac ut luceat facies tua; ita servabimur.*

## ANALYSIS.

Octuagesimus hic Psalmus pro scopo suo habet petitionem populi Dei in captivitate Babylonica manentis, ut à Deo in integrum restitui possint.

1. Hæc petitio generaliter primo innuitur vers. 1. *auribus percipe*, & v. 2. in fine, *illucesse*. Secundo, specialius declaratur, v. 3. *Veni ad plenam salutem afferendam nobis*, & v. 19. *Conserva nos*, postea vero specialissime explicatur vers. 4. *O Deus, restitue nos*, &c. quod cum exigua inflexione ter deinceps repetitur, v. 8, 15. & 20. 2. Hujus petitionis obtinendæ fiducia studiose confirmatur,

matur 1. A relatione & officio Dei erga ſuum populum, qui ſcilicet *Paſtor* fuit & ductor ejus v. 2. quod ſingulari typo ſeſſionis & ſacramentalis permanſionis ſupra Cherubinos illuſtratur, ibid ex Exod. 25. 22. Num. 7. 89. quæ ad officium Paſtoris ac Ductoris, vel Rectoris feliciter præeuntis applicatur v. 3. ſecundum illum ordinem profectionis qui ex præſcripto Dei fuit olim obſervatus, in quo arca Dei cum Cherubinis directe & immediate præibat Ephraimo, Benjamini, & Menaſchi. Numb. 2. 17, 18. 22. & 10. 21, 22. &c. 3. Eadem petitio ſecundo in loco urgetur ab ærumnoſiſſimo populi ſtatu, qui talis fuit ut indignus videri poſſet populo Dei, v. 5, 6, 7. ubi 1. Calamitatis cauſa notatur fuiſſe ira divina, verſ. 5. cujus magnitudo & duratio illuſtratur eo quod concinnatæ preces populi impares fuerint eidem removendæ, ibid. 2. Cauſæ illius effectum duplex declaratur, quorum primum fuit in ipſo populo, in maximo dolore, verſ 6. & alterum in vicinis, libido ſcilicet ipſos vexandi & ſubſannandi, verſ. 7. 4. Ærumnoſus hic ſtatus una cum petitione liberationis illuſtratur per comparationem inter præteritam fœlicitatem à Deo huic populo olim communicatam, & præſentes calamitates, quibus jam premebantur, idque ſub allegoria vitis, quam Deus mirifice primo conſeverat, muniverat, auxerat; & poſtea tamen ſubducta manu ſua, expoſuit eandem feris beſtiis, ut ab illis perderetur, v. 9. ad 15. Cui ſubjungitur allegorica repetitio petitionis, v. 16. 18. 5. Suadetur ultimo in loco petitio ab effecto inde ſecuturo, ſi Deus ipſos conſervaret, conſtanti nempe Dei cultu, qui ſancte ſpondetur, v. 20.

### Documenta,

I. In omnibus anguſtiis favor & gratia Dei eſt imprimis quærenda & imploranda ex v. 4. 8. 20.

II. In precibus noſtris non nude Deum intueri debemus; ſed ut Deum ex fœdere noſtrum, ex quo in omnibus cum fiducia pendemus, v. 2

III. Hæc fiducia confirmatur & excitatur pia conſideratione ſanctorum Dei inſtitutorum, cujus præſentiam & gratiam ſuam Eccleſiæ exhibet & obſignat, ibid. *Sedens inter Cherubim illuceſce*.

IV. Vt iſta conſideratio fiat efficax, illo modo eſt adhibenda, & cum illis circumſtantiis, quibus maxime ad vivum Dei gratioſa præſentia repræſentatur, ex verſ. 3.

V. Si Deus ad tempus videatur preces noſtras negligere, aut eiſdem plane adverſari, & calamitatem noſtram omnimodo exacerbare, non ideo à precibus deſiſtere debemus, ſed eo ipſo nomine magis inſtare. ex v. 5, 6, 7.

VI. In iſtiuſmodi precibus multum juvat ad ſpem confirmandam, in memoriam diſtincte revocare, ſingularem illam gratiam, qua aut nos ipſos, aut Eccleſiam ſuam dignatus eſt olim. v. 9. ad 13.

VII. Ex iſta Dei gratia fiduciam concipere poſſumus ſancto quodam modo cum Deo expoſtulandi de Eccleſia deſerta, & miſere oppreſſa, ver. 13, 14.

VIII. In hac expoſtulatione, & deprecatione, fiduciam noſtram ſuſtentare debemus, conſtantiam divinæ gratiæ rite apprehendendo, verſ. 15. ad 19.

IX.

IX. Cum fiducia vera semper conjungitur firmum propositum Deum sancte & constanter colendi, vers. 19.

## PSALMUS OCTVAGESIMUS PRIMUS.

*Magistro symphoniæ ad Gitthæa* instrumenta ode, *Asapho,*

2. *Cantate Deo, robori nostro, vociferamini Deo Jahakobi.*

3. *Sumite psalmodica instrumenta ; & apponite tympanum, citharam amœnam cum nablio.*

4. *Clangite in novilunio buccina, stativis quibusque feriis, diebus festis nostris.*

5. *Nam statutum in Israele est, ritus à Deo Iahakobi :*

6. *Qui testimonium in Josepho imposuit ipsum ; quum processisset contra terram Ægypti,* ubi *sermonem ignotum audiebam.*

7. *Amovi,* inquit, *ab onere humerum ejus ; manus ejus à lacusculo* intritæ *abierunt.*

8. *Quum in angustia illa exclamares, liberavi te ; exaudivi te in latebris tonitru : probavi te, usque ad aquas Meribæ summe.*

9. *Audi popule mi, & contestabor te ; ô Israel, si auscultaveris mihi,*

10. *Si non erit in te* Deus *fortis extraneus, neque incurvabis te* Deo *forti alienigenæ* honorem exhibens.

11. *Ego sum Iehova Deus tuus, qui feci ut ascenderes è terra Ægypti ; dilata os tuum, & impleturus sum illud.*

12. *Sed non auscultavit populus meus voci meæ, & Israel non acquievit mihi.*

13. *Quapropter dimisi eos* ambulaturos *ex sententia animi sui,* dicens, *abeant cum pravis consiliis suis.*

14. *O si populus meus auscultasset mihi,* si *Israelitæ in viis meis ambulassent ;*

15. *Vel momento inimicos eorum fuissem depressurus, quum in hostes eorum convertissem manum meam :*

16. *Osores Iehova mendaciter se dedissent ei, & futurum fuisset tempus istorum in seculum ;*

17. *Denique cibaturum fuisset cum adipe tritici, etiam ex rupe melle fuissem satiaturus te.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Psalmi est, hortari & excitare populum Dei ad nominis divini eximiam celebrationem, vers. 2. In istum finem describitur primo celebratio debita v. 2, 3, 4. & postea rationibus persuadetur, ad finem usque Psalmi.

1. Describitur celebratio sub hortationis forma. 1. A formali ejus abjecto, quod scilicet versari debeat circa Deum tanquam causam primariam tam collationis quam conservationis

ſervationis omnis boni, & ſpecialiter ergà Iſraëlitas v. 2. *Deo robori noſtro. Deo Iacobi.* 2. Adjuncto modo, cujus perfectio ſingularis declaratur, per conjunctionem vocis maxime alacris, cum omni genere muſicorum inſtrumentorum. v. 3. *Cantate, vociferamini, ſumite pſalmodica inſtrumenta, &c.* 3. Ab adjuncto tempore, ſtativis nempe diebus celebrioris cultus, verſ. 4. 2. Suadetur eadem celebratio, 1. Ab authoritate Dei eandem inſtituentis ac mandantis, v. 5. 2. A beneficiis Dei, quibus omnem celebrationem merebatur, atque adeo ſuo jure poterat mandare, v. 6. &c.

Hæc autem beneficia Dei diſtribuuntur, in collata & conferenda. Collata beneficia fuerunt miraculoſa liberatio eorum ex ſumma miſeria Ægyptiacæ captivitatis; & patientiſſima ipſorum deductio per deſertum, v. 7, 8. Beneficia inſuper conferenda declarantur, 1. Per fœderis promiſſionem; *conteſtabor te*, v. 9. 2. Per conditionem adjunctam, fidei ſcilicet & obſervantiæ, v. 10, 11. 3. A cauſa communicationem ipſorum impediente, populi ſcilicet infidelitate, & inobedientia, v. 12. Quæ illuſtratur effecto, quod producebat, id eſt, deſertione ſpirituali & corporali, v. 13. & efſecti oppoſiti, quod impediebat, intermiſſione, id eſt, hoſtium ſubjugationis, & omnium bonorum affluentiæ, v. 15, 16, 17. Quam intermiſſionem ex infidelitate & inobedienta populi pendere pathetica optatione confirmatur, v. 14.

DOCUMENTA.

I. Ad ſynceram divini nominis celebrationem requiritur; ut nobiſmetipſis abnegatis, & omni propria fiducia exinanitis, à Deo, & ejus ſpeciali favore, omnem noſtram ſufficientiam provenire ſciamus, ut verſ. 2. *robori noſtro, Deo Jahakobi.*

II. Ad Deum celebrandum non minus alacres eſſe debemus, quam ſi omnium inſtrumentorum muſicorum dulciſſima harmonia aures & animos noſtros circumſonaret, ex verſ. 2. & 3.

III. Iſtiuſmodi celebratio Dei, præcipue requiritur diebus illis quos Deus ſibimet & ſuo cultui ſanctificavit, ex verſ. 4.

IV. Inſtitutio ac mandatum Dei efficaciter nos debet ad hoc officium excitare, ex v. 5.

V. Inſtitutio Dei qua cultum debitum à nobis expoſcit, pro fundamento habet gratuita ejus erga nos beneficia, quæ ſunt quaſi reale teſtimonium officii noſtri, ex v. 6.

VI. Quo majora ſunt Dei erga nos beneficia, eo magis debent in animis noſtris fixa hærere, & efficacius nos ad gratitudinem excitare, ex v. 7, & 8.

VII. Non tantum beneficiis Dei in nos collatis affici debemus, ſed etiam eis quæ promiſſionis verbo proponuntur, tanquam conferenda, v. 9, 10, 11.

VIII. Ad promiſſionum Dei erga nos conſummationem requiritur fides & obedientia noſtra, v. ibid.

IX. Infidelitatis & inobedientiæ contumacia eſt magna, quæ promiſſionibus Dei vinci non poteſt, ex v. 12.

X. Hujus contumaciæ pœna gravis eſt deſertio, primo ſpiritualis, & poſtea corporalis, ex verſ. 13, &c.

XI. De-

XI. Desertionis hujus, & causæ ac effectorum ejus consideratio maxime nos afficere debet, & ad resipiscentiæ studium commovere, ex v. 14. &c.

## Psalmus Octuagesimus secundus.

*Psalmus Asapho. Deus astat in cœtu* Dei *fortis, inter magistratus judicat.*
2. *Quousque judicabitis inique, & personam improborum suscipietis summe?*
3. *Judicate* secundum *tenuem & pupillum; afflictum & pauperem justum pronunciate.*
4. *Liberate tenuem & egentem, è manu improborum eripite.*
5. *Ignorantibus & non animadvertentibus, in tenebris indesinenter ambulantibus illis, dimoventur omnia fundamenta terræ.*
6. *Ego dico; Dii quidem estis, & filii Excelsi vos omnes:*
7. *At certe ut plebejus homo morituri estis, etiam sicut unus aliorum principum casuri estis.*
8. *Surge, ô Deus, judica terram: tu enim possessionem habes* judiciorum *in omnibus gentibus.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Psalmi est judices & principes terræ officii sui admonere, & ad ejus curam excitare.

In istum finem primo fundamentum solidum, & causa efficaciter movens tam officii judicum, quam admonitionis ad ipsos directæ, proponitur: præsentia scilicet & præsidentia Dei in medio judicum & judiciorum. vers. 1. 2. Arguitur, & reprehenditur corruptio judicum, officio ipsorum adversa: injustitia nempe, & inclinatio in favorem injustorum. v. 2. 3. Officium eorum demonstratur per modum hortationis: ut scilicet innoxios & inopes defendant, vers. 3. & 4. 4. Hoc officium suadetur ab effecto conttarii, reipublicæ pernicioso, id est, ab omnium rerum confusione ex ejus neglectu sequutura. ver. 5. ubi neglectus ipse triplici causa vel judicum culpa illustratur: ignorantia juris, indiligens cognitio facti, & non curantia voluntatis Dei, aut conscientiæ propriæ in sententia ferenda. 5. Suadetur idem officium ab effecto contrarii neglectus ipsis judicibus pernicioso, morte scilicet ac pœna inopinata. v. 7. Quæ comminatio confirmatur 1. Per occupationem objectionis, quæ peti posset à dignitate illa, in qua tales personæ collocantur v. 6. 7. 2. A causa ejus certissima, justo videlicet judicio Dei, omnia tandem rite ordinaturo: quod sancto voto imploratur. vers. 8.

### Documenta.

I. Magistratus est ordo à Deo institutus. ex ver. 1. *Cœtus Dei fortis*, Rom. 13. 1. 2. Deut. 1. 17. & 16. 18. 2 Chron. 19. 6.

II. Inter Magistratus Deus est singulariter præsens, ab omnibus agnoscendus, & ab ipsis Magistratibus metuendus. Eccles. 5. 8. Iob 31. 14. Ephes. 6. 9.

III. Magiſtratus qui ex gratia aut favore inique jus adminiſtrant, non in homines tantum, ſed & in Deum, directe & graviter peccant. ex v. 2. cum 1.

IV. Præcipua cura Magiſtratuum debet eſſe in jure adminiſtrando, ut inopes adverſus præpotentes oppreſſores defendant. ex v. 3. 4.

V. Cauſa judicii depravati, eſt defectus veræ ſapientiæ, cujus caput eſt reverentia Dei. Pro. 7. Pſal. 111. 10. ex verſ. 5.

VI. Effectum judiciorum corruptorum eſt, totius reipublicæ concuſſio, labefactatio, & confuſio, ex v. 5. in fine. *Dimoventur omnia fundamenta terræ*. Pſal. 75. 4.

VII. Efficax medium ad Magiſtratus in officio continendos, eſt frequens meditatio mortis & judicii futuri, qua fiet ut minime ſuperbiant ex dignitate ſua preſenti, & ab omni injuſtitia ſedulo ſibi caveant. ex v. 6. & 7.

VIII. A corruptis hominum judiciis ad juſtiſſimum Dei tribunal provocare ſemper poſſumus ac debemus, ex fide ac ſpe certa: ex verſ. 8.

## PSALMUS OCTUAGESIMUS TERTIUS.

*Canticum & Pſalmus Aſapho,*

2. *O Deus, ne agas ſilentium; ne ſurdum agas, neque quieſcas, ô* Deus *fortis.*

3. *Nam ecce inimici tui perſtrepunt, & oſores tui extollunt caput.*

4. *Contra populum tuum callide ineunt conſilium, & conſultant contra abditos tuos.*

5. *Dicentes, agite exſcindamus iſtos, ne ſint gens; ut non memorent nomen Iiſraelis amplius.*

6. *Nam conſilium inierunt animis paribus, contra te fœdus pepigerunt.*

7. *Tentoria Edomæorum & Iiſchmaëlitarum, Moabitæ & Hagareni,*

8. *Gebalitæ, Hammonitæque, & Hamalekitæ, Palæſtini cum habitatoribus Tyri:*

9. *Etiam Aſſyrius adjunxit ſe iſtis; ſunt brachium poſteris Loti maxime.*

10. *Fac iſtis ut Midianitis, ut Siſeræ, ut Iabini in torrente Kiſchonis:*

11. *Qui exciſi fuerunt ad Hen-dorum, facti ſunt fimus terræ.*

12. *Redige ipſos ingenuos iſtorum ut Horebum, & ut Zeebum; ut Zebachum & Tzalmunnahum, omnes Toparchas iſtorum;*

13. *Qui dicunt, hæreditario jure poſſideamus nobis habitacula Dei.*

14. *Deus mi, pone eos velut rotam; ut ſtipulam coram vento.*

15. *Ut ignis exurit ſilvam, & ut flamma accendit montes,*

16. *Ita proſequere eos procella tua, & turbine tuo conturba eos.*

17. *Reple faciem eorum ignominia; ut requiratur nomen tuum, ô Jehova.*

18. *Pudore perfundantur, & conturbentur uſque in ſeculum; erubeſcantque & pereant.*

19. *Ut cognoſcatur, te, cui ſoli nomen eſt Iehova, excelſum eſſe ſupra univerſam terram.*

# ANALYSIS.

SCopus hujus Psalmi est implorare opem Dei adversus hostes in populum Dei irruentes, ( ut maxime versimile est ) tempore Iosaphati, 2 Chron. 20.

Petitio 1. Generaliter verbis metaphoricis per ἀνθρωποπάθειαν & generali ratione à privatione urgetur v. 2. Quæ privatio quasi Deo indigna, & populo ejus intolerabilis declaratur, per comparationem habitus hostium ejus vers. 3. Alienum quippe videtur, obstrepentibus hostibus, Deum silere; & hostibus attollentibus caput, Deum quiescere, veluti caput ad somnum inclinantem. 2. Eadem petitio urgetur ab effectis hostium: quæ fuerunt callida consilia, mutuæ adhortationes, & confœderationes, ad extremum excidium populi Dei, & gloriæ divinæ imminutionem tendentes, v. 4, 5, 6. 3. Urgetur etiam ab adjuncto numero ex variis gentibus conflato: inter quas aliæ fuerunt belli hujus principes aut primi motores, Ammonitæ & Moabitæ: aliæ subsidiariæ, partim ex vicinia advolantes: Idumæ, Ismaëlitæ, Arabes, Gebalitæ, Amalakitæ, Palestini, Tyrii, & partim ex remotioribus locis accersitæ, ut Assyrii, v. 7, 8, 9. 4. Eadem petitio suadetur à paribus exemplis opis & judicii Dei adversus Madianitas, Siceram, Jabinum, &c, vers. 10, 11, 12. Cujus argumenti ratio redditur, quod cum par fuit peccatum horum & illorum, in hæreditate Dei invadenda, pœnas etiam pares debeant ferre, vers. 13. 5. Illustratur judicium Dei adversus hostes optatum, similitudinibus variis; rotæ facile in præcipitium actæ, stipulæ à vento depulsæ, silvæ ab igne exustæ, flammæ herbam aridam depascentis, procellæ ac turbinis quælibet obvia conturbantis, v. 14, 15, 16. 6. Illustratur idem judicium à suo effecto, hostium pudore, & ejus fine, gloria Dei, ab ipsis hostibus requirendi, & agnoscendi, v. 17, 18, 19.

## DOCUMENTA.

I. Tumultuantibus, frementibus, & terrificas minas spirantibus hostibus, Deus aliquando quiescere ac silere videtur, ex v. 2. & 3.

II. Tumultus, fremitus & impetus hostium nostrorum, sive sint corporales, sive spirituales, non debent nos consternare; sed excitare magis ad Dei opem fide apprehendendam, & precibus invocandam, ex v. 2. & 3.

III. In istiusmodi precibus, plurimum facit ad spem nostram confirmandam, si hostes nostri sint inimici & osores Dei, ex v. 3.

IV. Osores Dei sunt, qui superbe, callide, crudeliter, & pertinaciter opponunt sese populo Dei, ex v. 3, 4, 5, & 6.

V. In omni genere hominum (ne illis quidem exceptis, qui amicitiam aliquam præ se ferunt) istiusmodi osores Dei ex omni occasione reperiuntur, ex v. 7, 8, 9.

VI. Exempla judiciorum Dei adversus Ecclesiæ hostes olim editorum, ad fidem nostram in omni simili casu confirmandam memorari debent & religiose accommodari, ex v. 10, 11, 12, 13.

VII. Ad confirmationem fidei nostræ plurimum etiam valet si vivam

vam apprehenſionem habeamus omnipotentiæ illius Dei, cui facillimum eſt hoſtes ſuos omnes in momento confundere, quando ipſi placet, ex verſ. 14, 15, 16.

VIII. In iſtiuſmodi precibus, finis impellentis cauſæ, & argumenti præcipui locum debet habere gloria nominis divini, ex verſ. 17. & 19.

## Psalmus Octvagesimus qvartus.

*Magiſtro ſymphoniæ ad Gitthca* inſtrumenta *poſteris Korachi; Pſalmus.*

2. *Quam amabilia* ſunt *tabernacula tua, ô Iehova exercituum.*

3. *Deſiderio officitur, etiamque deficit anima mea* veniendi *ad atria Iehovæ: cor meum & caro mea exclamant* veniendi *ad Deum fortem viventem* deſiderio:

4. *Etiam paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi;* in *quo ponat pullos ſuos: altaria tua, ô Jehova exercituum, rex mi & Deus mi.*

5. *Beati qui inhabitant domum tuam,* qui *adhuc laudant te ſumme.*

6. *Beatus homo, cui facultas* eſt *in te ſemitas* tuas inſiſtendi *ex animi ſui* ſententia:

7. *Qui tranſeuntes per vallem mori fontem conſtituunt eum,* quos *etiam benedictionum operit pluvia:*

8. *Qui pergunt ab acie ad aciem, comparet* quiſque *apud Deum Tzione.*

9. *Jehova Deus,* Deus *exercituum, audi orationem meam; auribus percipe ô Deus Jahakobi maxime.*

10. *Scutum noſtrum aſpice, ô Deus, & intuere faciem Chriſti tui.*

11. *Nam melior* eſt *dies* unus *in atriis tuis, quam mille* alibi: *eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quam habitare in tentoriis improbitatis.*

12. *Quia ſol & ſcutum* eſt *Iehova Deus, gratiam & gloriam dat Iehova: non cohibet bonum* ab *ambulantibus in integritate.*

13. *O Iehova exercituum, beatus homo, qui fiduciam habet in te.*

## ANALYSIS.

PSalmus iſte explicat votum Davidis (ut maxime veriſimile eſt) jam exulantis, de ſua in integrum reſtitutione, ut ſanctiſſima Dei præſentia ſecundum ejus inſtituta uteretur ac frueretur.

1. Votum iſtud 1. In ſua cauſa procreante (excellentia ſcilicet & amabilitate præſentiæ & inſtitutorum Dei) efficaciter proponitur ſub forma exclamationis, v. 2. 2. Proponitur 2. ſimplicius per declarationem deſiderii ex amabilitate illa oriundi, & circa eandem verſantis, v. 3. cujus deſiderii tam qualitas, quoad ſynceritatem, quam quantitas, quoad intenſionem, & extenſionem, ſimul declaratur ex eo, quod fuit deſiderium totius hominis, *anima, cor, caro,* & in gradu ſummo, *exclamant, deficiunt,* ibidem. 3. Urgetur hoc votum à comparatione viliſſimarum avicularum, quibus commoda habitatio vel nidificandi locus conce-

concedi solet, cum exilio suo. v. 4. 4 Urget etiam à comparatione invidendæ fœlicitatis eorum qui libere fruebantur hac præsentia Dei, sive illi fuerint ministri sacri, vers. 5. sive alii. vers. 6, 7, 8. 5. Ex istis comparationibus concluditur votum, & sub forma generalis petitionis explicatur. vers. 9. 10. ubi etiam confirmatur tam ab omnisufficientia Dei, *ô Deus, Deus exercitum*, quam à relatione ejus ad populum suum, *ô Deus Jakobi, ô scutum nostrum*; & etiam à singulari relatione Davidis ad Deum & populum ejus: *intuere faciem uncti tui*. 6. Illustratur idem votum comparatione imparium, qua unus dies in cultu Dei transactus anteponitur longissimæ fruitioni voluptatum aliarum, sive sint peccati, sive vanitatis mundanæ. vers. 11. Hujus autem comparationis, sicut & voti totius ratio redditur. vers. 12. ab efficientia Dei erga pios, in omnium bonorum communicatione, & omnis mali propulsatione. Unde etiam beatitudinem piorum ad suam & aliorum consolationem concludit. vers. 13.

DOCVMENTA.

I. Omnia illa quæ ad Deum & ejus præsentiam spectant, apprehenduntur à piis tanquam summe amabilia. ex v. 2. Quia in eis inest bonitas maxime honesta, utilis, & jucunda.

II. Ex amabilitate ista excitatur in piis vehementissimum desiderium. ex v. 3. Desiderium scilicet unionis, complacentiæ, & benevolentiæ. Medullæ lib. 2. cap. 7.

III. Accenditur hoc desiderium contemplatione Dei, tanquam *Dei exercituum, fortis, viventis*. vers. 2, & 3.

IV. Qui hujusmodo desiderio afficiuntur, & tamen ejusdem compotes non fiunt, miseriæ suæ sensu graviter afficiuntur. ex v. 4.

V. Ex hujusmodi sensu defectuum suorum, erudiuntur pii ad beatitudinem illam rite æstimandam, quæ in communione cum Deo consistit. ex. v. 5, 6, 7, 8. carendo magis quam fruendo bona nostra cognoscimus.

VI. Desideria piorum per miseriæ sensum, & beatitudinis apprehensionem, ascendunt in preces maxime ferventes & instantes. ex vers. 9, & 10.

VII. In precibus, ad earum efficaciam & consolationem nostram, requiritur incomparabilis affectus erga Deum supra alia quæcunque. ex v. 11.

VIII. Affectus iste oritur ex apprehensione viva Dei, tanquam omnium bonorum largitoris, & omnium malorum propulsatoris, erga pios. ex v. 12.

IX. Ex istis consequitur justa æstimatio & studium pietatis. v. 13.

X. Pietas consistit in fiducia erga Deum & integritate vitæ coram ipso v. 12, & 13.

## PSALMUS OCTVAGESIMUS QVINTUS.

*Magistro symphoniæ in posteris Korachi, Psalmus.*

2. *Benevolus fueras, ô Jehova, terræ tuæ: reduxeras turbam captivam Iahakobi:*

3. *Con-*

3. *Condonaveras iniquitatem populi tui, texeras omne peccatum eorum ſumme:*

4. *Receperas omnem excandeſcentiam tuam, averteras, quo minus æſtuaret, iram tuam.*

5. *Reſtitue nos, ô Deus ſalutis noſtræ: & irritam fac indignationem tuam contra nos.*

6. *An in ſeculum iraſcereris contra nos? protraheres iram tuam in quamque generationem?*

7. *An non tu reverſus, vitæ reſtitueres nos; ut populus tuus lætentur in te?*

8. *Oſtende nobis Iehova benignitatem tuam; & ſalutem tuam da nobis*

9. *Audiam quid loquatur* Deus *ille fortis Iehova; nam eloquitur pacem erga populum ſuum, & erga eos quos benignitate proſequitur: ſed ne revertantur ad ſtultitiam.*

10 *Utique propinqua* eſt *timentibus eum ſalus ejus, habitaturas eſt gloria in terra noſtra.*

11. *Benignitas & fides occurrent interſe, juſtitia & pax oſculabuntur ſe.*

12. *Fides è terra germinabit, & juſtitia è cœlis proſpectabit.*

13. *Etiam Iehova dabit quod bonum eſt, ut terra noſtra edat proventum ſuum;*

14. *Faciet ut juſtitia præcat ſibi, dum conferet ad iter pedes ſuos.*

## ANALYSIS.

Occasio hujus Pſalmi fuit gravis Eccleſiæ preſſura poſt reſtitutionem ejus à captivitate. Scopus eſt, petere liberationem. v.5, & 7.

Hujus petitionis fiducia primò confirmatur ad v. 9 & poſtea patiens & placida expectatio eventus ejus declaratur à v. 9. ad finem. Confirmatur petitio a comparatione parium, inter liberationem illam quam antea Deus præſtiterat populo ſuo, & iſtam quæ jam petitur. Comparatio autem iſta non ſimpliciter tantum inſtituitur inter liberationem præteritam & futuram. v.2, & 5. *reduxeras, reſtitue:* ſed ad majorem fiduciæ confirmationem, illuſtratur utrinque liberationum cauſis & modis paribus. Primaria cauſa liberationis præteritæ fuit benevolentia & benignitas Dei. v. 2. quæ eadem pariter apprehenditur in futurum. verſ.8. Illius benignitas operatio (cauſæ etiam & modi rationem complectens) fuit in præterita liberatione, remiſſio peccatorum, & iræ vel pœnæ averſio. v.3, & 4. quæ eadem benignitatis operatio apprehenditur & imploratur in futurum. v.5, & 6. ubi porro ad efficaciam orationis exacuendam annectitur duplex illuſtratio: quarum prima petitur à diuturna privatione hujus operationis (*an in ſeculum?*) altera vera à fine: ut populus Dei novam in ipſo gaudendi materiam haberet. v.7. in fine.

Expectatio eventus hujus petitionis 1. ſolemni profeſſione ſpondetur

detur vers. 9. in princ. 2. Causa aut ratio ejus redditur à certitudine fœlicitatis & eventus expectati. v. 9. in medio. & v. 10. 3. Conditione adjuncta eventus ille declaratur, constantia scilicet, obedientiæ novæ. ibid. in fine. 4. Fœlicitas eventus illius illustratur à multiplici Dei efficientia, cum suis effectis, quasi per inductionem partium, benignitatis, fidei, justitiæ, pacis, fidei etiam & & justitiæ, vers. 11. & 12, 13. ad constituendam omnimodæ fœlicitatis perfectionem. v. 13.

DOCUMENTA.

I. In omnibus nostris angustiis sustentare fidem nostram debemus antecedentium Dei beneficiorum commentatione; sive illa nobis fuerint peculiaria, sive in alia ejusdem corporis membra collata. ex vers. 2, ad 9.

II. Ut solidam consolationem ex istis Dei beneficiis hauriamus, eorum causas & modos diligenter debemus considerare & comparare. ibid.

III. Benevolentia, benignitas & dilectio Dei, imprimis debet spectari, tanquam fons & medulla omnis boni salutaris, ex v. 2. in princ. & 8.

IV. Ex ista benevolentia & benignitate Dei, quærenda est imprimis remissio peccatorum nostrorum; & postea liberatio ab ira Dei, & pœnis ex ira inflictis, ex v. 3, 4, 5.

V. Neque diuturnitas, neque acerbitas afflictionum nostrarum debet spem nostram, de liberatione aut frangere aut fatigare, sed potius excitare. ex v. 6, 7.

VI. Liberationum ac beneficiorum omnium Dei in expetendo finis, & in percipiendo fructus debet esse sanctum & solidum gaudium in Deo, ex v. 7. in fine.

VII. Quamvis gaudium optatum statim non consequamur, constanter tamen in precibus persistendum, & exitus patienter ac placide à Deo expectandus. ex vers. 9.

VIII. In expectatione fœlicis eventus omnium tentationum, omni modo debemus fidem nostram confirmare & adversus infidelitatem ac dubitationem pugnare ex v. 9. & 10.

IX. Nulla fœlicitas eventus potest fide expectari sine studio sanctitatis conjuncto. ex vers. 9. in fine.

X. Ad Sanctorum fœlicitatem omnes Dei perfectiones efficacissime cooperantur supra omnem expectationem, ex. v. 11, &c.

## PSALMUS OCTUAGESIMUS SEXTUS.

*ORatio Davidis: enclina Jehova aurem tuam, exaudi me: nam pauper & egens sum.*

2. *Serva animam meam, nam is sum quem benignitate prosequeris: serva tuum servum, tu Deus mi, fiduciam habentem in te.*

3. *Gratiam fac mihi Domine; quia te inclamo toto die*

4. *Lætifica animam servi tui: quia ad te, Domine, animam attollo.*

5 *Tu enim Domine bonus es & condonans, multusque benignitate omnibus invocantibus te.*

6. *Auribus*

6. *Auribus percipe, Jehova, orationem meam, & attende ad vocem deprecationum mearum.*

7. *Tempore anguſtiæ meæ invoco te, quia exaudis me.*

8. *Non eſt par tibi inter ullos Deos, ô Domine; neque ſunt paria operibus tuis* opera.

9. *Omnes gentes quas* eis *afficis venientes, incurvant ſe coram te, Domine, & honorem habent nomini tuo:*

10. *Quia magnus es atque mirificus, tu Deus ſolus es.*

11. *Doce me, Jehova, viam tuam, pergam in veritate tua, aduna animum meum ad timendum nomen tuum.*

12. *Celebrabo te Domine, Deus mi, ex toto animo meo; & honore proſequar nomen tuum in ſeculum:*

13. *Quum benignitas tua magna* ſit *erga me, & eripueris animam meam à ſepulchro imo.*

14. *O Deus, ſuperbi inſurgunt contra me, & cœtus violentorum quærunt vitam meam; qui non preponunt te ſibi.*

15. *Tu autem Domine,* Deus *fortis, miſericors, & gratioſus* es, *longanimis, & multus benignitate ac fide.*

16. *Reſpice ad me, & gratiam fac mihi; da robur tuum ſervo tuo, & ſerva filium ancillæ tuæ.*

17. *Effice erga me ſignum* quod *bono* ſit; *ut videntes oſores mei pudore perfundantur, quum tu Jehova adjuveris me & conſolatus fueris me.*

## ANALYSIS.

Continet hic Pſalmus orationem Davidis, quam tempore anguſtiæ ſuæ, ex inimicorum perſecutione oriundæ habuit, verſ. 1. in principio, verſ. 7. & 14. qua inſtituuntur pii, quomodo debeant orare in gravibus rerum difficultatibus.

Petitio generaliter 1. proponitur, de inclinatione auris & exauditione; & generali argumento ab indigentia, deſtitutione, ac neceſſitate ejus urgetur, v. 1.

Specialius deinde explicatur, de anima ſervanda; & confirmatur à deſcriptione ipſius, qua ſe talem eſſe declarat, quales Deus ſolet ſervare: Dei videlicet, beneficiarium, qui ipſum colit ut ſervus, & totam ſuam fiduciam in ipſo collocatam habet, v. 2.

Tertio in loco tam generaliter, de gratia facienda, quam ſpecialiter, de anima lætificanda proponitur; & confirmatur ab uſurpatione medii eo facientis, conſtanti ſcil. & fiduciali invocatione, v. 3. & 4.

Quartò, tam petitionis, quam exercitii ejus, id eſt, medii hujus uſurpationis, & fiduciæ cum qua uſurpatur, cauſa vel ratio redditur; bonitas nempe & benignitas Dei, v. 5.

Quinto, eadem petitio generaliter denuo proponitur, v. 6. & illuſtratur 1. Experientia Davidis, v. 7. 2. Comparatione Dei cum fictitiis Diis. v. 8, & 10. quorum imparitas eſſe declaratur verſ. 9.

Sexto, ſpecialius adhuc explicatur illa petitio, quod ſcil. non corporalem tantum ſalutem ſpectaverit, ſed præcipue ſpiritualem, id eſt, illumina-

nationem intellectus, & voluntatis confirmationem, ad fidem & conscientiam bonam in istis angustiis retinendam, v. 11.

Septimo, urgetur & confirmatur petitio ab effecto ex ejus concessione consequuturo, grata nempe celebratione nominis divini: quæ declaratur suis adjunctis, synceritate & constantia, v. 12. & suis causis, benignitate Dei, & liberatione inde profecta, v. 13.

Octavo, urgetur petitio è descriptione hostium, id est, ab eorum superbia, violentia, crudelitate & impietate, v. 14.

Confirmatur denique descriptione naturæ Dei, v. 15. & ultimo in loco repetitur petitio, & confirmatur à relatione illa quam habuit ipse ad Deum, tanquam servus & verna, v. 16. & à fructu inde secuturo, si Deus manifestaret se justam rationem habere talium, pudore scilicet, improborum, v. 17.

### Documenta.

I. In omnibus necessitatibus nostris ad Deum precibus confugere debemus, ex v. 1.

II. Precum nostrarum exauditio imprimis quæri debet, & in maximis bonis numerari, ibid.

III. Quo majorem sensum habemus nostræ miseriæ & egestatis, eo majore cum instantia ac fiducia possumus precari, ibid.

IV. Fundamentum solidæ consolationis in precibus est, si nos tales esse sciamus, quales Deus prosequitur salutifera benignitate, ex v. 2.

V. Consolationem istam auget perseverantia ipsius precationis, vers. 3.

VI. Precatio illa, quæ consolationem adfert, præcipue consistit in elevatione cordis, non vocis, v. 4.

VII. Istis mediis tantum vera & solida lætitia animi comparatur, ibid.

VIII. Primarius fons omnis veræ consolationis, ac lætitiæ, unde mediis istis hauriri debet, est Dei bonitas & misericordia, v. 5.

IX. Quamvis hæc bonitas Dei sit infinita, pertinet tamen ad consolationem eorum tantum, qui Deum invocant, ibid.

X. Qui autem Deum invocant, sic ab invocatione concludunt exauditionem, ut ab exauditione etiam invocationem quasi in circulo concludant, v. 6, & 7.

XI. Ad istam pietatem confirmandam & augendam, juvat subinde aliarum omnium rerum vanitatem cum Dei majestate comparare ex v. 8, 9, 10.

XII. A Deo præcipue petere debemus istius pietatis conservationem & incrementum, per illuminationem intellectus nostri, & voluntatis directionem, ex v. 11.

XIII. Cum ista pietate, quæ in precatione versatur, conjungitur semper intentio nominis divini syncere & constanter celebrandi, ex vers. 12, 13.

XIV. Quo magis formidabiles sunt hostes nostri, eo magis eis opponere debemus bonitatem Dei celebrandam, ex v. 14, & 15.

XV. Ex hujus bonitatis applicatione fideles possunt certo concludere suam salutem & hostium suorum confusionem, ex vers. 16, & 17.

## Psalmus Octuagesimus Septimus.

*Poſterius Corachi, Pſalmus & canticum. Fundationem ſuam inter montes ſanctitatis,*

2. *Diligit Iehova portas Tzijonis, ſupra quam ulla tabernacula Iahakobi*

3. *Honorificentiſſima* ſunt *quæcunque prædicantur de te, ô civitas Dei ſumme* honorifica.

4. *Memoro Ægyptium, & Babylonium apud noſcentes me; ecce, Palæſtinum, & Tyrium cum Æthiope, hunc genitum eſſe ibidem:*

5. *Ideo de Tzijone fore ut dicatur, hic & ille vir genitus eſt in ea; ipſumque ſtabiliturum eam Excelſum:*

6. *Iehovam annumeraturum conſcribendo populos, hic genitus eſt ibidem excellentiſſime,*

7. *Quapropter canunt æque ac exſultant, omnes fontes vitæ meæ de te.*

## ANALYSIS.

SCOPUS hujus Pſalmi eſt adducere homines ad juſtam Eccleſiæ æſtimationem, ut ſic ad eam amandam, & Deum in illa glorificandum excitentur. In iſtum finem dignitas & amplitudo Eccleſiæ per totum Pſalmum explicatur.

Hæc autem præſtantiſſima Eccleſiæ Dei excellentia (in figura vel typo ejus Hieroſolyma vel Tzione) illuſtratur 1. Ab adjuncta firmitate & perfectione fundationis & exſtructionis ejus. v. 1. *Fundatio ejus eſt inter montes ſanctitatis.* 2. Ab illius fundationis cauſa procreante: Dei ſcilicet dilectione ſingulari: quæ etiam amplificatur à comparatione minorum; quod ſcilicet Deus Hieroſolymam cæteris omnibus locis prætulerat in dilectione ſua. v. 2. 3. A teſtimonio Dei & Prophetarum ejus. verſ. 3. 4 Ab adjuncta Eccleſiæ dilatatione aut diffuſione per totum terrarum orbem in gentium vocatione. Quæ illuſtratur 1. Per inductionem vel enumerationem variarum gentium, de quibus partim ob opulentiam ac ſuperbiam, & partim ob odium ac inimicitiam, minime videbatur expectandum, ut adjungerent ſe Eccleſiæ Dei. *Ægyptium, Babylonium, Palæſtinum, & Tyrium, cum Æthiope.* 2. Per ejuſdem vocationis adjunctam profeſſionem & obſervationem. v. 4, 5. *memoro apud noſcentes me: fore ut dicatur.* Ubi etiam ipſa vocatio ſuo effecto illuſtratur: quod ſcilicet per illam vocati Deo in Eccleſia generantur: *hic & ille genitus eſt in ea.* 3. Per ejuſdem vocationis finem, & effectum; Eccleſiæ nempe ſtabilitionem à Deo hoc pacto procuratam. v. 5. *ipſumque ſtabiliturum eam excelſum.* 4. Per ejus confirmationem à teſtimonio Dei quod illuſtratur ſimilitudine recenſionis aut inſcriptionis hominum civitate donatorum. v. 6.

5. Dilatatio hæc Eccleſiæ, cum reliqua ejus gloria illuſtratur ſingulari ſuo effecto, & adjuncto, gaudio nempe piorum: quod etiam ſuo ſubjecto & modo declaratur; quod ſcilicet intimum & totum cor occupaverit. verſ. 7. *Qua propter canunt*

*nunt atque exultant omnes fontes vitæ meæ de te.*

DOCUMENTA.

I. Ecclesia fundamentum & structuram firmissimam habet à Deo procuratam, ex v. 1. Fundamentum hoc est, 1. Dei firmum Decretum, 2 Tim. 2, 19. 2. Christus petra. Matth. 16, 18. 1 Corinth. 3. 11. 3. Doctrina à Deo revelata, Christum proponens, & Ecclesiam ipsi vi Spiritus sancti connectens, Eph. 2. 20.

*Usus* 1. *Refutationis*, adversus Pontificios, qui Ecclesiam Papæ Romano, & traditionibus ac decretis humanis superstructam esse volunt. 2. *Consolationis*, erga omnes fideles; quod membra sint hujus ædificii, quod à tam sapiente ac potente Architecto tanta cum stabilitate fundatur.

II. Causa totius hujus fundationis ac structuræ est Dei dilectio gratuita, & specialis, & constans, v. 2.

III. Singularem confirmationem hujus directionis & consolationis inde manantis possumus ac debemus petere ex promissionibus ac prædictionibus divinis, v. 3.

IV. Ad consolationem istam augendam plurimum faciunt promissiones de Ecclesia augenda & dilatanda, per multorum ad eam aggregationem, vers. 4. & 5.

V. Promissiones istæ extenduntur etiam ad illos Ecclesiæ hostes convertendos, qui videri possint maxime desperati, ibid.

VI. Conversio ista est generatio nova, vel regeneratio spiritualis, ibid.

VII. Qui hunc in modum sunt regeniti, Ecclesiam veram habent pro sua matre, ibidem.

VIII. Qui hunc in modum Ecclesiæ generantur, professione observanda idem solent præ se ferre, v. 4. *memoro*, & vers. 1. *fore ut dicatur.*

IX. Per istam multorum filiorum regenerationem Ecclesia à Deo stabilitur, vers. 5. in fine.

X. Quod hunc in modum agitur in terris, in cœlo a Deo ratum habetur, vers. 6.

XI. Piorum officium est de hac Ecclesiæ fœlicitate ex intimo ac toto corde gaudere, ac Deum glorificare, vers. 7.

## PSALMUS OCTVAGESIMUS OCTAVUS.

C*Anticum* & *Psalmus in posteris Korachi, magistro symphoniæ, ad pneumaticum instrumentum canendus: didascalicus Hemanis Ezrachitæ.*

2. *O Jehova, Deus salutis meæ; interdiu clamo*, & *noctu coram te.*

3. *Veniat in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.*

4. *Nam saturata est malis anima mea, & vita mea ad sepulchrum pertingit.*

5. Reputor *cum descendentibus in sepulchrum, sum similis viro quem deficit virius.*

6. Reputor *inter mortuos, semotus; ut confossi, jacentes* in *sepulcro, quorum non recordaris amplius, qui manu tua excisi sunt.*

7. *Ponis me in sepulchro omnium infimo; in tenebrosissimis, in profundis locis.*

8. *Super me incumbit excandescentia tua, adeo omnibus irrumpentibus tuis fluctibus affligis vehementissime.*

9. *Pro-*

9. *Procul amoves notos meos à me, proponis me in ſummam abominationem eis; ita incluſum ut non poſſim evadere.*

10 *Oculus meus mæret præ afflictione: invoco te Iehova totum diem, pando ad te manus meas.*

11. *An mortuis efficies opus mirabile? aut expertes vitæ celebraturi te exſurgent potentiſſime?*

12. *An enarraretur in ſepulchro benignitas tua? fides tua in perditione?*

13. *An cognoſceretur in tenebris mirabile* opus *tuum, & juſtitia tua in terra oblivionis?*

14. *Atqui ego ad te Iehova, vociferor; & unoquoque mane oratio mea præveniit te.*

15. *Quare, ô Iehova, abjicis me? abſcondis faciem tuam à me?*

16. *Pauper ſum & moribundus à concuſſione, perferens terrores tuos animi pendeo.*

17. *Super me tranſeuntibus æſtibus tuis, conturbationes tuæ reſcindunt me.*

18. *Circumdantes me ſicut aquæ toto die; cingentes me pariter.*

19. *Procul amoves à me amicum & ſocium, notis meis* ſum *tenebroſo loco.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo Propheta graviſſima calamitate affectus petit à Deo levationem.

Hujus petitionis fundamentum primo proponit; quod in Deo fiduciam habuit tanquam in authore ſalutis ſuæ. v. 2. in principio.

2. Petitionem ipſam generaliter deſcribit ex adjunctis, ardore, & ſynceritate. Ardor declaratur intentione, & aſſiduitate. Intentio notatur voce clamandi, repetitionibus crebris, & efflagitatione audientiæ. Aſſiduitas eo notatur, quod interdiu & noctu ſine intermiſſione Deum invocaret. v. 2, & 3.

3. Petitionis cauſam impellentem declarat malorum quibus premebatur deſcriptione. Quæ illuſtratur comparatione. 1. Saturitatis, quia afflictionibus quaſi paſtus fuit, & ad nauſeam repletus. v. 4. 2. Mortis, quæ amplificatur ſuis gradibus, ut in homine. 1. Moribundo, 2. Plane mortuo, & ab omnibus ſemoto, 3. In ſepulchro recondito, atque adeo in profundiſſima foſſa, extra omnem ſpem reviviſcendi. v. 5, 6, 7. 3. Profundiſſimi gurgitis fluctibus undique obruentibus. verſ. 8. quæ una cum prioribus amplificatur ex eo quod ab ira Dei proficiſcebatur. 4. Extremæ deſtitutionis, tanquam hominis ita concluſi, ut neque amici ad ipſum accedere, neque ipſe ad illos egredi poſſit. v. 9.

4. Petitio ipſa ſpecialiter proponitur. 1. In ſuis adjunctis, fletu, manuum expanſione conſtante. verſ. 10. 2. In cauſa qua nititur, Dei ſcilicet gloria, quæ arguitur à repugnantia ſepulchri, vel extremæ deſtitutionis, cum miraculorum editione ex parte Dei. verſ. 11. in principio. & eorundem ex parte hominum celebratione, in gratiarum actione, & eorum ad poſteros propagatione

pagatione, vers. 11, 12, 13. 3. Eadem petitio urgetur querela de malis eum opprimentibus, etiam postquam Deum invocavit: quæ & simpliciter declarantur, suis effectis, concussione, terrore, conturbatione; atque etiam illustrantur similitudinibus fluctuum transeuntium, telæ cultro rescissæ, tenebrarum involventium & abscondentium ab eis, qui opem ferrent. à v. 14. ad finem.

DOCUMENTA.

I. Nulla vexatio aut tentatio tanta est, quæ non leniri & superari possit ac debeat à piis virtute fiduciæ in Deo collocatæ. ex vers. 2. in principio.

II. Fiducia vera ac viva in Deo acquiescimus tanquam in authore salutis nostræ, ibidem.

III. Hæc fiducia exerit & ostendit se fervore & perseverentia orationis. ex vers. 2, & 3,

IV. Hujusmodi oratio in piis maxime elicitur & acuitur afflictionibus ac tentationibus gravibus. ex. v. 4. &c.

V. Pientissimi homines afflictionibus ac tentationibus aliquando sic urgentur ac premuntur, ut gravissimæ querimoniæ ipsis extorqueantur; quibus tamen quod sentiunt non possunt satis explicare. à vers. 4. ad 10.

VI. In istis querimoniis nihil magis pungit animum hominis pii, quam apprehensio iræ divinæ, quamvis omnem fiduciam non abjiciat, neque plane desperet. ex vers. 8. cum 2.

VII. Hæc iræ Dei apprehensio, quamvis acrem adferat dolorem piis, non tamen vel in stuporem, vel in contumaciam ipsos agit, sed excitat ad preces ferventiores ex vers. 10.

VIII. In precibus præcipue spectare debemus gloriam Dei ab ipso declarandam, à nobis autem cum aliis fidelibus prædicandam. à vers. 10. ad 14.

IX. In ipsis precibus, & post preces, fideles aliquando terroribus exercentur ad tempus. vers. 14. ad finem.

## PSALMUS OCTUAGESIMUS NONUS.

*Didascalica ode, Ethanis Ezrachitæ.*
2. *Benignitates Jehovæ in seculum canam; in quamque generationem notam faciam fidem tuam ore meo.*
3. *Nam statuo fore ut in seculum benignitas ædificetur; in cælis ipsis stabilias fidem tuam,* qua dixisti:
4. *Pepigi fædus cum electo meo, juravi Davidi servo meo:*
5. *Usque in seculum me stabiliturum semen tuum, & ædificaturum in quamque generationem solium tuum summe.*
6. *Quapropter celebrant cœli mirabile* opus *tuum, Jehova; etiam fidem tuam in congregatione sanctorum.*
7. *Quis enim in superiore nube par æstimetur Jehovæ? assimiletur Jehovæ inter filios fortium?*
8. *Deus fortis* est *formidabilis in consilio sanctorum plurimum, & reverendus supra omnia quæ circumstant eum.*

9. *O Iehova, Deus exercituum, quis eſt par tibi robuſtus Iah? nam fides tua circumveſtit te.*

10. *Tu dominaris in ſuperbiam maris quum attollunt ſe fluctus ejus, tu reprimis eos.*

11. *Tu contriviſti tanquam confoſſum Ægyptium; brachio roboris tui diſperſiſti inimicos tuos.*

12. *Tui* ſunt *cæli, etiam tua* eſt *terra; orbem habitabilem & ea quæ ipſum implent, tu fundaſti.*

13. *Aquilo & Auſter quos tu creaſti, Thabor & Chermon de nomine tuo cantant.*

14. *Tibi brachium* eſt *cum potentia, robuſta* eſt *manus tua, elata dextera tua.*

15. *Iuſtitia & judicium habitaculo ſolii tui; benignitas & fides præeunt faciei tuæ.*

16. *Beatus* eſt *populus, qui agnoſcunt clangorem,* qui *in luce faciei tuæ pergunt Iehova:*

17. *In nomine tuo exſultant toto die, & in juſtitia tua attollunt ſe:*

18. *Nam decus roboris eorum es, & pro benevolentia tua attollitur cornu noſtrum.*

19. *Iehovæ enim* eſt *ſcutum noſtrum, & ſancti Iiſraëlis* Regis *noſtri.*

20. *Tunc alloquutus per viſionem eum quem benignitate proſequebaris, dixiſti: diſpoſui auxilium contra robuſtum, extuli electum è populo.*

21. *Inveni Davidem ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum;*

22. *Quicum manus mea ſit ſtabilis, etiam brachium meum fortificet eum.*

23. *Non aget exactorem inimicus contra eum, & deditus iniquitati non affliget eum.*

24. *Sed contundam à facie ejus hoſtes ejus, & oſores ejus plaga afficiam*

25. *Adeo fides mea & benignitas mea affutura eſt ei, ut in nomine meo extollatur cornu ejus.*

26. *Nam imponam mari manum ejus, & fluminibus dexteram ejus.*

27. *Ipſe inclamabit me, tu pater mi, mi* Deus *fortis, & rupes ſalutis meæ:*

28. *Etiam ego primo genitum conſtituam eum, excelſum ſupra reges terræ.*

29. *In ſeculum ſervabo ei benignitatem meam, & fedus meum fidum erit ei:*

30. *Diſponamque in æternum ſemen ejus, & ſolium ejus ut* ſunt *dies cælorum.*

31. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint:*

32. *Si ſtatuta mea prophanaverint; & præcepta mea non obſervaverint;*

33. *Viſitabo quidem virga defectionem eorum, & plagis iniquitatem eorum:*

34. *Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.*

35. *Non prophanabo fædus meum, & pronuntiatum labiorum meorum non mutabo.*

36. *Semel juravi per sanctitatem meam, Davidi non mentiar:*
37. *Semen ejus in seculum fore, & solium ejus ut solem coram me:*
38. *Ut luna stabile fore in seculum, & ut testes in superiore nube fideles summe.*
39. *At tu abjecisti & sprevisti; excanduisti contra unctum tuum.*
40. *Detestatus es fedus servi tui, prophanasti* dejiciens *in terram coronamentum ejus.*
41. *Dirupisti omnes macerias ejus: exposuisti munitiones ejus contritioni.*
42. *Diripuerunt eum omnes viatores, est probro vicinis suis.*
43. *Extulisti dexteram hostium ejus, lætificasti omnes inimicos ejus.*
44. *Etiam retudisti acumen gladii ejus, neque stabilivisti eum in bello.*
45. *Fecisti ut cesset nitor ejus, & solium ejus in terram detrusisti.*
46. *Curtasti dies adolescentiæ ejus, operuisti eum pudore summe.*
47. *Quousque Iehova? abscondes te in æternum? ardebit tanquam ignis excandescentia tua?*
48. *Recordare mei, quam temporarius sim: quorsum in vanum creasses omnes filios hominis?*
49. *Quis vir ita vivat ut non experiatur mortem? eripiat se ipsum à sepulchro excellentissime?*
50. *Ubi* sunt *benignitates illæ pristinæ, Domine, quas juraveras Davidi per fidem tuam?*
51 *Recordare, Domine, opprobrii servorum tuorum: me gestare in sinu meo* opprobrium *omnium maximorum populorum.*
52. *Quo affecerunt inimici tui, Iehova: quo affecerunt vestigia Christi tui.*
53. *Benedictus* sit *Iehova in seculum; amen, iterúmque amen.*

## ANALYSIS.

PSALMUS iste nomine populi Dei conscriptus fuit in captivitate versantis. vers. 41. Scopus ejus est petere levamen ac liberationem. v. 47, 48. &c.

1. Hujus petitionis fundamentum primarium primo proponitur in genere. v. 2, & 3. benignitas nempe & fides Dei stabilis perpetuo memoranda & prædicanda.

2. Hujus benignitatis ac fidei divinæ specialis accommodatio ad Ecclesiam declaratur in fœdere inito cum Davide. vers. 4, & 5. una cum ejus celebratione condigna. vers. 6.

3. Commoratur Psalmista in illius celebrationis ratione reddenda. 1. A comparatione Dei cum præstantissimis creaturis: quæ ita impares Deo inveniuntur, ut ipsum tanquam Dominum suum reformident ac revereantur. vers. 7, 8, 9. 2. Ab effectis Dei tam in gubernatione maris & aliarum omnium rerum. vers. 10, 11. quam in creatione cœli ac terræ. v. 12, 13. 3. Ab attributis illis quibus summa Dei perfectio explicatur; potentia. vers. 4. justitia, benignitate & fide. v. 15.

4. Redit Propheta ad benignitatem

rem Dei Eccleſiæ exhibitam declarandam: cujus fœlicitas 1. declaratur ex illa unione & communione quam habet cum Deo, v. 16. 2. Ex ejus effectis, exultatione, v. 17. 3. Ex cauſis illius exultationis, protectione, & evectione, à Dei juſtitia ac benevolentia profectis, v. 18, 19.

5. Speciale exemplum hujus benignitatis erga Eccleſiam in ſuo capite Davide & Chriſto fuſius explicatur. 1. Ab electione ac vocatione ejus ſingulari, v. 20, 21. 2. A promiſſione illi facta, de ipſius fortificatione, hoſtium ejus ſubjugatione, imperii dilatatione, v. 22. ad 29. cujus promiſſionis firmitas declaratur 1. A diverſis, inobedientia poſterorum & caſtigatione inde ſecutura, v. 29. ad 36. 2. Ab adjuncto juramento quo fuit confirmata v. 36. ad 39.

6. Hæc benignitas ac fides Dei imploratur ad liberationem hoc tempore neceſſariam præſtandam. Quod 1. oblique ac indirecte fit per gravem querimoniam de calamitoſo populi ſtatu, qui promiſſionibus illis videbatur plane repugnare, verſ. 39. ad 47. & poſtea directa petitione, v. 47. ad finem. Ubi commiſcentur argumenta varia petitionem ſuadentia & fiduciam confirmantia. 1. Ab adjuncta diuturnitate & gravitate mali, cum fluxa humanæ vitæ mortalitate comparata, verſ. 47, 48, & 49. 2. A comparatione benignitatis Dei olim exhibitæ cum præſenti populi ſtatu ex ejus diſpenſatione, v. 50. 3. Ab adjuncta ignomina Eccleſiæ Dei in Deum ipſum redundante, verſ. 51, & 52. 4. A celebratione nominis divini in Eccleſia ſemper continuanda, v. 53.

### Documenta.

I. Eo debemus anniti, ut Dei benignitatem ac fidem laudemus ac celebremus, non tantum in rebus noſtris ſecundis, ſed & maxime adverſis, ex verſ. 2. cum 39, 40, &c. Sic enim officium impletur de præteritis: de futuris ſpes confirmatur: & efficacior ad impetrandum fit petitio liberationis.

II. Hujus benignitatis ac fidei divinæ ſtabilis & immutabilis conſtantia in rebus adverſis præcipue debet apprehendi ex verſ. 3. Quia hæc fides præcipue afflictionis tempore impugnatur: & ejuſdem confirmatio directe facit ad tentationem illam vincendam, & conſolationem ſolidam acquirendam.

III. Stabilitas benignitatis & fidei divinæ ſingulariter ſpectanda & apprehendenda nobis exhibetur in fœdere gratiæ, & mediis illis quibus in noſtram gratiam confirmatur, ex verſiculis 4, 5.

IV. De fœdere gratiæ ſumme laudatur Deus ab omnibus ſanctis in cœlo ac in terra, ex v. 6.

V. Ad debitam & incomparabilem Dei laudationem excitat meditatio pia incomparabilis excellentiæ Dei ſupra omnes creaturas, ex v. 7, 8, 9.

VI. Incomparabilis excellentia Dei ex ejus efficientia in creatione ac gubernatione mundi elucet, ex v. 10, 11, 12, 13.

VII. Ex hujuſmodi operum Dei contemplatione elevare animos debemus non tantum ad potentiam, ſed & ad juſtitiam, benignitatem ac fidem ejus rite æſtimandam, ex v. 14, 15.

VIII. Perfectio benignitatis

ac fidei divinæ maxime declaratur in beatifica illa communione qua Ecclesiam suam dignatus, ex v.16, 17, 18, 19.

IX. Ecclesia semper habet & agnoscit justas causas solidi gaudii, sed in Deo solo, ibidem.

X. Gaudium fidelium in Dei verbo fundatur, ex v. 20. in principio.

XI. In Deo gaudendum est, & nomen ejus glorificandum de Rectoribus bonis ab ipso donatis, ex v. 20, 21.

XII. Rectorum bonorum fortificatio & prosperitas omnis pendet ex fide & benignitate Dei, ex vers. 22, 23, 24, 25, 26.

XIII. Unica ratio fortificationem & prosperitatem istam consequendi & conservandi, est ex fiducia in Deo rite collocata nomen ejus invocare, ex v. 27.

XIV. Deus omni benignitate prosequitur eos à quibus sic invocatur, ex v. 28.

XV. Benignitas ista permanens est & firma, secundum consilium Dei, ex v. 29, 30.

XVI. Firmitas ista benignitatis Dei non plane aboletur ipsorum peccatis, ex v. 31, 32, 34, 35.

XVII. Quamvis benignitas Dei manet semper erga suos, pro peccatis tamen suis graviter ab ipso castigantur, ex v. 33.

XVIII. Immutabilitas gratiæ ac fidei divinæ, est unica ratio quare benignitatem suam non aufert à nobis, ex versic. 36, 37, 38.

XIX. Gratia ac fidelitate ista non obstante, populus Dei propter peccata sic aliquando vexantur, ut videantur à Deo plane abjecti, ex v. 39. ad 47.

XX. Vexationibus & angustiis istis excitatur populus Dei ad ardentiores preces, ex vers. 47, &c.

XXI. Vanitas ipsa & brevitas hujus vitæ excitare nos debent ad Deum quærendum, ex v. 48, 49.

XXII. Pristini favoris Dei recordatione spem nostram debemus confirmare, ex v. 50.

XXIII. Præcipue attendendum est ad gloriam Dei, ut ejus imminutionem doleamus, & celebrationem ejus voveamus, v. 51. ad finem.

## Psalmus Nonagesimus.

*Oratio Moschis viri Dei. O Domine, tu habitaculum fuisti nobis, in quaque generatione.*

2\. *Quum nondum montes editi essent, aut formasses terram, orbemque habitabilem, denique inde à seculo & usque in seculum tu* Deus *fortis* es.

3\. *Redigis mortalem eo usque ut sit contritus ; dicens, revertimini filii hominum.*

4\. *Nam mille annos si prætereunt,* sunt *in oculis tuis ut dies hesternus : vigiliaque nocturna.*

5\. *Inundatione abripis eos, somnus sunt ? ipso mane* sunt *ut fœnum transiens ;*

6\. *Ipso mane quo floruit transiens, ipso vespere excisus atque exarescens.*

7\. *Quando consumimur ira tua, & tuo æstu conturbamur :*

8\. Pro-

8. *Proponis iniquitates noſtras, tibi occulta noſtra lumini faciei tuæ.*

9. *Nam omnes dies noſtri divertunt excandeſcentia tua; conſumimus annos noſtros ſimiles ſermoni* ſunt.

10. *In diebus ipſis annorum noſtrorum* ſunt *ſeptuageni anni, aut (ut* ſimus *valentiſſimi) octogeni anni; etiam excellentiſſimum eorum laborioſum* eſt, *& moleſtum: quo feſtine exciſo, avolamus.*

11. *Quis agnoſcit robur iræ tuæ, aut excandeſcentiæ tuæ ſecundum timorem tuum?*

12. *Numerare dies noſtros ita doce* nos; *ut inducamus animum ſapientem.*

13. *Revertere Jehova, quouſque? & pæniteat te propter ſervos tuos.*

14. *Satia nos unoquoque mane benignitate tua, ut cantemus & lætemur omnibus diebus noſtris.*

15. *Lætifica nos, ut dies* multos *afflixiſti nos; annis* multis *experti ſumus malum.*

16. *Perſpicuum ſit erga ſervos tuos opus tuum, & decor tuus in filiis eorum.*

17. *Denique adſit amœnitas Iehovæ Dei noſtri nobis: & opus manuum noſtrarum inſtitue in nobis; ipſum, inquam, opus manuum noſtrarum inſtitue.*

## ANALYSIS.

PSalmus iſte eſt oratio à Moſe, tanquam ſingularis miniſtri Dei, populi nomine compoſita, in deſerto, quando variis calamitatibus iiſq; mortiferis afficiebantur: ſicut in titulo indicatur.

Scopus ejus eſt, gratiam ac miſericordiam Dei implorare, v. 13, 14, &c. Hujus petitionis fundamentum, & neceſſitas primo declaratur: & poſtea petitio ipſa explicatur & urgetur. Fundamentum petitionis fuit fiducia vera in Dei gratia collocata: quæ gratia ſuis partibus ordine inverſo illuſtratur. Primo enim gratia præſtita huic populo, & majoribus eorum in omnium bonorum communicatione, & malorum omnium depulſione metaphorice declaratur, verſ. 1. Deinde fons hujus gratiæ præſtitæ indicatur, æternum ſcilicet Dei decretum quo ipſis benefacere conſtituit, quod in æternum durabit firmum, v. 2. Neceſſitas petitionis exponitur in humili confeſſione ac deploratione miſeriæ humanæ, quam illi ſingulariter experiebantur. Illa autem miſeria declaratur 1. In morte, una cum contritione ſubito à Deo inflicta, v. 3. cujus adminiſtrationis ſubitanea ratio illuſtratur divina & vera menſura longiſſimi temporis quod vel fictione tribui poteſt vitæ humanæ, v. 4. 2. Comparatione variarum rerum, vel ſubitam invaſionem mortis, vel breviſſimam vitæ durationem apte repræſentantium, ut abreptionis per inundationem, verſ. 5. evigilationis è ſomno, ibid. & verſ. 6. arefactionis graminis, ibid. & verſ. 6. ſermonis ſtatim abſoluti, verſ. 9. 3. Deſcriptione diſtincta brevitatis & laboris vitæ eorum hominum, qui diutiſſime vivunt ex ordine jam obtinente, v. 10. Hæc miſeria

miseria secundo in loco declaratur sua propria causa, ira scilicet Dei, multiplicia peccata hominum tam ipsis nota quam occulta plectent, v. 7, 8.

Hæc autem ira Dei una cum miseria inde ad peccatores proficiscente, illustratur adjuncta hominum inscitia, inadvertentia, & non curantia, aut inefficaci præteritione vers. 11. cui contraria sapientia vovetur, v. 12.

Petitio gradatim quasi per partes explicatur. 1. Ut Deus vellet ipsis dare veram resipiscentiam, vers. 12. 2. Ut Deus ab ira adversus populum suum accensa desistere vellet, vers. 13. 3. Ut manifestare vellet favorem, ver. 14. qui Dei favor & effectu lætitiæ, & adjuncto durationis, afflictionis diuturnitati similis, illustratur, v. 15. 4. Ut eo modo & gradu favorem istum declararet, qui cederet ipsi in honorem, v. 16. 5. Ut bonum opus quod inceperat erga populum suum, stabilire dignaretur, versu 17.

DOCUMENTA.

I. Summus honoris titulus est, si quis vere vocari possit *vir Dei*, ex titulo, Deut. 33. 1. 1 Sam. 9. 6, 8, 9, 10, 11. 1 Reg. 18. 24.

II. Viri Dei officium est, cæteris præire in nomine Dei invocando, ibid. Luc. 11. 1.

III. Oratio pia proficiscitur ex fiducia vera ac viva, ex v. 1.

IV. Fiducia vera ac viva omnia illa quæ desunt, sic in Deo apprehendit, quasi perfectissime adessent, ibidem, ubi Deus apprehenditur tanquam constans habitaculum ab eis qui in deserto vagabantur, Ezech. 11. 16. 2 Cor. 6. 8, 9, 10.

V. Eadem fiducia æternitatem & immutabilitatem dilectionis divinæ apprehendit, ex v. 2. Ephes. 1.

VI. Fiducia hæc non extinguitur, sed excitatur consideratione & experientia malorum hujus vitæ, ex v. 3. & sequent.

VII. Consolatio est fidelium adversus omnes vitæ ac mortis acerbitates, quod Dei providentia ac nutu regantur, v. 3.

VIII. Si Dei æternitas spectetur, tota hæc vita mortalis, quamvis longissima sit, est instar nihili, vers. 4.

IX. Fragilitas, vanitas, brevitas, & molestia hujus vitæ, talis est, ut vix possit exemplis satis nobis explicari, ex v. 5, 6, 9, 10.

X. Peccata nostra, & Dei ira ex illis orta, causæ sunt omnium miseriarum v. 7, 8, 9.

XI. Tanta est stupiditas hominum, ut paucissimi sint, qui rite, reverentur, & efficaciter ad animum revocent errorem iræ Dei, adversus peccatum, v. 11.

XII. Precibus apud Deum contendendum est, ut is nos per verbum & Spiritum ita velit erudire, ut à stupiditate ista liberemur, vers. 12.

XIII. Qui à Deo erudiuntur ad salutem, acquirunt sibi cor sapientiæ: cujus caput est reverentia Dei, ibid.

XIV. Efficax medium ad istam sapientiam acquirendam, est religiosa recordatio & meditatio brevitatis hujus vitæ, ibidem.

XV. Postquam serio petivimus à Deo ut nobis daret resipiscentiam à nostris peccatis, tum, cum fiducia possumus petere & expectare, ut ipsummet pœniteat suæ iræ, v. 13.

XVI. Non ſatis eſt petere remiſſionem iræ divinæ; ſed copioſa etiam gratia & benignitas ejus eſt pari affectu quærenda & imploranda, v. 14.

XVII. De gratia & benignitate Dei nobis communicata, maxime lætari debemus, v. 14. in fine.

XVIII. Lætitia maxima à reſipiſcentibus exſpectari & percipi ſolet poſt magnam & diuturnam afflictionem, v. 15.

XIX. Tam lætitia, quam deſideria noſtra omnia ad Dei gloriam præcipue debent ſpectare, v. 16.

XX. Gloria Dei in eo ſingulariter manifeſtatur, quod dirigat, ſtabilitat ac perficiat nos in omni opere bono, ex verſ. 17.

## PSALMUS NONAGESIMUSPRIMUS.

*Confidens in labitulo Excelſi, in umbra omnipotentis indeſinenter permoctans,*

2. *Dico, in Jehova* eſt *receptus meus, & propugnaculum meum; Deus meus* eſt; *cui confido.*

3. *Quandoquidem ipſe erepturus eſt te à laqueo aucupantis, à peſte ærumnoſiſſima,*

4. *Ala ſua protecturus te, quum ſub alas ipſius te receperis; clypeus & parma* eſt, *fides ipſius;*

5. *Ne timeto à pavore nocturno, à ſagitta volitante interdiu:*

6. *A peſte in caligne pervadente, à lue vaſtante in meridie.*

7. *Cadentibus ab* altero *latere tuo mille, & decies mille à dextera tua; ad te non accedet:*

8. *Tantum oculis tuis intueberis, & retributionem improborum videbis.*

9. *Quum te Jehovam,* Deum *receptus mei, Excelſam ſtatueris habitaculum tuum;*

10. *Non dabitur occaſio ut attingat te malum; & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.*

11. *Nam angelis ſuis præcipiet de te, ut conſervent te in omnibus viis tuis:*

12. *Ambabus palmis ſuſtineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.*

13. *Super ferocem leonem & aſpidem incedes, conculcabis juvenem leonem & draconem.*

14. *Quia in me* (inquit Deus) *amore propendet, ideo liberabo eum, in edito collocabo eum, quia agnoſcit nomen meum:*

15. *Simulac invocaverit me, exaudiam eum; ipſi adero in anguſtia: eripiam eum, & honore afficiam eum.*

16. *Longitudine dierum ſatiabo eum, denique efficiam ut fruatur ſalute mea.*

# ANALYSIS.

Hujus Psalmi scopus est, hortari pios ut in omnibus angustiis certa fiducia in Deum recumbant.

1. Primarium argumentum petitur ab effecto, vel eventu hujus fiduciæ, certa nempe protectione, quam dies noctesque constanter percipient per omnipotentiam Dei sibi præstari, vers. 1. Fallitur enim Junius ac Tremellius, qui versum primum conjungunt cum secundo tanquam suppositum: quia verbum illud *pernoctabit* non admittit talem constructionem, sicut Piscator bene observat. Fallitur etiam Piscator, qui cum eodem versu conjungit tanquam appositum, in versu primo idem bis repeti autumans, atque adeo sententiam plenam non contineri. Fiducia enim, & fiduciæ fructus, quamvis similibus phrasibus explicentur, non sunt tamen unum & idem. Similis est species identitatis partium, Psalm. 92. 13. & tamen sententia ibi est plena. 2. Hæc doctrina quæ v. 1. proponitur, confirmatur primo certo exemplo professionis à Psalmista factæ. Primo fiduciæ in Deum collocatæ, v. 2. Et postea fructus ejusdem, fide apprehensi, & cum maxima certitudinis demonstratione declarati, v. 3, & 4. Cujus certitudinis causa propria notatur v. 4. in fine: veracitas nempe & fidelitas Dei. 3. Fructus talis fiduciæ, protectio nempe ab omni genere periculorum, efficaciter illustratur. 1. Per distributionem periculorum à quibus fideles erunt immunes, v. 5, 6. 2. Per exemplum periculi maximi, & plurimos obruentis, à quo fideles liberabuntur, vers. 7. 3. Per comparationem dissimilis conditionis impiorum, v. 8. 4. Per descriptionem plenitudinis protectionis ex plena fiducia sequuturæ, v. 9, 10. 5. Per causas administrantes, Angelos nempe bonos, à quibus fideles conservantur, v. 11, 12. cujus conservationis effectum exemplo singularis periculi illustratur, v. 13. 4. Eadem Dei protectio, & fiduciæ fructus sub Dei persona confirmatur ac illustratur vers. 14. ad finem. 1. A causis impellentibus: charitate fidelium erga Deum; reverentia nominis ejus, & invocatione. 2. A beneficiis adjunctis quibus illa protectio cumulatur: evectione ad honorem, diuturnitate vitæ, & fruitione salutis.

## DOCUMENTA.

I. Qui fiduciam suam in Deo constanter habent collocatam, omnimodam consolationem invenient in ejus protectione, ex v. 1.

II. Annitendum est omni modo, ut hanc istam consolationem fixam habeamus in cordibus nostris, camque ex intimo nostro sensu aliis persuademus, ex v. 2.

III. Hæc persuasio nunquam satis nobis & aliis commendatur & inculcatur, ex vers. 3, &c.

IV. Primarium fundamentum hujus persuasionis est veracitas aut fidelitas Dei in promissionibus suis implendis, ex v. 4.

V. Quamvis multæ mortes & magnæ noxæ sunt, quibus vita nostra obsidetur, ad illas tamen omnes vincendas sufficit fiducia in Deo & ejus

ejus promiſſionibus collocata. ex v. 5, 6, 7.

VI. Confirmatur iſta fiducia experimentali obſervatione diſcriminis illius quod Deus facit inter ipſos & impios. ex verſ. 8.

VII. Fiduciam iſtam plene confirmando, plenam exſpectare debemus protectionem à Deo. ex verſ. 9, 10.

VIII. Ad iſtam fiduciam roborandam facit plurimum, quod cœleſtes Angeli à Deo conſtituti ſint noſtri cuſtodes. ex v. 11, 12.

IX. Virtute cuſtodiæ divinæ tuti ſunt fideles in tentationibus & periculis, maxime lethalibus. ex v. 13.

X. Fiducia illa quæ iſtiuſmodi conſolationem parit, conjunctam habet charitatem erga Deum, ex cognitione nominis divini profectam, & in ejuſdem invocatione ſeſe exerentem. ex verſ. 14, 15.

XI. Hæc fiducia promiſſiones habet hujus & futuræ vitæ. ex v. 15, 16.

## PSALMUS NONAGESIMUS SECUNDUS.

*Psalmus & canticum, in diem ſabbathi.*

2. *Bonum* eſt *celebrare Iehovam, & pſallere nomini tuo, ô excelſe;*

3. *Annunciare unoquoque mane benignitatem tuam, & fidem tuam quibuſque noctibus;*

4. *Ad decachordum & ad nablium; ad citharam cum meditatione.*

5. *Quia lætitia afficis me, Iehova, opere tuo; de factis manuum tuarum cantabo.*

6. *Quam magna ſunt facta tua, Iehova? valde profundæ ſunt cogitationes tuæ.*

7. *Vir brutus non agnoſcit, & ſtultus non animadvertit iſtud.*

8. *Quum germinant improbi velut herba, florentque omnes qui operam dant iniquitati;* fieri *ut perdantur uſque in æternam.*

9. *Te autem ô excelſe, in ſeculum* eſſe *Iehovam.*

10. *Nam ecce inimici tui, Iehova; nam ecce inimici tui pereunt; diſſiliunt omnes qui operam dant iniquitati:*

11. *Attollis vero tanquam monocerotis cornu meum, perfundendo me oleo virente:*

12. Illa *intuente oculo meo in obſervatoribus meis; de inſurgentibus contra me maleficis, audientibus auribus meis.*

13. *Iuſtus ut palma germinabit, ut cedrus in Libano creſcet.*

14. *Plantati in domo Iehovæ, in atriis Dei noſtri germina profundent.*

15. *Adhuc abundabunt in canitie, pingues & virentes erunt,*

16. *Ad annunciandum rectum eſſe Iehovam, rupem meam; neque eſſe ullam iniquitatem in eo.*

## ANALYSIS.

PSALMUS iſte conſcriptus fuit non ex occaſione aliqua ſingulari, ſed ad communem uſum Eccleſiæ in die Sabbathi. v. 1. Congru-

enter igitur continet communem institutionem, & obliquam exhortationem ad Deum laudandum, sub exemplo & exercitio laudativo.

In istum finem, officium hoc Dei nomen celebrandi Primo commendatur à sua bonitate excellenti, v. 2. Secundo describitur generaliter. 1. Ab objecto & causa sua, benignitate scilicet & fide Dei. 2. Ab adjuncto tempore per distributionem, quæ tempus omne statum & aliquo modo perpetuam continuationem notat, *unoquoq; mane, quibusq; noctibus*, v. 3. 3. A modo, & causa administrante, meditatione, musica, & lætitia, v. 4. & 5. in principio. Tertio in loco, causa & materia hujus laudationis declaratur semper meditanda & commemoranda: efficax nempe Dei providentia, & gubernatio, quam erga homines exercet, vers. 5. Hæc autem providentia illustratur, 1. Ab adjuncta majestate, & sapientia inscrutabili, v. 6. Quæ inscrutabilitas majestatis ac sapientiæ amplificatur à comparatione cæcitatis ac stupiditatis hominum mundanorum, v. 7. 2. Declaratur hæc providentia per distributionem à subjectis, primo respectu improborum, quos ex justo judicio perdit, v. 8. & 10. quæ ipsorum perditio illustratur tam à diversa eorum prosperitate temporaria, v. 8. quam à constante & immutabili Dei natura ac voluntate, v. 9. Declaratur secundo in loco eadem providentia respectu piorum. 1. In gratia & omnimoda virtute ipsis communicanda, v. 11. quod adversa conditione impiorum ejusque contemplatione illustratur vers. 12. 2. In illius gratiæ ac virtutis effecto, quod allegorice explicatur, tam quoad internum vigorem & incrementum, quam quoad externam illius vigoris manifestationem & fructus perennes, vers. 13, 14, 15. Qui fructus per unam præcipuam speciem, ( prædicationem scilicet gloriæ Dei) quales debeant esse, indicatur, v. 16.

DOCUMENTA.

I. Dies Sabbathi non est in otio transigendus, sed in Deo colendo; idque speciali quodam modo, supra illud quod aliis diebus propter distractiones varias possumus præstare, ex v. 1.

II. Præcipua pars hujus cultus consistit in excelso Dei nomine celebrando v. 2. Hinc ista celebratio fuit in vetere Ecclesia quotidianum exercitium religionis, 1 Chron. 16. 41. sed speciali modo in die Sabbathi, præstandum, sicut ex hoc Psalmo apparet.

III. In hoc exercitio nominis divini celebrandi, singularis quædam excellentia, suavitas, & utilitas reperitur, ex v. 2. Psal. 147. 1.

IV. In Deo præcipue celebranda est benignitas & fides ejus, vers. 3.

V. Benignitatis & fidei divinæ celebratio interdiu & noctu debet aliquo modo continuari, & statis temporibus renovari, v. 3.

VI. Ad hoc officium requiritur specialis meditatio, affectio animi, & ejusdem affectionis apta declaratio, v. 4, & 5. in principio.

VII. Meditatio, affectus, & celebratio nostra singulariter occupari debet circa opera Dei, v. 5.

VIII. In opere providentiæ Dei, qua vias hominum moderatur & gubernat, singularis majestas & sapientiæ profunditas apparet, v. 6.

IX. Quod

IX. Quod homines non magis percipiant hujus providentiæ rationem, ut in eadem acquieſcant, hoc provenit ab eorum ſocordia & ſtupore, v. 7.

X. Temporaria proſperitas impiorum, quamvis ſtultorum oculos perſtringat, quo minus agnoſcant juſtam Dei circa ipſos providentiam, non impedit tamen, ſed promovet potius illius providentiæ curſum, v. 8.

XI. Fundatur iſta providentiæ ratio ac fides, in ipſius Dei majeſtate divina, & immutabili natura & voluntate, v. 9.

XII. Ex meditatione hujus æternæ Dei perfectionis, anniti debemus, ut quam certiſſime & efficaciter expectemus juſtitiam Dei, adverſus impietatem hominum declarandam, v. 10.

VIII. Huic ſeveritati Dei adverſus impios, opponenda eſt benignitas & gratia Dei erga pios, idque cum ſpeciali ad nos ipſos applicatione, v. 11.

XIV. Commendatur iſta benignitas Dei erga pios ex conſideratione juſtitiæ Dei adverſus impios ipſorum hoſtes, v. 12.

XV. Quamvis pii ad tempus exhauſti videantur, dum impii florent & germinant quaſi herba, verſ. 8. in tempore tamen apparebit in ipſis excellens quidam vigor, v. 13.

XVI. Vigor iſte acquiritur ex communione cum Deo in ſanctis ejus inſtitutis, v. 14.

XVII. Vigor piorum in perennitate bonorum fructuum manifeſtatur, v. 15.

XVIII. Singularis fructus totius hujus diſpenſationis eſt, ut Dei æquitas in genere humano gubernando agnoſcatur ac prædicetur, v. 16.

## PSALMUS NONAGESIMUS TERTIUS.

*Iehova regnat, celſitate indutus; indutus Jehova, robore ſe accingit: etiam ſtabilitur orbis habitabilis, ne dimoveatur.*

2. *Stabile* eſt *ſolium tuum ab illo tempore, inde à ſeculo tu* regnas.

3. Ut ut *attollant flumina, ô Jehova, attollant flumina ſonum ſuum; attollant flumina fragorem ſuum:*

4. *Sonis aquarum multarum, magnificis fluctibus irrumpentibus maris; magnificentior* eſt *in alto Iehova.*

5. *Teſtimonia tua firma* ſunt *valde; domui tuæ decora ſanctitas, ô Iehova, in longitudinem dierum* eſt.

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt, gloriam Dei, ad ædificationem Eccleſiæ celebrare. Hoc autem fit verbis pauciſſimis, ſed virtute & efficacia plenis. Celebratur 1. Dei regnum, id eſt, eminens & efficax ejus omnium rerum gubernatio, v. 1. in princ. tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ: *Iehova regnat*: 2. Sufficientia Dei ad iſtam gubernationem: quæ ſynecdochice notatur *celſitate* vel majeſtate, & *robore*, ibid. quarum perfectionum copia & ornatus expeditus ac paratus indicatur

metaphoris *indumenti*, & *cinctus*, ut Psal. 104. 1,2. Jes. 59. 17. 3. Declaratur hoc regnum ab effecto, providentia scil. totius mundi fabricam conservante & stabiliente, ibid. in fine. 4. Illustratur ab adjuncta duratione inde à principio, v. 2. 5. Amplificatur comparatione motuum hujus mundi maximè impetuosorum & indomitorum, quos Deus habet in sua potestate & nutu suo facile compescit, v. 3, & 4. per sonum enim fluminum & aquarum, tam synecdochicè, quam metaphoricè tumultus maximè horrendi designantur, ut Psalmo 18. 5. & 65. 8. Jes. 17. 12. 3. 6. Ex hac Dei perfectione, quæ apparet in gubernatione mundi, ascendit altius Propheta, & ad specialem Ecclesiæ ædificationem concludit 1. Certissimam firmitatem verbi, ac promissionum Dei, v. 5. in principio. 2. Gloriosam sanctitatem Ecclesiæ secundum illud verbum in æternum communicandam, ibid. in fine.

### Documenta.

I. Regnum quod Deus in omnibus obtinet & exercet, ex omni occasione meditandum est & prædicandum, ex v. 1. in principio, Ps. 96. 10. & 97. 1. & 99. 1.

II. In hoc regimine, summa majestas & potestas, quamvis non corporeis oculis, spirituali tamen fidei oculo potest observari, vers. 1. in medio.

III. Ad consolationem nostram, hæc sic in Deo apprehendere debemus, ut omni-sufficientiam expeditam cogitemus ad nostram salutem procurandam, ibid.

IV. Confirmatur hæc fides consideratione divinæ providentiæ, quæ mundum, ejusque partes, & ordinem stabilem reddit, v. 1. in fine.

V. Ex eadem consideratione specialiter confirmatur fides de perpetua & æterna duratione regni Dei in Christo, v. 2. Jer. 31. 36.

VI. Nulli sunt tanti motus, aut tumultus in mundo, quin imperio hoc Dei in omnibus regnantis facile superentur ac sedentur, v. 3 & 4.

VII. Ex hujus regni consideratione stabilire fidem nostram debemus circa veritatem promissionum Dei v. 5. in princ.

VIII. Virtute promissionum Dei certo expectare debemus gloriosam Ecclesiæ sanctitatem, & ad eandem adspirare, v. 5. in fine.

## Psalmus Nonagesimus Quartus.

O *Fortis* Deus *ultionum, Iehova*; ô Deus *fortis ultionum illucesce*:

2. *Attollere, ô judex terræ: redde retributionem superbis.*

3. *Quousque improbi, ô Jehova; quousque improbi exsultabunt?*

4. *Eructantes loquentur superbe, sese prædicabunt omnes qui operam dant iniquitati?*

5. *Populum tuum, Iehova conterent, & possessionem tuam affligent?*

6. *Viduam & peregrinum interficient, ac pupillos occident.*

7. *Dicentes, non respicit Jah: neque animadvertit Deus Jahakobi?*

8. *Animadvertite, ô brutissimi in populo: & stultissimi quando intelligentes eritis?*

9. *An plantator auris, an non audiat? aut formator oculi, an non intueatur?*

10. *An castigator gentium, an non reprehendat? qui docet homines scientiam,* an non agnoſceret?

11. *Iehova cognoſcit cogitationes hominum, eſſe vanitatem ipſam.*

12. *Beatus ille vir quem caſtigas Iah, & quem ex lege tua doces.*

13. *Ad præſtandum quietem ei à diebus adverſitatis, dum foditur improbo fovea.*

14. *Non enim deſerit Iehova populum ſuum, & poſſeſſionem ſuam non derelinquit.*

15. *Sed uſque ad juſtitiam reverſurum eſt judicium, & poſt illud omnes recti corde.*

16. *Quis ſurrecturus fuiſſet pro me contra maleficos? quis ſe ipſum ſtitiſſet pro me contra eos, qui operam dant iniquitati?*

17. *Niſi Iehova pleno auxilio fuiſſet mihi, parum abeſt quin habitaſſet in loco ſilentii vita mea.*

18. *Quum dico, dimovetur pes meus; benignitas tua, ô Iehova, ſuſtentat me.*

19. *Quum multæ ſunt cogitationes meæ apud me, conſolationes tuæ oblectant animam meam.*

20. *An conſociaretur tibi ſolium ærumnarum, formantis moleſtiam præter ſtatutum.*

21. *Turmatim convenientium contra animam juſti, & ſanguinem innoxium condemnantium?*

22. *Imo eſt Iehova mihi pro edito loco, & Deus pro rupe receptus mei:*

23. *Qui convertit contra eos iniquitatem ipſorum, & malitia ipſorum exſcindit ipſos; exſcindit ipſos Iehova, Deus noſter.*

## ANALYSIS.

IN hoc Pſalmo ſcopus Prophetæ eſt ſemetipſum & alios confirmare adverſus tentationes illas, quæ ex impiorum tyrannicis oppreſſionibus oriri ſolent. Hoc autem facit partim Deum invocando, ad v. 8. partim impios admonendo, inde ad 12. & partim pios conſolando, inde uſque ad finem Pſalmi.

1. In precatione votum ipſum proponitur, ut juſtitia Dei adverſus impios clare manifeſtaretur, verſ. 1. & 2. ſub duabus metaphoris, exortus ſolis, & conſcenſionis tribunalis. 2. Votum illud confirmatur variis argumentis. 1. A natura & officia Dei, ex quibus hoc effectum certo poteſt concludi: quia Deus eſt juſtus vindex omnium ſcelerum, & judex totius terræ, v. 1, 2. 2. A natura & moribus impiorum, qui ſunt 1. Improbi, v. 3. 2. Superbi, v. 2. 3. Exſultant in ſua improbitate, v. 3. 4. Verborum inſolentia tam improbitatem quam ſuperbiam ſuam præ ſe ferunt, v. 4, 5. Crudeliſſima vexatione populi Dei eandem improbitatem declarant, v. 5, 6. 6. Sibimet ſecure placent, & ſemetipſos obſtinatos reddunt

reddunt in hac improba crudelitate, impia & blasphema negatione providentiæ divinæ, v. 7.

2. In admonitione erga istos impios. Gravissime illos accusat stultissimæ & brutissimæ stupiditatis, vers. 8. 2. Monet ipsos ut applicent animos ad veram intelligentiam ac resipiscentiam comparandam, ibid. 3. Solide refutat eorum impietatem, qua negabant Dei providentiam: idque ab effectis providentiæ propriis, quatenus ex sua plenitudine varias providentiæ particulas in homines destillat, communicando ipsis sensuum & intellectus perfectiones, vers. 9. 10. ex quibus concludit, Deum non tantum audire ipsorum verba, & videre ipsorum facta, vers. 9, & 10. sed etiam cognoscere has ipsas cogitationes eorum, quibus non minus vanè quam impiè ipsi illudebant, vers. 11.

3. Ad Consolationem piorum, 1. Describit eos ab eorum propria dispositione, quod à Deo eruditi proficiant in studio bene vivendi, vers. 12. 2. Prædicat eorum beatitudinem, ibid. Quæ beatitudo synecdochicè declaratur per tempestivam liberationem à malis illis quibus impii obruentur, quæ finis & effectum esse notatur eruditionis divinæ, vers. 13. 3. Hujus liberationis fiducia confirmatur, 1. Ex fœdere Dei tam oppositæ desertionis negatione, v. 14. quam salutiferæ visitationis promissione, v. 15. 2. Ab exemplo & experientia ipsius Prophetæ, v. 16. & seq. ubi ostendit 1. Maximas angustias in quibus fuerat versatus, v. 16, 17. & 18, in princ. 2. Magnam consolationem quam perceperat in Deo, suos protegente & improbos profligante, inde ad finem.

DOCUMENTA.

I. Sicut in omnibus precibus multum conducit ad fiduciam confirmandam, epitheta illa Dei commemorare, quæ proprie spectant ad argumenta precum; sic in eis precibus, quæ adversus iniquas oppressiones diriguntur, juvat reputare, Deum nostrum esse Deum ultionum & judicem terræ. Hoc enim terrorem adfert oppressoribus, & consolationem oppressis, ex v. 1.

II. Deus suo tempore manifestis effectis demonstrabit se vindicem esse piorum, & judicem terræ, v. 2.

III. Si tempus videatur longum, antequam apparet nobis optata hæc justitiæ divinæ manifestatio, non debemus idcirco animos despondere, sed eo magis exstimulari ad vehementiam precandi, ex v. 3.

IV. Longa Dei patientia ab improbis rapitur in occasionem superbiæ, duricordiæ, immanitatis, securitatis, & impudentiæ blasphemæ, ex v. 4. &c. usque ad 8.

V. Quando improbi oppressores hoc modo implevisse videntur mensuram suæ iniquitatis, & nullum faciunt peccandi modum, tum singulariter expectare & implorare debemus tempestivam Dei visitationem, ex vers. 4. &c.

VI. Extremæ, perditæ, & brutæ stupiditatis est, abjecto Dei timore, in sceleribus notis sibi indulgere, ex v. 7. & 8.

VII. Talis stupiditas est graviter detestanda, & quantum fieri potest, reprimenda, ibid.

VIII. Ad istum torporem impietatis

pietatis excutiendum, plurimum valet conſideratio efficaciæ Dei in ordine naturæ, v. 9, 10.

IX. Quicquid perfectionis in ulla creatura reperitur, illud eminenter, & cum infinita quadam excellentia tribuendum eſt Deo, ibidem.

X. Quicquid ab hominibus cogitatur de Deo, ad peccati conſcientiam vel extinguendam, vel retundendam, totum illud eſt vanitas vanitatis, ex v. 11.

XI. Pii, quamvis ab improbis iſtiuſmodi hominibus ad tempus opprimantur, ſunt tamen beati, verſ. 12.

XII. Hujus beatitudinis certa nota eſt, quod ſub exercitiis iſtiuſmodi caſtigationum, & per illa ſic à Deo erudiantur, ut in veræ ſapientiæ & pietatis ſtudio proficiant, ibid.

XIII. Præcipuum caput hujus eruditionis eſt, ut ſciant pii, ſe in hunc finem à Deo affligi, ut a majoribus malis liberentur, quæ impiis præparantur, v. 13.

XIV. Sapientia illa nititur immutabili fœdere Dei, ex quo fides tanquam certiſſimum apprehendit, Deum ſuos nunquam penitus deſerturum, v. 14.

XV. Ex eodem fœdere apprehendit fides, quod omnia tandem à Deo ita in ordinem redigentur, ut pii ſecuturi ſint eum cum omni alacritate, v. 15.

XVI. In iſta doctrina tota confirmare ac ſtabilire nos debet experientia, & exempla præſtantium virorum Dei, v. 16, 17, 18, 19.

XVII. Nititur hæc veritas natura ipſa Dei: quia fieri non poteſt, ut vel improbis faveat, vel approbet eorum ſceleratas machinationes, v. 20, 21.

XVIII. Ex natura & fœdere Dei ita confirmantur fideles, ut totum ſuum præſidium in Deo collocantes, expectent ab ipſo non dubitantes omnium hoſtium ſuorum coërcitionem, v. 22, 23.

## PSALMUS NONAGESIMUS QUINTUS.

A*Gite, cantemus Iehovæ; clangamus rupi ſalutis noſtræ.*

2. *Eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione, cum Pſalmis clangamus ei.*

3. *Nam* Deus fortis *magnus* eſt *Iehova; & rex magnus ſupra omnes Deos:*

4. *In cujus manu* ſunt *ima veſtigia terræ, penes quem* ſunt *vires montium:*

5. *Cujus eſt ipſum mare, & qui fecit illud; & arida,* quam *manus ejus formarunt.*

6. *Venite, incurvemus nos & procumbamus; flectamus genua coram Iehova qui fecit nos.*

7. *Cum ipſe* ſit *Deus noſter, nos vero populus paſtus ejus, & grex ductus ejus; hodie, ſi vocem ejus audieritis,*

8. *Ne obduretis animum veſtrum, ut* in *contentione, ut die tentationis in deſerto.*

9. *Vbi tentaverunt me majores veſtri; probaverunt me, etiam experti ſunt opus meum.*

10. *Qua-*

*sunt errabundi animo, & sunt ignorantes viarum mearum.*

11. *Quibus juravi in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam.*

## ANALYSIS.

PSalmum istum à Davide compositum fuisse, idque Spiritu sancto dictante, confirmat Apostolus, Heb. 3. 6, 7. & 4. 7. Scopus ejus, excitare populum Dei ad Deum rite colendum. Quia autem cultus verus præcipue consistit in oratione & verbi divini auditione religiosa, idcirco ad orationem vel nominis divini solemnem celebrationem hortatur primo, usque ad v. 7. & postea ad obsequiosam vocis divinæ auditionem, inde ad finem Psalmi.

1. In priore parte primum officium illud celebrationis, ad quod vocamur, variis repetitionibus sic inculcatur, ut simul etiam describatur, v. 1, 2. 6. Describitur enim 1. Ab objecto ejus formali, benignitate scil. quam Deus ex fœdere ostendit & exercet erga suos, v. 1. 6, 7. 2. Ab actibus modum illum continentibus, quo circa hoc objectum versari debemus, prompta comparatione in sacro conventu, cum omni reverentia, ad gratias agendas, cum summa alacritate, cantu & clangore significata, v. 1, 2, & 6. 2. Idem officium suadetur variis rationibus & impellentibus caussis : quæ partim innuuntur in descriptione ipsius officii, v. 1, 6, 7. & partim distincte explicantur, v. 3, 4, 5. ubi ad celebrationem nominis divini promovendam, describitur Deus noster. 1. Ab ipsius majestate, quæ comparatione illustratur, ver. 3. 2. Ab ejus efficientia in omnium rerum formatione & gubernatione, qua illa majestas declaratur, vers. 4, 5. 3. In posteriore parte Psalmi. 1. Auditio vocis aut verbi Dei proponitur, & per oppositæ inobedientiæ prohibitionem declaratur, v. 7. in fine, & 8. in princ. 2. Suadetur eisdem argumentis, quæ in priore parte adhibebantur, v. 7. in princ. 3. Urgetur comminatione maximorum malorum, ex opposita inobedientia secuturorum : quæ comminatio illustratur & confirmatur exemplo majorum, quorum inobedientia declaratur, v. 8, 9, & miseria inde consecuta, v. 10, 11.

### DOCUMENTA.

I. Tanta est tarditas hominum ad Deum celebrandum, tantaque difficultas hoc ut decet faciendi, ut ad hoc officiam frequenter, vehementer, & instanter debeant excitari, ex v. 1. &c.

II. Ad hoc efficaciter excitantur fideles benignitatis divinæ religiosa contemplatione & apprehensione, ex v. 1. in fine.

III. Ex illa consideratione debemus prompte ac libenter in sacros conventus tanquam in conspectum Dei venire ex v. 2.

IV. In illis conventibus Deus est laudandus cum omni alacritate, ex v. 1. & 2.

V. Uberrimam materiam Deum laudandi habemus in Dei incomparabili majestate, omnipotentia, & providentia, præsertim si simul consideretur, ut Deus salutis nostræ, ex v. 3, 4, 5.

VI. Majestatis hujus intuitus elicere nobis debet omnem reverentiam & humilem submissionem tam externam

externam quam internam in Deo colendo, ex v. 6.

VII. Efficaciſſima ratio hujus ſubmiſſionis & cultus eſt apud fideles, ſi agnoſcant & ſerio perpendant relationem illam ſpiritualem, quæ ex ſpeciali privilegio inter Deum & ipſos intercedit, ex v. 7.

VIII. De hujus privilegii poſſeſſione nemo poteſt conſolationem habere, niſi paratus ſit cum omni obſequio Dei vocem audire, v. 7. in fine.

IX. In voce Dei audienda, cavenda eſt omnis obduratio cordis, & eo annitendum eſt, ut corde docili ac flexibili verbum ejus recipiamus, ex v. 8.

X. Ut inobedientiam & contumaciam caveamus, utiliſſimum eſt, comminationes divinas & earum executionem adverſus peccatores, præcipue vero illos, qui ſpecialiter nos aut noſtros attingunt ſæpius ruminari, v. 8, 9, &c.

XI. In executione comminationum Dei adverſus inobedientes, illud ſingulariter conſiderandum, quomodo poſt pertinacem contemptum verbi, operum & longanimitatis Dei, extrema tandem iræ vindicta ſequatur, ibid.

## PSALMUS NONAGESIMUS SEXTUS.

*Canite Jehovæ canticum novum, canite Jehovæ tota terra.*

2. *Canite Jehovæ, benedicite nomini ejus; prædicate de die in diem ſalutem ejus.*

3. *Narrate in gentibus honorem ejus, in omnibus populis mirabilia ejus opera:*

4. *Magnum Iehovam & laudatum valde, reverendum eſſe ſupra omnes Deos.*

5. *Nam omnes dii populorum* ſunt *idola, Iehova vero cœlos fecit.*

6. *Gloria & decor coram eo, robur & ornatus in ſanctuario ejus ſunt.*

7. *Cedite Jehovæ familiæ populorum, cedite Jehovæ honorem & laudem.*

8. *Cedite Jehovæ honorem nominis ejus; afferte munus, & venite ad atria ejus.*

9. *Incurvate vos Jehovæ* honorem exhibentes *in decore ſanctitatis, formidate à conſpectu ejus tota terra.*

10 *Dicite in gentibus, Iehova regnat, etiam ſtabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur: judicaturus eſt populos rectiſſime.*

11. *Lætabuntur cœli, & exſultabit terra, perſtrepat mare, & quæ ipſum implent.*

12. *Exſultabit ager & quicquid* eſt *in eo, tunc cantabunt omnes arbores ſilvæ:*

13. *Ante faciem Iehovæ quum venerit, nam venit ad judicandum terram: judicaturus eſt orbem habitabilem per juſtitiam, & populos per fidem ſuam.*

ANA-

## ANALYSIS.

PSALMUS iste pars est illius cantici, quo David cum toto populo Deum celebrabant, quum deportabant arcam fœderis ex domo Hobed-Edomi in tentorium Hierosolymis ei paratum, 1 Chron. 16. 23, &c.

Est autem Psalmus laudativus, sub forma hortationis, qua omnes homines excitantur ad Dei nomen condigne celebrandum. Sic autem formatur hæc exhortatio prout conveniebat summo illi affectui & animi exultationi, qua David cum aliis piis, ex occasione deportationis arcæ, ferebantur in tales etiam externas hujus gaudii manifestationes, ut eo nomine à propria sua uxore contemptus fuerit & irrisus, 2 Sam. 6. 17. 1 Chron. 15. 29. Ex hæc enim abundantia cordis fit, ut eadem exhortatio, & eadem etiam argumenta toties in hoc Psalmo repetantur.

1. Exhortatio igitur populi ad Deum celebrandum primo proponitur & inculcatur, v. 1, 2, 3. Ubi etiam officium celebrationis hujus describitur. 1. Quod debeat fieri cum cantu, id est, cum summo gaudio ejusque congrua manifestatione. 2. Quod debeat fieri cum cura & effectu integro, alacri, & plusquam ordinatio, ut in *cantico novo*. 3. Quod debeat fieri cum benedictione erga Deum ipsum, & cum prædicatione aut Evangelizatione (מבשרו) erga alios. Quod fieri debeat constanter, *de die in diem*. 2. Argumenta subjiciuntur, quibus excitari possint homines ad hoc officium præstandum, v. 4, 5, 6. ubi primo asseritur Dei majestas: & postea illustratur per comparationem ejus cum vanitate idolorum. 3. Repetitur denuo exhortatio ad Deum celebrandum, vers. 7, 8, 9. ubi præter illa quæ antea proposita fuerunt ad istud officium declarandum, illustrationes ejus adferuntur ex institutis illis Dei, quæ propria fuerunt veteris Testamenti. 4. Argumenta hoc officium suadentia denuo etiam proponuntur, vers. 10, 11, 12, & 13. ubi Dei majestas beneficentia, & justa gubernatio ad omnes gentes in Christo extendenda & asseritur, & elegantissimis hyperbolis amplificatur.

### DOCUMENTA.

I. Eo anniti debemus, ut (quantum fieri possit) gratitudo & laus nostra proportione justa respondeat gratiæ ac benedictionibus Dei; id est ut in novis beneficiis novum canticum cantemus; & de magnis beneficiis magnas gratias habeamus, ex v. 1. in princ. *Canite Iehovæ canticum novum*.

II. Tantæ & tum assiduæ sunt benedictiones Dei erga nos, ut nomini ejus assidue benedicere debeamus, ex v. 2. in fine, *Prædicate de die in diem salutem ejus*.

III. Ad istam benedictionem Dei promovendam, & propagandã, omne genus hominum ad eam instruere & excitare debemus, v. 2. & 3.

IV. Reverenda Dei majestas idonea materia est hujus laudis ac benedictionis, v. 4.

V. Contemplatio hujus majestatis clarior & efficacior evadet, si comparetur cum vanitate idolorum, v. 4. & 5.

VI. Quoties

VI. Quoties fit mentio divinæ majeſtatis ac gloriæ, eandem cogitationibus noſtris transferre debemus ad ſancta ejus inſtituta, quæ ſunt inſigna præſentiæ ejus gratioſæ, ex v. 6. in fine, *robur & ornatus in ſanctuario ejus ſunt.*

VII. In cultu Dei ſecundum ejus inſtituta, prompte, alacriter, & reverenter celebrando, tribuitur Deo gloria & robur nominis ejus, ex verſiculo 7. 8, & 9.

VIII. Cultus Dei non viget niſi ubi Deus regnat, ex v. 10.

IX. Vbi homines regno Dei ſubjiciuntur, ibi omnia ordinata ſunt & firma, ibidem. *Etiam ſtabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur.*

X. Inenarrabile gaudium fidelibus oritur ex juſtitia & veritate regni Dei in Chriſto, ex verſic. 11, 12, 13.

## PSALMUS NONAGESIMUS SEPTIMUS.

*IEhova regnat, exultet terra; lætentur regiones plurimæ.*

2. *Nubes & caligo circumſtant eum: juſtitia & judicium locum ſolii ejus.*

3. *Ignis ante eum procedit, & inflammat circumquaque hoſtes ejus.*

4. *Perluſtrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat terra.*

5. *Montes ut cera liqueſiunt à præſentia Iehovæ, a præſentia domini totius terræ.*

6. *Indicant cæli juſtitiam ejus, adeo ut videant omnes populi honorem ejus.*

7. *Pudore ſuffundantur omnes colentes ſculptile, qui ſe jactant de idolis: incurvanto ſe* honorem *exhibentes ei omnes angeli.*

8. *Audiens lætatur Tzion; exultantque filiæ Iehudæ, propter judicia tua, ô Iehova.*

9. *Tu enim es Iehova, excelſus ſupra omnem terram; valde elatus es ſupra omnes angelos.*

10. *Amantes Iehovæ, odio habete malum: ſervans animas ſuorum quos benignitate proſequitur, è manu improborum eripit eos.*

11. *Lux ſata eſt juſto; & rectis animo lætitia.*

12. *Lætamini juſti in Iehova, & celebrate memoriam ſanctitatis ejus.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt, provocare populum Dei ut pie in Domino gauderent.

Hoc autem officium ſimul inculcatur, deſcribitur & ſuadetur. Inculcatur ſparſim, & deſcribitur quaſi ex abrupto, ut in abundante & vehemente affectu fieri ſolet.

1. A debito gradu, tum extenſionis, quod pertineat ad omnes regiones, tum etiam intenſionis, quod debeat exerceri cum affectu ſummo exultationis, verſ. 1. & 8. in principio. *Audiens lætatur Tzion, exſultantq; filiæ Iehudæ.* 2. Ab ejus principio vel cauſa continente Charitate ſcilicet erga Deum, quæ odio mali, tanquam effecto ſuo inſeparabili, declaratur,

declaratur, vers. 10. in principio. *Amantes Iehovæ, odio habete malum.* 3. Ab ejus proprio effecto, in congrua nominis divini celebratione, v. 12.

Suadetur 1. A primaria & justissima ejus causa, regno scilicet Dei in Christo prævalituro, v. 1. Hoc autem regnum illustratur, 1. A sua majestate, v. 2. 2. Ab efficacissima sua potestate, v. 3. & 4. in principio. Hæc autem efficacia potestatis illustratur effecto tremoris omnium creaturarum, v. 4, 5. Illa vero majestas & gloria illustratur testimonio cœlorum, cujus generalis efficacia notatur vers. 6. Vtriusque autem considerationis, majestatis videlicet & potestatis effectum & usus consequens subjungitur. Confusio nempe impiorum, & piorum tam angelorum quam hominum religiosa veneratio & exsultatio, v. 7, & 8. Cujus consequentiæ ratio redditur ab incomparabili & supereminenti excellentia majestatis & potestatis Dei in Christo, vers. 9.

Suadetur 2. Idem gaudium piorum in Domino ab altera ejus causa, prioris causæ effecto erga ipsos pios, id est, à conservatione & liberatione piorum ab omni genere malorum vers. 10. & communicatione omnium bonorum, v. 11. cujus communicationis modus indicatur, & latitatione diversa illustratur, ibid.

DOCUMENTA.

I. Amplissima materia summi gaudii omnibus piis præbetur ex contemplatione regni Dei in Christo, ex vers. 1.

II. Regni hujus tanta est majestas, ut interna ejus gloria non possit à nobis penetrari, sed perfectio tamen administrationis ejus ab omnibus piis fide videtur ex vers. 2.

III. Tanta est efficacia potestatis hujus regni, ut quando vis ejus exeritur, hostes consistere nullo modo possint, ex v. 3. & 4.

IV. Potestas hæc subinde manifestatur cum maximo terrore, ex vers. 4, & 5.

V. Tam potentia, quam aliæ gloriosæ perfectiones Dei manifesto in creaturis quas fecit pervidentur, vers. 6.

VI. Ex hac manifestatione potentiæ & majestatis Dei sequitur convictio & confusio impiorum, vers. 7.

VII. Ex eadem cum Angeli pii, tum homines omnes pii ad summam venerationem cum inenarrabili gaudio excitantur, vers. 7. & 8.

VIII. Venerationis & gaudii piorum ratio est, quod Deus quem illi colunt, & proprium habent, majestate & potestate superat omnia quæ possunt cogitari, ex v. 9, 10.

IX. Gaudium piorum in Deo fluit propriè ex amore Dei, vers. 10.

X. Amor iste Dei odium omnis mali habet semper conjunctum, ibidem.

XI. Accenditur hic amor, & perficitur gaudium benedictionibus Dei, quibus conservat suos à malo, & cumulat omni bono, ibid. & vers. 10, 11.

XII. Communicatio horum bonorum, quamvis ad tempus aliquando non appareat in flore, semper tamen semen ejus manet, & suo

ſuo tempore effloreſcet, verſ. 11.

XIII. Circa divinam iſtam diſpenſationem, intellectus, memoria, affectus, ſermo & conatus noſtri perpetuo debent occupari, verſ. 12.

## Psalmus Nonagesimus Octavus.

*Psalmus. Cantate Iehovæ canticum novum, quia opera mirabilia fecit: ſalutem attulit ei dextera ipſius, & brachium ſanctitatis ipſius.*

2. *Notam fecit Iehova ſalutem ſuam, ante oculos ipſarum gentium revelavit juſtitiam ſuam.*

3. *Recordatus eſt benignitatis ſuæ, & ſuæ fidei erga domum Iſraëlis; vident omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.*

4. *Clangite Iehovæ tota terra, fragore edito cantate & pſallite.*

5. *Pſallite Iehovæ cithara, cithara & pſalmodia.*

6. *Tubis & ſono buccinæ clangite coram rege Iehova.*

7. *Perſtrepat mare, & quæ implent ipſum; orbis habitabilis & habitantes in eo.*

8. *Flumina complodant manu, pariter montes canent*

9. *Coram Iehova, quia advenit ad judicandum terram, judicaturus eſt orbem habitabilem juſte, & populos rectiſſime.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt excitare homines ad Deum in Chriſto condigne glorificandum. Quæ hortatio 1. Generaliter proponitur, v. 1. in principio: ubi vocamur ad cantandum canticum novum, id eſt, non vulgare ſed novæ ac inauditæ benedictioni congruens, v. 4, 5, 6, 7, 8. & affectu ſingulariter excitato, ſemper integro & recente.

2. Eadem hortatio illuſtratur partim à modo, quo Deus fuit glorificandus; cum *clangore* ſcilicet & *frangore cantus*, id eſt, cum omni zelo, libera profeſſione, & animi corporiſque contentione, partim ab inſtrumentis, & mediis, quibus debet præſtari, *cithara, tubis, buccinis*, id eſt, copioſe & cum delectu adhibitis mediis, quæ ad hunc finem ſunt maxime accommodata; & partim ab inductione cauſarum efficientium, quæ ad hoc opus concurrere debent, ut *mare, terra, flumina, montes cum habitantibus in eis*, id eſt, totus mundus, idque ut impar huic officio condigne præſtando.

Suadetur hoc officium 1. In genere ab excellentia operum Dei in Chriſto, quæ ſunt *mirabilia*, id eſt, quæ ſuperant omnia illa quæ vel ſolent patrari, vel ab hominibus concipi poſſunt, atque adeo ſunt omni admiratione & laude mirabili digna. 2. In ſpecie, ab eorum fine: quod hæc opera pertineant ad hominum ſalutem, *ſalutem attulit*. 3. A modo efficiendi, quod perfectio potentiæ Dei in Chriſto fuit ſolitaria cauſa hujus ſalutis, v. 1. in fine. 4. Ab adjuncto manifeſtationis ſalutis illius coram toto mundo, v. 2. & 3. in fine. 5. A cauſa impulſivis, quæ nullæ aliæ fuerunt quam benignitas

benignitas & fides Dei, quarum idcirco perfectio in hoc opere abunde fuit declarata vers. 3. 6. A perfectione dominii Dei in hoc opere elucentis. vers. 6. in fine. 7. Ab effecto illius dominii suo tempore plene perficiendi, justitia & rectitudine judicii erga homines exercendi. vers. 9

### Documenta.

I. De eminentibus Dei beneficiis, eximio & exquisito modo debemus ipsum laudare. vers. 1. in principio.

II. Inter cætera Dei beneficia ad miraculum usque excellit salutis nostræ procuratio in Christo. v. 1. in med.

III. Deo soli in solidum debetur tota nostra salus. Psalm. 44. 2, 3, 4, Jes. 59. 16. & 63. 5.

IV. Quo magis Deus salutem suam promulgando & communicando revelat, eo magis à nobis est glorificandus. vers. 2.

V. Istam gloriam tum demum Deo tribuemus, quando salutem nostram in sola benignitate & fide Dei fundatam esse, bene apprehensum & expensum habebimus ex v. 3.

VI. Hujus benignitatis, ac fidei, in promissionibus explicatæ, quamvis oblitus Deus multis videatur, eventus tamen suo tempore docebit, hanc oblivionem ab ipso alienam esse & longe remotam. ex vers. 3. Lucæ 1. 54, 55. 72, 73, 74.

VII. Istius dispensationis divinæ meditatione excitari debemus ad omnem zelum, & animi contentionem, in professione & praxi cultus ac laudis Dei. ex v. 4.

VIII. Quæcumque suppetunt nobis media ad Deum glorificandum accommodata, ad illum usum sunt applicanda. vers. 5, 6.

IX. Ex conscientia nostræ insufficientiæ, alios quotquot possumus, in societatem hujus operis vocare debemus. v. 7, 8.

X. Istiusmodi affectus in piis omnibus excitantur ex fide & contemplatione regni Dei in Christo. v. 6. in fine, & 9.

## Psalmus Nonagesimus Nonus.

I*Ehova regnat, commoveantur populi: insidens Cherubinis* regnat, *nutet terra.*
2. Regnat *Iehova Tzijone magnus, etiam altus* est *supra omnes populos.*
3. *Celebrent nomen tuum magnum & reverendum sanctum esse.*
4. Tu *quoque robustissime rex judicium amans: tu,* inquam *constituis quod est rectissimum, judicium & justitiam in Jahakobo tu perficis.*
5. *Exaltate Iehovam Deum nostrum, & incurvate vos* honorem exhibentes *ad scabellum pedum ejus;* quia *sanctus est.*
6. *Moschem & Aharonem cum sacerdotibus ipsius, Schemuelemque cum invocantibus nomen ipsius: inclamantes* Iehovam, *ipse illico exaudivit eos:*
7. *In columna nubis alloquutus est eos: observantes testimonia ipsius, & statutum* quod *dederat eis.*
8. *Iehova Deus noster, tu exaudivisti eos:* Deus *fortis condonans fuisti eis, etiam quum ultionem sumeres de actionibus eorum.*

9. Exaltate

9. *Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & incurvate vos* honorem exhibentes *ad montem ſanctitatis ejus: quia ſanctus* eſt *Iehova Deus noſter.*

## ANALYSIS.

Hujus Pſalmi ſcopus eſt, ita conſolari populum Dei adverſus hoſtium terrorem, ut ſimul excitentur ad omnem alacritatem in ipſo colendo & omni modo glorificando, v. 3, 5, & 9.

Ubi cultus Dei deſcribitur 1. A præcipuis ejus actibus, celebratione & adoratione, id eſt, gratiarum actione, & invocatione. 2. Ab ejus formali ratione vel fundamento, fide ſcilicet in Deum tanquam in Deum noſtrum, magnum, ſanctum. 3. Ab adjuncto ejus modo, ſecundum Dei voluntatem, in ſanctis ejus inſtitutis obſervandis.

Suadetur hoc in genere. 1. A virtute cauſæ cum ipſis facientis, id eſt, a ſufficientia & efficientia Dei in Chriſto, qui ſuo tempore oſtendet ſe *regnare*, id eſt, magnificis potentiæ ac providentiæ documentis ſe & ſuos in ſublime attollet, verſ. 1, & 2. Cujus rei illuſtratio adjicitur 1. Ab efficacis præſentiæ Dei ſymbolo in ſacramento Cherubinorum, verſ. 1. in medio. 2. Ab effecto, hoſtium ſcilicet conturbatione, verſ. 1. 3. Ab illius effecti ratione, & cauſa irreſiſtibilitate nempe potentiæ divinæ, quæ per comparationem inter Deum & omnes populos declaratur, verſ. 2.

Suadetur 2. A modo quo Deus regnum ſuum adminiſtrat: qui deſcribitur 1. A *robore* quod exercet in piis defendendis, & impiis coercendis. 2. A *judicio* & *juſtitia recta*, quam ex illo robore perficit. 3. Ab objecto, cujus bonum in iſtis omnibus præcipue ſpectatur, *Iakobo*, vel Eccleſia Dei, v. 4.

Suadetur 3. Ab exemplis illuſtrium virorum Dei, Moſis, Aaronis, & Samuelis, qui toto dediti fuerunt Deo colendo & glorificando, v. 6.

Hæc autem exempla cultorum Dei, ut magis eſſent efficacia, illuſtrantur ab effecto vel ſucceſſu quo Deus dignatus eſt eorum cultum approbare, *exauditione*, *alloquutione*, & *condonatione*, verſ. 6, 7, 8. Qui ſucceſſus declaratur cauſa adminiſtrante, eorum ſcilicet pietate, v. 7. & illuſtratur oppoſita quorundam inobedientia ultionem Dei accerſente, v. 8.

### DOCUMENTA.

I. Regnum Dei terribile mundo, rite apprehenſum & meditatum, efficax argumentum eſt apud fideles ad omnimodam ejus glorificationem eliciendam, v. 1.

II. In iſtum finem apprehendi debet regnum Dei, ſecundum magnitudinem & altitudinem ejus ſupra omnes creaturas, in & pro Eccleſia exerendam verſ. 1.

III. Glorificandus eſt Deus non tantum propter beneficia hujus regni, ſed & propter potentiam & ſanctitatem ejus, verſ. 3.

IV. Rectitudo etiam adminiſtrationis hujus regni in Eccleſia magnam ſuppeditat materiam Deum glorificandi, v. 4.

V. In iſta glorificatione Dei verſari debemus cum fiducia, gratiarum actione, & invocatione ſecundum

dum sancta ejus instituta, vers. 5.

VI. Exemplis sanctorum, qui in precibus versantes à Deo exauditi fuerunt, ad hoc officium debemus animari, vers. 6.

VII. Ex eisdem exemplis observandum est, obedientiæ studium ab eis requiri qui in precibus suis exaudiri volunt, v. 7.

VIII. Exauditioni precum & condonationi peccatorum non repugnat castigatio divina, v. 8.

## Psalmus Centesimus.

*Psalmus pro gratiarum actione: Clangite Iehovæ omnes* incolæ *terræ.*

2. *Colite Jehovam cum lætitia, venite in conspectum ejus cum cantu.*

3. *Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum effecisse nos ( non autem nos* ipsos) *populum suum & gregem pastus sui.*

4. *Ingredimini portas ejus cum gratiarum actione, atria ejus cum laude : gratias agite ei, benedicite nomini ejus :*

5. *Nam bonus* est *Iehova in seculum* est *benignitas ejus ; & usque ad generationem quamque fides ejus.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Psalmi est excitare omnes homines ad Dei nomen laudandum, vers. 1. in titulo. In hac autem exhortatione duo proponuntur: primo, laus ipsa Dei qualis esse debeat : & secundo, causæ quædam singulares propter quas, vel quarum nomine laudandus est Deus, & omnes pii ad illud præstandum debeant excitari.

In descriptione laudis Deo debitæ indicatur 1. Quod non debeat esse partialis aut restricta, sed omnibus partibus suis completa : ex copia verborum. 2. Quod debeat præstari cum magno zelo, & omnimoda professionis libertate fiduciaque : *clangite* vel *jubilate*. 3. Quod essentia ejus præcipue consistat in religioso cultu & observantia erga Deum, *Colite Iehovam*. 4. Quod gaudium & alacritatem singularem conjunctam debeat habere : *cum lætitia, cum cantu*. 5. Quod veram cognitionem Dei debeat habere pro suo fundamento : *agnoscite*. 6. Quod in publicis cœtibus Ecclesiæ debeat celebrari, & secundum verbi divini præscriptum : *ingredimini portas ejus, atria ejus*.

Causæ hujus laudis commemorantur duæ : 1. Quod Jehova quem colimus sit unicus verus Deus vers. 3. in principio. 2. Quod ille solus sit nobis author, & conservator omnis boni tam in ordine gratiæ, quam naturæ, vers. 3. in fine. Cujus rei declaratio additur à caussis omnis boni nobis communicati, bonitate scilicet & fidelitate Dei constante, v. 5.

### Documenta.

I. Officium est Deo gratissimum, & nobis maxime necessarium, ut Deo laudem & gratiarum actionem offeramus, ex titulo.

II. Laudem Dei celebrare debemus ex toto corde, tota anima & cum omnibus viribus, v. 1. &c.

III. Laus

III. Laus Dei, eſt cultus Dei, verſ. 2.

IV. Gaudium & alacritas requiritur in iſto cultu, ibid.

V. Fluit ex vera cognitione Dei, verſ. 3.

VI. Quamvis cognitio Dei, ut in ſeſe eſt, provocet nos ad eum glorificandum, cognitio tamen benedictionum ejus quibus benedixit nobis, eſt maxime efficax & neceſſaria in iſtum finem, ibidem.

VII. Ut Deus rite glorificetur, ipſi in ſolidum tribuenda eſt laus noſtræ vocationis, conſervationis & ſalutis, ibid.

VIII. Cauſæ harum benedictionum ſunt, mera Dei bonitas, benignitas & fides, v. 5.

IX. Harum benedictionum celebratio ſpectat imprimis ad publicas Eccleſiæ congregationes, v. 4.

## Psalmus Centesimus primus.

*Davidis Pſalmus. Benignitatem & jus canam: tibi, ô Jehova, pſallam.*

2. *Animadvertam via integra, quando venturus ſis ad me: indeſinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam.*

3. *Non proponam mihi ob oculos rem nefariam: factum declinantium odi, non adhærebit mihi.*

4. *Animus perverſus recedet à me; malum non agnoſcam:*

5. *Lingua lædentem* apud *me clam proximum ſuum, ipſum exſcindam: elatum oculis, & tumentum animo, ipſum non potero* ferre.

6. *Oculi mei* attendent *ad veraces terræ, ut conſideant mecum: ambulans via integra, is miniſtrabit mihi.*

7. *Non habitabit intra domum meam faciens dolum; loquens mendacia non ſtabilietur coram oculis meis.*

8. *Singulis matutinis exſcindam omnes improbos terræ, ad reſcindendum à civitate Iehovæ omnes qui operam dant iniquitati.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo continetur ſanctum votum Davidis de gratitudine erga Deum, tam pro beneficiis ejus aliis, quam pro evectione ipſius ad regnum Iſraëlis.

1. Votum hoc generaliter—1. Nuncupatur v. 1. ubi etiam declaratur, per ſuum objectum, *benignitatem* ſcilicet & *judicium* Dei tam affectu & verbis celebrandum, quam factis exprimendum; & per ejuſdem finem, gloriam nempe Dei ſingularem: *tibi ô Jehova pſallam.*

2. Idem votum ſpecialiter declaratur, quod ſcilicet iſtam gratitudinem oſtenſurus fuit in regni ſuſcepti adminiſtratione pia, verſic. 2. & ſequent. Hæc autem adminiſtratio tribus ſuis partibus deſcribitur, ſecundum tria genera perſonarum circa quas debet exerceri. Profitetur enim ſe velle piam curam habere. 1. Suæ propriæ perſonæ. 2. Suorum miniſtrorum. 3. Sceleratorum hominum adminiſtrationis piæ turbatorum. 3. Circa

 ſuam

suam personam, promittit viam, vel vitam rectam: *in via integra ambulabo.* Hæc autem vita illustratur 1. A sua causa dirigente, sapientia & prudentia vera, cujus caput est reverentia Jehovæ: *animadvertam*, vel *prudenter agam.* 2. A sua causa impellente, visitatione nempe Domini: *quando venturus es ad me.* 3. A modo ejus essentiali *integritate animi.* 4. A subjecto loco, tam privatim, quam publice: *in medio domus meæ.* 5. Contrariorum vitiorum abnegatione, v. 3. Quæ abnegatio tribus suis gradibus explicatur, 1. Non proponere aut intendere malum. 2. Odio illud habere. 3. Communionem aut participationem ejus omnem declinare. 4. Circa suos ministros promittit. 1. Se aversaturum & amoturum a se homines improbos, vers. 4. Quorum species quædam (calumniatores, superbi, fraudulenti, & mendaces) tanquam præcipuæ pestes notantur, vers. 5. & 7. Promittit 2. ex adverso se studiose assumturum ad consilia & ministeria homines fidos ac pios. 5. De sceleratis, promittit se eos suppressurum, v. 8. idque 1. Æquabiliter absque personarum acceptione: *omnes, omnes.* 2. Mature, sine dilatione: *singulis matutinis.* 3. Vtiliter vel cum fructu, ita ut cedat eorum supplicium in bonum & ædificationem Ecclesiæ: *à civitate Jehovæ.*

DOCUMENTA.

I. Ut gratos nos Deo præstemus de ejus in nos collocatis beneficiis, de ipso, apud ipsum, ad ipsius gloriam, vovere debemus multam meditationem cum gaudio & delectatione, ex v. 1. Jes. 5. 1.

II. Virtutes Dei non tantum verbis celebrare debemus, sed etiam factis prædicare, ex v. 1. cum seq. 1 Pet. 1. 9. Psal. 40. 9, 10.

III. Hujus gratitudinis fundamentum collocandum est in vita Deo & conservatione, sic instituenda, ut Deo possit placere, ex v. 2.

IV. Ad vitam Deo placentem necessario requiritur sapientia superne descendens, Jac. 3. 13, 17. Ephes. 5. 15.

V. Ad eandem vitam requiritur efficax & religiosus respectus ad Deum, prout in specialibus suis visitationibus ad nos accedit, ibid.

VI. Ex illo religioso respectu ad Deum exoritur syncera cura conscientiæ bonæ, tam privatim quam publice conservandæ, Ibid.

VII. Cura syncera conscientiæ bonæ ostendit in tali abnegatione peccati, ut non solum nihil mali sibi proponat faciendum, sed etiam odio illud prosequatur & detestatione vera, ex v. 3.

VIII. Ex hac abnegatione peccati sequitur alienatio à peccatoribus quatenus sunt tales, ex v. 4.

IX. Hæc alienatio (præcipue in magistratibus) debet ostendi erga illos qui ex studio certo & arte quadam peccant. calumniatores, superbos, fraudulentos, & mendaces, ex v. 5. 7.

X. Ubi alienatio à peccatis & peccatoribus est syncera, ibi viget singularis conjunctio cum bonis, ex v. 6. Psalm. 119. 63. 115.

XI. Ex hoc odio peccati, & propensione ad bonos fovendos, exsurgit (in eis qui potestate valent) matura & æquabilis justitiæ exequutio adversus sceleratos bonorum turbatores, ex v. 8.

## PSALMUS CENTESIMUS SECUNDUS.

*ORatio pro paupere; quum obruitur, & ante Jehovam effundit meditationem ſuam.*

*2. Jehova audi orationem meam; & vociferatio mea ad te perveniat.*

*3. Ne abſcondas faciem tuam à me, quo die eſt anguſtia mihi: inclina ad me aurem tuam, quo die inclamo; feſtinanter exaudi me.*

*4. Nam conſummuntur ut fumus dies mei, & oſſa mea ut focus exardeſcunt.*

*5. Percuſſum tamquam herba exareſcit cor meum, quia obliviſcor comedere cibum meum.*

*6 Præ voce gemitus mei, adhæreſcit os meum carni meæ.*

*7 Similis ſum plateæ deſerti; ſum tamquam bubo vaſtitatum.*

*8 Aſſidue ſum ſimilis paſſeri, ſolitario in tecto.*

*9 Toto die probro afficiunt me inimici mei, inſanientes contra me, per me jurant.*

*10 Nam cinerem tamquam panem comedo, & potiones meas cum fletu miſceo.*

*11 Propter indignationem tuam, & ferventem iram tuam: quia ſuſtuliſti me, & abjeciſti me.*

*12 Dies mei ſimiles* ſunt *umbræ inclinatæ: & ego ſicut herba exarui.*

*13 Tu autem Jehova in ſeculum permanes, & recordatio tui in quamque generationem.*

*14 Tu ſurgens miſereberis Tzionis: quia tempus eſt faciendi gratiam ei, quia advenit ſtatum tempus.*

*15 Quo delectentur ſervi tui lapidibus ejus & pulveri ejus gratiam faciant,*

*16 Ut revereantur gentes nomen Jehovæ, & omnes reges terræ honorem tuum;*

*17 Quum ædificans Jehova Tzionem, apparuerit in honore ſuo,*

*18 Reſpexerit ad orationem nudatiſſimi, & non ſpreverit orationem eorum.*

*19 Conſcribatur hoc in generationem poſteram, ut populus recreatus laudet Jah:*

*20 Quod proſpectaverit ex alto* loco *ſanctitatis ſuæ, Jehova è cœlis in terram intuitus ſit.*

*21 Ad exaudiendum ſuſpirium vincti, ad ſolvendum eos qui jam traduntur morti;*

*22 Ut enarrent Tzione nomen Jehovæ, & laudem ejus Jeruſchalaimis:*

*23 Congregantibus ſe populis ſimul & regnis ad colendam Jehovam.*

*24 Affligit* quidem *in hac via vires meas, curtat dies meos:*

*25* Sed *dico, mi Deus fortis, ne auferas me mediis diebus meis; per generationem æternam* ſunt *anni tui:*

*26 Ante* quam *terram fundaſſes, & opus manuum tuarum* eſſent *cœli.*

*27 Iſta peritura ſunt, tu autem permanes; iſta, inquam, omnia ut veſtimentum veteraſcent, ut indumentum mutabis ea atque mutabuntur:*

28. *Tu vero idem es, & anni tui non finiuntur.*

29. *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum stabilietur coram te.*

## ANALYSIS.

Genus & scopus hujus Psalmi aperte indicatur v. 1. quod scilicet sit in genere precatio & in specie precatio hominum piorum afflictione gravi pressorum, vel ad directionem talium, quomodo suam causam agant coram Jehova.

1. In hac autem precatione 1. Petitio generalis proponitur de exauditione optata, vers. 2. & 3. ubi & precatio declaratur per suum ardorem & vehementiam tam effectis *vociferationis*, & *inclamationis* significatam, quam causa *angustiæ* illustratam, & exauditio ipsa describitur, tam ab *attentione & facie vel aspectu gratioso*, in quibus essentia ejus consistit, quam ex adjuncta *festinatione* in illius gratiæ manifestatione. 2. Urgetur illa petitio 1. Per modum querelæ, à gravitate calamitatis, tanquam causa impellente tam precantem ad fervorem & instantiam in suis precibus adhibendam, quam Dei misericordiam ad illas preces festinanter exaudiendas. Hæc autem calamitatis gravitas declaratur 1. Per suas partes, Consumptionem virium v. 4, 5. Solitudinem & gemitus inde proficiscentes, vers. 6, 7, 8. Probra & insultationes inimicorum, v. 9. Luctum ingentem, ex quo inimici occasionem arripiebant talium insultationum, vers. 10. Quorum omnium causa notatur indignatio Dei gravissimis judiciis demonstrata, v. 11. 3. Suadetur eadem petitio, & exauditionis fiducia confirmatur. 1. A præcipua causa ejus, immutabilitate scilicet Dei tam in fœdere & promissionibus, quam in essentia ipsa, v. 13. 2. Ab adjuncta temporis opportunitate, v. 14. 3. Ab effecto vel fructu exauditionis, tam in Ecclesia v. 15. quam apud eos qui nondum fuerunt Ecclesiæ aggregati, v. 16. Qui fructus illustratur descriptione beneficii optati ac sperati, ex quo ille fructus efflorescit. Quod describitur 1. Ab opere ipso ædificationis Ecclesiæ, in quo essentia ejus consistit, v. 17. 2. A modo ejus respectu causæ administrantis: quod scilicet hoc factum sit ad petitionem pauperis, vers. 18. 3. Ab adjuncta memoria ejus in laudem Dei, v. 19. 4. A comparatione majestatis divinæ, & abjectæ conditionis eorum quibus hoc beneficium præstat, v. 20 21. 5. A fine & effecto ejus proprio, laude ac celebratione nominis divini, v. 22, 23. 4. Ad laudem istam promovendam, summa præcedentis orationis repetitur, sub illa forma quæ maxime facit ad fidelium consolationem, v. 24. ad finem. Ubi 1. Afflictio gravis memoratur v. 24. 2. Petitionis forma declaratur, v. 25. 3. Argumentum ab immutabilitate Dei petitum inculcatur vers 26, 27, 28. & firma consolatio celebratur, quæ hæc ratione obtinetur, vers. 29.

### DOCUMENTA.

I. Illa est conditio Ecclesiæ militantis, ut afflictione sæpe non tantum vexetur

vexetur, ſed etiam obtegatur & aliquo modo obruatur, ex v. 1.

II. Nulla tamen eſt talis aut tanta afflictio Eccleſiæ, quin eidem in verbo Dei proſpectum ſit de firma conſolatione, Ibid.

III. Præcipuum medium hujus conſolationis eſt, meditatio & oratio fidelis ſecundum verbum Dei inſtituta, ibid.

IV. Hæc oratio debet libere & copioſe proferri, aut effundi coram Deo ex abundantia deſiderii, fidei, ac ſpei, qua animæ fidelium in Deum feruntur, ibid.

V. Fervor etiam & intenſio omnium virium in hac oratione ſingulariter debet adhiberi, ex v. 2.

VI. Ad fervorem orationis pertinet, non ſimpliciter aliquid a Deo petere, ſed & illud ipſum vehementer petere, ut ad petitionem noſtram dignetur attendere, eamque gratioſe acceptam habere, ex v. 2, 3.

VII. In hujuſmodi oratione, licitum & conſentaneum eſt, ut (quamvis nullum tempus ſit Deo præſcribendum, quod ipſemet ſibi non præſcribit) in genere tamen feſtinam exauditionem ab ipſo flagitemus, ex verſ. 3.

VIII. Conſumptio virium corporis in fidelibus non minuit, ſed exacuit hunc fervorem & inſtantiam orationis erga Deum, ex v. 4, 5, 6.

IX. Deſtitutione etiam hominum non aguntur fideles in deſperationem, ſed excitantur ad ſpem ſuam in Deum magis dirigendam, ex v. 7, 8.

X. Inſana probra, convitia, & inſultationes improborum in eundem uſum convertuntur, v. 9.

XI. Per iſtiuſmodi vexationes ſæpe fit, ut nullam voluptatem, aut contentationem percipiant pii ex ullis vulgaribus ſolatiis hujus vitæ, ex verſ. 10.

XII. Omnes tamen iſtiuſmodi afflictiones & patienter feruntur, & in pium uſum feruntur, quando ſupra ſecundas cauſas attollitur animus ad providentiam Dei & juſtam ejus indignationem in earum diſpenſatione contemplandam, ex verſ. 11.

XIII. Adverſus has calamitates, & indignationem ipſam Dei conſolationis materiam habent fideles in immutabilitate naturæ, & fœderis Dei ex v. 13.

XIV. Stata tamen tempora ſunt expectanda, quando Deus illuſtrem gratiam & miſericordiam ſuam erga Eccleſiam declarabit, v. 14.

XV. De illuſtri hac gratia Dei manifeſtata, nomen Dei ab omni genere hominum, pro ratione ſuæ conditionis debet glorificari, ex v. 15, 16.

XVI. Præcipue glorificandus eſt Deus de conſpicua Eccleſiæ ex ædificatione, v. 17.

XVII. Eo ipſo nomine magis eſt glorificandus, quod hoc faciat ad petitionem pauperum ſervorum ſuorum, ex v. 18.

XVIII. Hæc Dei glorificatio, debet omni ſtudio ad poſteros propagari, ex v. 19.

XIX. An poſteros & alios recte inſtituendos de Deo glorificando, majeſtas ejus, & abjecta noſtra conditio debent inter ſe religioſe comparari, ex v. 20, 21.

XX. Hæc glorificatio Dei in cœtibus Eccleſiaſticis præcipue debet vigere, ex v. 22, 23.

XXI. Ad iſtam glorificationem Dei procurandam, illa quæ pertinent ad fidem, & fidelem invocationem promovendam, ſæpe & diſtincte debent inculcari, v. 24. ad finem.

## Psalmus Centesimus tertius.

*Ode Davidis. Benedic anima mea Iehovæ, & omnia intestina mea nomini sanctitatis ejus.*

*2. Benedic anima mea Iehovæ, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus :*

3 *Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis :*

4 *Qui vindicat à fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate & miserationibus.*

5 *Quo satiante bonis quibusque os tuum : servas te recentem tamquam aquila,* tanquam *pueritia tua.*

6 *Facit quæ justa sunt Iehova, & judicia omnibus oppressis.*

7 *Notas fecit vias suas Moschi, posteris Iisraëlis actiones suas.*

8 *Misericors & gratiosus Iehova, longanimis, & multus benignitate.*

9 *Non in æternum litigat, neque in seculun* iram *asservat :*

10 *Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras refert nobis ;*

11 *Sed quam alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum :*

12 *Quam longe abest oriens ab occidente, longe amovet à nobis defectiones nostras.*

13 *Ut miseretur pater filiorum, miseretur Iehova timentium ipsum :*

14 *Nam ipse novit figmentum nostrum, memor pulverem nos esse.*

15 *Ipsius mortalis similes fœno dies esse ; sicut flos agri, sic florere* ipsum.

16 *Quum ventus pervadit ipsum, mox non esse ; neque agnosci ipsum amplius à loco suo.*

17 *At benignitas Iehovæ inde à seculo usque in seculum est erga timentes ipsum & justitia ejus erga nepotes :*

18 *Erga observantes fœdus ipsius, & erga memores mandatorum ejus ad faciendum ea.*

19 *Iehova in cælis stabilivit solium suum, & regnum ipsius omnibus præsidet.*

20 *Benedicite Iehovæ, angeli ejus, valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus.*

21 *Benedicite Iehovæ omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes placitum ejus.*

22 *Benedicite Iehovæ omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus, benedic anima mea Iehovæ.*

## ANALYSIS.

IN isthoc Psalmo, in persona Davidis, exemplar nobis proponitur laudationis illius divinæ, ad quam omnes adspirare debemus.

In hoc autem laudationis exemplari, quatuor hujus officii partes proponuntur nobis imitandæ, 1. Præparatio & excitatio ad Deum condigne

digne laudandum, v. 1, 2. 2. Commemoratio beneficiorum præcipuorum, quorum nomine & intuitu Deus eſt laudandus, verſ. 3. ad 20. 3. Provocatio omnium creaturarum, ut ſuo modo laudem Dei promoverent, v. 20, 21, 22. 4. Continuatio & iteratio hujus officii indefeſſa: quæ circulari primæ præparationis & excitationis repetitione indicatur, v. 22. in fine. 1. In excitatione præparante, 1. Principium, vel efficiens cauſa hujus actus deſignatur: *anima*, & facultates ejus omnes internæ. 2. Principii hujus præparandi ratio declaratur, per actum in ſemet reflexum, cum zelo & contentione: quod ingeminata illa hortatione notatur: *benedic anima mea, benedic anima mea Iehovæ.* 3. Formale objectum hujus actus declaratur: *nomen ſanctitatis* ejus, vel ſanctum nomen Jehovæ. 4. Medium & modus ejus docetur: quæ conſiſtit in debita commemoratione benedictionum ejus: *ne obliviſcaris ullius beneficiorum ejus.*

2. Benedictiones quæ commemorantur, ſunt 1 Remiſsio peccatorum, verſ. 3. in principio. 2. Revelatio infirmitatum. Ibid. in fine. 3. Liberatio à periculis mortiferis, v. 4. in principio. 4. Copioſa communicatio bonorum. Ibid. in fine. 5. Largitio eorum quæ pertinent ad vitam confirmandam & prorogandam, verſ. 5. 6. Vindicatio ab oppreſſione injuſta, v. 6. 7. Notificatio ſuæ ſalutiferæ diſpenſationis, verſ. 7. Hujus autem diſpenſationis ratio, quæ in gratia, benignitate & miſericordia conſiſtit, fuſius explicatur. 1. Generali prædicatione, verſ. 8. 2. Præcipuo ejus effecto, in remiſſione peccatorum, & pœnarum moderatione, ac remotione, v. 9, 10. quæ parium collatione illuſtrantur, v. 11. 12. 3. Similitudine affectus paterni, verſ. 13. 4. Comparatione fragilitatis humanæ, & conſtantis ac prævalentis beneficentiæ Dei, verſ. 14, 15, 16, 17, 18. Cujus beneficentiæ omni ſufficientia declaratur per cœleſtem ejus majeſtatem, verſ. 19. 3. Provocatio creaturarum, ad Deum laudandum, per diſtributionem à ſubjectis, dirigitur 1. Ad Angelos, v. 20. 2. Ad omnia inſtrumenta voluntatis Dei perficiendæ, v. 21. 3. Ad omnia ejus opera in communi, v. 22.

## DOCUMENTA.

I. Deum debemus modo præſtantiſſimo, & ſummo gradu honorare, ex v. 1. *benedic.* Quum enim variæ ſint Scripturæ phraſes, quibus unum & idem officium Deum honorandi ſignificatur, *gratias agendi, laudandi, celebrandi, exaltandi, glorificandi*, & ſcilicet inter iſtas omnes, *benedicendi* ſumma vis & emphaſis eſt, tam quoad modum, quam quoad gradum hujus officii præſtandi. Quemadmodum enim ſtatus benedictionis proprie notat ſummam perfectionem, ex affluentia omnium bonorum; & benedictio Dei erga nos illorum bonorum communicationem deſignat; ſic etjam noſtra benedictio erga Deum, ſimilem perfectionem, & abundantiam indicat honoris ipſi deferendi. Hæc differentia phraſium colligitur etiam ex Pſalm. 145. 10.

*Ratio* 1. Quia Deus in ſeſe eſt benedictus, Marc. 14. v. 61, id eſt, dignus

dignus est omni honore. Psal. 29. 2, & 145. 3. & major est omni illo honore qui potest ipsi à nobis deferri. Neh. 9. 5. 2. Quia benedictionis omnis nostræ author est & largitor, Deuter. 8. 10. Ephes. 1, 3. 3. Quia in ista benedictione nominis divini, beatitudo nostra promovetur & præcipue etiam consistit.

*Usus* 1. *Increpationis*, adversus tepiditatem ac torporem hominum in Dei nomine honorando.

2. *Exhortationis*, ad omne studium, zelum & conatum, ut quam accuratissime, & perfectissime hoc officium præstemus.

II. Ad Dei nomen benedicendum, animas nostras, & omnes internas facultates præcipue debemus comparare. Ibid. *Benedic anima mea, & omnia intestina mea.*

*Ratio* 1. Quia Deus est spiritus, & spiritualem exigit cultum, Joh. 4, 24. 2. Quia anima est nobilissima pars hominis, atque adeo in actu hoc nobilissimo debet imprimis occupari. 3. Quia si animæ actus internus desit, externus actus non est actus alicujus virtutis, non proprie humanus, nedum divinus. 4. Quia si anima & internæ ejus facultates in Deum ferantur, totum hominis eodem tendet. 5. Quia sinceritas & integritas hominis in suis officiis curandis, primo & præcipue consistit in anima bene curanda.

*Usus Redargutionis*, adversus illos, qui in externa forma ac specie pietatis acquiescunt.

III. Ut animas nostras ad Deo benedicendum comparemus, juvat multum nosmetipsos quasi alloqui & ad hujus officii curam adhortando excitare, ex v. 1, & 2.

*Ratio* 1. Quia hic est actus animæ in semetipsam reflexæ, qui (sicut est homini proprius, sic) directe facit ad animam dirigendam; quum alii actus qui feruntur ad extra, ad animam non nisi oblique spectent. 2. Quia hac ratione officium nostrum apponitur cordi, Hag. 1, 5. dicitur cordi, Hos. 7. 2. & reponitur in corde, Jerem. 12, vers. 11. ut sit nobis insertum & infixum. 3. Quia hac via Dei causam agimus erga nosmetipsos, & sic voluntati ejus plenius assentimur, eandemque in nobis reddimus magis magisque efficacem.

*Usus Directionis*, quomodo in præparatione animarum nostrarum nos gerere debemus.

IV. In hac excitatione animarum nostrarum etiam atque etiam instare juvat, eundem conatum iterando. Ibid. ex repetitione illa ejusdem exhortationis: *benedic anima mea Iehovæ: benedic anima mea Jehovæ*, Psal. 42, 6, 12.

*Ratio* 1. Quia tarditas voluntatis tanta est in spiritualibus officiis amplectendis, ut non sufficiat semel eam de talibus monuisse, sed iterum atque iterum debent inculcari & urgeri. Servilis quædam dispositio remanet in ipsis filiis Dei, dum imperfecta manet eorum sanctificatio. 2. Quia tanta est horum officiorum excellentia, ut in eorum contemplatione & provectione tam jucundum quam utile sit morari.

*Usus Increpationis*, adversus illos qui in perfunctoria & desultoria istiusmodi officiorum transactione sibimetipsis placent.

V. Sanctitatem nominis Dei ante oculos debemus habere, ut ipsi rite benedicamus, ex vers. 1. in fine

Ps. 1.

Pſal. 8, 2, 10.

*Ratio* 1. Quia niſi de Deo ſancta & glorioſa ſemper cogitemus, honorem debitum ipſi negamus. 2. Quia ſanctitas & perfectio Dei bene apprehenſa efficaciter provocat animas noſtras ad Deo ſancte benedicendum. 3. Quia benedictione ſancta, ex ſanctitatis Dei contemplatione profecta, & ad eandem ſpectante, nomen Dei maxime directe ſanctificatur.

*Vſus directionis*, in contemplatione Dei, ad religioſum cultum ejus promovendum.

VI. Ad officium noſtrum (in Deo benedicendo) ſingulariter ſpectat ut efficacem memoriam habeamus beneficiorum ejus in nos collatorum, ex v. 2. in fine.

Ad memoriam hanc efficacem beneficiorum Dei, prærequiritur 1. Recta perceptio, intelligentia & æſtimatio eorum, in cujus continuatione & iteratione memoria conſiſtit. Requiritur 2. Affectus amoris & gratitudinis talibus beneficiis congruentis. Requiritur etiam. 3. Syncerum ſtudium, & conatus honorem debitum authori & largitori eorum deferendi, Deuternom. 8, verſ. 11, & 32, 6, 18. Pſalm 78. verſ. 10, 11. 17.

*Ratio* 1. Quia hic eſt proprius finis beneficiorum Dei in nos collatorum, ut illis excitemur ad Deum honorandum. Deuter. 8, v. 10, & 28, 47. Pſal. 105, ultimo. 2. Quia beneficia iſta talia ſunt, ut abſolutam obligationem nobis imponant ad Deum pro viribus honorandum, Roman. 1. verſ. 14, & 12, 1. 3. Quia bonitas & amor ille Dei qui in iſtis beneficiis elucet, efficacem & conſtringentem vim habet in animis noſtris ad hoc officium exitandis, 2 Cor. 5. 14. 4. Quia ipſa memoria, & commemoratio pia beneficiorum iſtorum, pars magna eſt celebrationis ac benedictionis illius, quam poſſumus nos nomini divino præſtare.

*Vſus Exhortationis*, ut ſerio ſtudeamus arti huic memoriæ religioſæ. Huc autem plurimum facit, 1. Si vehementer afficiamur beneficiis divinis. Vehementes enim affectus impreſſiones illas faciunt, quæ non facile poſtea delentur. Pſalm. 119. 16, 92. 2. Si firmum propoſitum & quaſi votum concipiamus & renovemus, quod beneficia Dei celebraturi ſimus, Pſal. 116, verſ. 14. 3. Si cum religioſa cura utamur mediis à Deo inſtitutis ad hanc memoriam conſervandam. Num. 15. verſ. 39. 1 Corinth. 11. verſ. 24, 25. 2 Pet. 1. verſ. 12, 15.

VII. Non ſufficit ut in communi meminerimus beneficum Deum erga nos fuiſſe, ſed quantum fieri poteſt, *omnium* & ſingulorum beneficiorum ejus memores eſſe debemus, ibid.

*Ratio* 1. Quia omnia & ſingula Dei beneficia ab eadem dilectione procedunt. 2. Quia nullum eſt beneficium Dei, quod exiguum aut negligendum poteſt nobis videri, ſi noſtra merita conſideremus. 3. Quia ille, qui non eſt fidelis in pauco, in multo non erit fidelis, Luc. 16, 10.

*Vſus increpationis*, adverſus tarditatem & duritiem animorum noſtrorum, quâ fit ut variis Dei beneficiis præcipue ordinariis, nihil fere afficiamur.

VIII.

VIII. Inter illa beneficia, quorum nomine Dei benedicere debemus, primum & primarium locum habet, remissio peccatorum. ex v. 3. in principio.

*Ratio* 1. Quia electio, prædestinatio, & vocationis beneficium solidum primo apparet in justificatione nostra, vel in remissione peccatorum. 2. Quia per hanc remissionem liberamur à maximis malis, peccati scilicet reatu, & ejusdem mortifera pœna. 3. Quia hæc remissio, vel justificatio causa & fons est omnium beneficiorum consequentium, tam spiritualium, quam corporalium, tam quæ vel in hac vita, vel in futura conferuntur; quatenus & causam prohibentem tollit, & jus ad ipsa consequenda ponit.

*Vsus* 1. *Refutationis*, adversus Remonstrantes & alios similes, qui 1. huic veritati contradicunt, dum originale peccatum negantes, & perfectam obedientiam, possibilem, & facilem docentes, remissionem istam peccatorum multis non necessarium esse tradunt, atque adeo à talibus nullam benedictionem, aut gratiarum actionem Deo deberi. 2. Dum remissionem aliorum peccatorum ex operibus bonis, tanquam ex conditione antecedente suspendunt, eandem suo loco movent ac deturbant. 2. *Directionis*, quo modo ad Dei gloriam, & nostram consolationem, de remissione peccatorum nostrorum, certam fiduciam nobis comparare imprimis annitamur.

IX. Remissio ista extendit sese ad omnia peccata, tam actualia, quam inhærentia; tam adversus Deum, quam adversus homines; tam ex ignorantia & infirmitate, quam ex contumacia & præsumptione admissa, ibid.

*Ratio* 1. Quia gratia & misericordia illa Dei, quæ exeritur ad remissionem peccatorum nostrorum, est supereminens, & gloriose dives & copiosa. Ephes. 1.6, 7. & 2.4. 7. 2. Quia Christi mors est sufficiens pretium redemptionis ad omnia peccata tollenda. 3. Quia sine remissione omnium peccatorum, personæ nostræ non essent proprie justificatæ, neque posset vita nobis adjudicari.

*Vsus* 1. *Reformationis*, adversus Pontif. qui quædam peccata manere sæpe justificatis docent in purgatorio expianda. 2. *Directionis*, quomodo post multitudinis peccatorum nostrorum maximorum confessionem, ex omnium eorum remissione plenaria, plenam nobis consolationem, & amplam erga Deum gratitudinem comparemus.

X. Quorum peccata Deus remittit, eorum etiam morbos feliciter sanat. ex v.3. in fine.

Per morbos autem præcipue intelliguntur inordinatæ illæ dispositiones, quibus anima impeditur ne actiones proferat vitæ spirituali congruentes. Tales morbi sunt 1. Terrores illi quibus anima adeo turbatur, ut vel fugiat plane à Deo, vel saltem non possit cum fiducia, pace, & gaudio eum quærere, eique adhærere. 2. Omnes illæ dispositiones & cupiditates pravæ, quæ militant adversus animam, ad peccatum & mortem ducentes. 3. Omnes infirmitates & defectus donorum spiritualium, per quos fit, ut non perficiamus illud, quod Deo placet.

Primi generis morbi ſanantur conſolatione divina. Pſal. 147. 3. Iſa. 61. 1. Luc. 4. 18. Sanantur ſecundi mortificatione cupiditatum carnalium: & tertii per vivificationem ſpiritualem.

Sanatio iſta ( præſertim quoad primum genus ) adeo cohæret remiſſioni peccatorum, ut ipſa remiſſio propterea vocetur nonnunquam ſanatio Iſa. 6. 10. Matth. 13. 15. 2 Chron. 30. 20. Hoſea 14. 4. Jer. 3. 17. Dei eſt iſtos morbos ſanare.

*Ratio* 1. Quoniam à Deo immittuntur, quatenus ſunt pœnæ. 2 Quia ſolus Deus ( qui ſcrutatur corda & renes ) morbos iſtos accurate perſpectos habet. 3. Quia ſolus Deus eſt largitor gratiæ divinæ, per quam ſpirituales morbi curantur.

Deus omnes iſtos ſanat in eis, quorum peccata condonat.

*Ratio* 1. Quia gratuitæ veniæ effectum eſt liberatio à pœnis. 2. Quia majore gratia conceſſa, minorem non denegabit 3. Quia eadem Chriſti redemptio, quæ fundamentum eſt remiſſionis, tendit etiam ad liberationem ab omni malo, præſertim ſpirituali. Apoc. 22. 2.

*Vſus* 1. *Directionis*, ut iſtos morbos in nobis agnoſcentes, confugiamus ad Deum in Chriſto, & in uſu mediorum ab ipſo ſanctificatorum comparemus nobis balſamum illud gratiæ, quo ſani reddamur.

2. *Admonitionis*, ne remiſſionem peccatorum & morborum iſtorum curationem à ſe invicem ſeparemus, vel ſtudio, vel ſpe, vel apprehenſione noſtra

XI. Dei beneficium eſt ſingulari benedictione dignum, quod vindicet nos à morte. ex v. 4. in principio.

Vindicat autem à morte 1. In juſtificatione, qua abſolvit nos à reatu mortis; cui propter peccatum fuimus obnoxii & devoti; & ſic motti aculeum ſuum demit. 1 Cor. 15. 56. 2. In ſanctificatione, qua morbis illis omnibus medetur, qui ducunt ad mortem. 3. In efficaci providentiæ ſuæ diſpenſatione, qua omnia ſic moderatur, ut immunes plane ſimus à periculis quibus alii exponuntur, Pſal. 91, 7. vel inimicorum animos conciliando. 1 Reg. 8. 49, 50. vel ipſorum ferociam reprimendo. Gen. 31. 29. vel ipſorum conſilia infatuando. 2 Sam. 15. 31. vel ipſorum potentiam minuendo. Pſ. 10. 15. & 37. 17. vel ipſorum impetum avertendo 1 Sam. 23. 27. vel ipſos perdendo. Pſalm. 18. 15. vel vires ad reſiſtendum ipſis ſuppeditando. Pſalm. 18. 33. vel denique omne malum, quod nobis quocunque modo creatur, in bonum noſtrum convertendo. Rom. 8. 28.

*Ratio* 1 Quia hæc poteſtas eſt ſolius Dei. Pſ. 3. 9. qui mortem ex poteſtate ſumma inferens, ab eadem ſolus poteſt liberare. Hoſ. 6. 1, 2. 2. Quia facit hoc directe contra merita noſtra, ex ſua gratia mera. 2 Cor. 1. 10, 11. 3. Quia in illum finem liberat nos à morte, ut bonitate ejus in terra viventium fruamur, ipſi vivamus, ipſumque glorificemus. 2 Cor. 4. 10, 11. Pſ. 50. 15.

*Vſus Directionis*, quomodo noſmetipſos excitare poſſimus ad Deo vivendum, & ipſius nomen glorificandum: ſi ſcil. bene nobiſcum expendamus, quod quoties liberavit nos à morte, toties vitam nobis in hunc ipſum finem donavit.

XII. Deus

XII. Deus non tantum liberat nos à malis, sed etiam cumulat & circumtegit nos abundantia suæ bonitatis. ex v. 4. in fine. Dicitur autem nos circumtegere, 1. Quatenus nullam in partem convertere nos possumus, quin statim occurrat Dei erga nos bonitas & misericordia observanda. 2. Quatenus hæc bonitas Dei est nobis munimento, quo undiquaque cincti, adversus omnia pericula tuti sumus. Psalm. 31.22.32.11.40.12.13. 3. Quatenus simul est instar coronæ, ornatum, honorem, & gloriam nobis adferentis. Ps. 84.12.

*Ratio* 1. Quia nostra necessitas hoc postulat, ne ulla ex parte nudi inveniamur, & sic periculis, quæ undiquaque nos cingunt, exponamur. 2. Quia facit hoc ad gloriam nominis Dei, ut divitias gratiæ suæ ostendat erga illos, quos constituit misericordiæ suæ vasa & exempla. 3. Quia talis est amplitudo gratiæ ac misericordiæ Dei, ut circumtegat omnes illos, qui ad eandem confugiunt.

*Usus Exhortationis*, ut congruenter studeamus nomen ejus omni ex parte circumtegere debita laude & honore. Ps. 26.6,7.& 32.7.

XIII. Bonitas Dei non tantum externe nos circumtegit, sed etiam interne efficax est ad vitam nostram confirmandam & prorogandam. In vitæ spiritualis renovatione præstatur hoc ex ordine omni fideli. In corporali vita præstatur, quando, & quatenus convenit gloriæ Dei, & nostræ saluti

*Ratio* 1. Quia Deus est Deus vivens, & fons vitæ, atque adeo vivere facit illos, qui ipsi adunantur. 2. Quia vita est illud ipsum, quod ex fœdere suis promisit. 3. Quia in dispensatione suæ gratiæ præparavit nobis *arborem vitæ, panem vitæ, aquam vitæ*, & omnia necessaria ad vitam. 4. Quia vitæ vigor est necessarius ad operationes illas vitales, quibus Deus à nobis est glorificandus. Ps. 92.14, &c.

*Usus* 1. *Consolationis*, adversus omnia genera infirmitatum.

2. *Directionis*, ut in Deo per Christum vitam quæramus.

XIV. Justitia Dei in vindicandis iis, qui injuste affliguntur, talis est, ut eo etiam nomine singulariter ipsi benedicere debeamus. ex vers. 6. Nam 1. Non mandat tantum Judicibus, ut justitiam ipsis faciant, sed ipsemet facit justitiam ipsis. 2. Non ex parte tantum justitiam facit, sed accurate facit justitiam & judicium, id est, judicium accurate justum. 3. Non semel aut iterum tantum hoc præstat, in una aut altera causa, sed commodam justitiam & judicium facit prout occasio fert; quod plurali numero significatur *justitias, & judicia*. 4. Non paucis quibusdam hoc præstat in causis majoris notæ, sed *omnibus* oppressis.

Hanc autem justitiam exercet Deus 1. In liberatione injuste oppressorum, prout sapientiæ ejus divinæ maxime videtur consultum. Prov. 11.8. 2. In justa pœna oppressorum. 2 Thessal. 1.6. 3. In benigna remuneratione eorum, qui ex fide, propter conscientiam Dei, patienter tulerint injurias oppressorum. 2. Thess. 1. 7. Matth 5. 10. 1 Petr. 2.19. & 3. 14. & 4. 14. &c.

*Ratio* 1. Quoniam hoc proprium munus est Dei, prout summus judex

dex eſt totius terræ. 2. Quia ſingulariter in ſe recepit cauſam pauperum & pupillorum, tanquam pater & patronus ipſorum. Prov. 23. 11. Pſa. 10, 11. & 68. 6. 3. Quia pauperes oppreſſi ſingulariter ſolent fidem & opem ejus implorare. Exod. 22. 23. 27. Deut. 24. 15. Pſal. 12. 7. & ſi ipſi taceant, res ipſa clamat coram Deo, ut ſanguis Abelis. Jac. 4. 5

*Vſus* 1. *Directionis*, ut ædificemus noſmetipſos in hac fide, ut debitam laudem Deo tribuere poſſimus. 2. *Conſolationis*, adverſus omnes injurias potentium oppreſſorum. 3. *Exhortationis*, ut in patientia animas noſtras poſſideamus, & injurias noſtras Deo commendemus judicandas.

XV. Eo nomine maxime benedicendum eſt Deo, quod ſemetipſum nobis efficaciter per Prophetas & Apoſtolos revelavit. ex verſ. 7 Proponitur enim iſtis verbis. 1. Quod non tantum inſinuaverit populo ſuo res divinas, ſed etiam *notas* eas fecerit. 2. Quod notas fecerit vias ſuas, tam quas ipſe obſervat erga nos, quam quas à nobis obſervari vult erga ſe. 3. Quod notas eas fecerit, non verbo tantum, ſed & factis. 4. Quod ita manifeſtaverit illas Moſi, ſimilibuſque viris Dei, ut per eorum manum & operam non aliter communicarentur Eccleſiæ per omnes generationes, quam ſolis opera lumen ſenſibile per omnia ſecula communicatur mundo.

*Ratio* 1. Quia teſtimonium hoc eſt ſingularis Dei favoris, & amicitiæ cujuſdam, quod voluntatem ſuam nobiſcum communicare dignetur. Pſalm. 147. 19. Joh. 15. 15. 2. Quia in iſta communicatione conſiſtit omnis vera ſapientia & prudentia. Deut. 4. 6. 3. Quia ex iſta revelatione voluntatis Dei, pendet vita noſtra æterna. Deut. 32. 47. Jac. 1. 18. 21. 1 Petr. 1. 23. 4. Quia efficax manifeſtatio voluntatis Dei, conjunctam habet gratioſi ac ſalutiferi fœderis rationem. Hebr. 8. verſic. 10, 11. 5. Quia ex hujus fœderis promiſſionibus cæterarum omnium benedictionum fides & conſolatio dependet. Rom. 15. 4.

*Vſus* 1. *Informationis*, ut in condigna eſtimatione habeamus privilegium hoc populi Dei. Rom. 9. 4. 2. *Admonitionis*, ut omni collato ſtudio certam nobis reddamus iſtam benedictionem, illud ſemper agentes, ut verbum Dei apud nos non conſiſtat in ſermone ſolum, ſed in virtute, &c. 1 Theſſ. 1. 5. 2 Theſſ. 1. 14

XVI. Inter illa quæ Deus nobis de ſemetipſo revelavit, præcipue advertere animos debemus ad ejus bonitatem rite apprehendendam. ex verſ. 8. Ubi David ad ſuum uſum precipue accommodat hanc partem deſcriptionis illius quam Deus ad gloriam ſuam manifeſtandam tradidit olim Moſi. Exod. 34. 6. in qua bonitas Dei imprimis nobis commendatur, idque pluribus verbis, eodem quidem ſpectantibus, quibus tamen, cum varietate quadam rationis, plurimum illuſtratur. Quatenus enim Dei bonitas extenditur ad miſeros; vel actu, ut ab illa liberentur; vel ſaltem potentia, ut ab eadem conſerventur, vocatur *miſericordia*: quatenus ad eoſdem abſque ullis meritis, gratis extenditur, appellatur *gratia*: quatenus non facile ſuperatur ab hominum peccatis,

tis, sed eadem tolerantia vincit, *longanimitatis* voce notatur: quatenus abundans, & dives est, ad felicitatem nostram perficiendam, *benignitatis* titulo designatur, cum nota quantitatis, *multa*.

*Ratio* 1. Quia bonitas ista constituit fidei salvificæ objectum formale, atque adeo apprehensio & meditatio ejus directe facit ad ædificationem nostram in fide, & consolatione firma. 2. Quia nihil efficatius, tam ad superbam arrogantiam, aut carnis fiduciam ab una parte reprimendam, quam ad abjectam desperationem, ab altera parte removendam, quam recta apprehensio hujus bonitatis. Neh. 9. v. 17. 3. Quia hæc bonitas efficacissime invitat nos ad resipiscentiam, & studium obedientiæ novæ. 4. Quia ejusdem bonitatis cognitio maxime urget & constringit nos, ad bonitatem & charitatem erga homines exercendam. 1. Joh.4. 8. 11. 5. Quia necessaria est ad confirmandos animos nostros in invocatione Dei. Psal. 32.6. & 34. 4. 6. & 86. 15. 6. Quia eo maxime directe facit contemplatio bonitatis divinæ, ut animas nostras accendat ejus amore, & excitet nos totos ad omne studium ipsi benedicendi. Psal. 118.1, &c.

*Vsus directionis*, ut frequentes & multi simus in pia contemplatione bonitatis Dei: ita scilicet, ut per eandem in resipiscentia, fide, spe, charitate magis magisque proficiamus.

XVII. Ex suspicienda bonitate & misericordia Dei provenit, quod non penitus, perpetuo, & in æternum incumbat nobis implacabilis ejus ira; ex versiculo 9, 10. Lament. 3. 22. 31, 32, 33.

*Ratio* 1 Quia si ex rigore justitiæ nobiscum ageret Deus, peccatum unum nostrum qualecunque, & multo magis multa & maxima illa quorum conscii nobis sumus, traherent secum iram æternam. Ex gratia igitur Dei est, quod jus suum adversus nos non prosequatur. vers. 10. 2. Quia resipiscentiam tantum postulat à nobis, ad iram suam avertendam. Hos. 6. 1, 2. 3. Quia illam ipsam resipiscentiam prævenit, & largitur. Jerem. 32. 39. Ezech. 11. 19. & 16. 62. & 20. 44. & 36. 26. 4. Quia etiam postquam iram suam averterit à nobis, eandem tamen multis modis assidue provocamus.

*Vsus directionis*, quomodo & ex bonitate Dei spem concipere possimus, & consolationem acquirere adversus reatum peccatorum nostrorum; & etiam ab altera parte, ex consideratione nostrorum peccatorum, assurgere debeamus ad bonitatem Dei celebrandam.

XVIII. Immensitas bonitatis divinæ in eo apparet, quod gravia peccata fidelium plane & penitus removeat ab ipsis. ex vers. 11, 12 Ubi per amotionem peccatorum, intelligitur proprie abolitio reatus, qua fit, ut peccata in effecto suo proprio, debitæ scil. vindictæ, in ipsorum capita nunquam sint reditura.

*Ratio* 1. Quia peccata nostra quæ abolentur, sunt aliquo modo immensa & infinita. 2. Quia meditatio Christi, per quam abolentur, est pretii immensi. 3. Quia hæc abolitio talis est, ut beatitudinem secum trahat immensam.

*Vsus* 1. *Consolationis*, erga omnes fideles. 2. *Directionis*, quomodo

animos

animos noſtros eouſque elevare debemus in contemplatione hujus bonitatis Dei, ut immenſitatem ejus cum admiratione poſſimus celebrare.

XIX. In miſeratione Dei erga ſuos, perfectio affectus patris erga ſuos liberos continetur, v. 13. Ubi incomparabilis Dei amor erga ſuos, ſimilitudine amoris patris erga ſuos filios, ſic explicatur, ut 1. Deus non tantum comparetur patri, ſed etiam ſtatuatur pater fidelium omnium per gratuitam adoptionem. 2. Intimus & tenerimus affectus ille, quibus viſcera paterna erga parvos liberos in miſeria poſitos commoveri ſolent, Deo tribuatur in omnimoda perfectione רחם. 3. Indoles eorum notatur, circa quos paternus iſte Dei amor verſatur, quod ſcil. *Dei timentes*..

*Ratio* 1. Quia Deus eſt author illius affectus laudabilis qui eſt in parentibus erga ſuos liberos: ita ut ab ipſius bonitate derivetur, & exiguam tantum umbram contineat bonitatis divinæ. 2. Quia major multo eſt conſtantia in amore Dei, quam in amore parentum, Pſalm. 27. 10. Jeſ. 49. 15. 3. Quia cum ſapientia ſumma, ad ſummum bonum nobis communicandum, exeritur: quo utroque reſpectu deficit affectus patris terreſtris, Hebr. 12. 10.

*Uſus* 1. *Conſolationis*, erga omnes fideles: quoniam à Deo pro filiis agnoſcuntur, & perfectiſſima privilegia filiorum poſſunt expectare. 2. *Admonitionis*, ne paternam Dei indulgentiam in peccandi licentiam trahamus.

XX. Deus ex miſericordia & indulgentia ſua paterna, attemperat ſuas vias infirmitati, & fragilitati noſtræ, ex v. 14, 15, 16. Ubi cum Deus dicitur *noviſſe* noſtram fragilitatem, intelligitur notitia efficax, cum diſpenſatione ſcilicet tali fragilitati congruente, non quod fragilitas noſtra ſit (proprie loquendo) cauſa provocans Deum ad nobis indulgendum, ſed quod Deus ex ſua miſericordia, talem habeat rationem hujus infirmitatis, ut ſit illa quaſi pro regula aut menſura diſpenſationis illius qua nos caſtigat, Pſalm. 78. 39.

*Ratio* 1. Quia abſque hoc temperamento, homines non magis conſiſterent coram ira Dei vel minimum accenſa, quam arida ſtipula coram igne ardente, Jeſ. 57. 16. 2. Quia hæc ſingularis laus eſt providentiæ divinæ, ut non ſinat ſuos tentari ſupra illud quod dat ipſis poſſe, 1 Corinth. 10.

*Uſus directionis*, ne infirmitatis noſtræ conſiderationem impedire aut morari ſinamus fiduciam noſtram erga Deum, ſed potius eandem aliquo modo confirmet, Job 7. 7.

XXI. Tanta eſt bonitatis Dei conſtantia, ut ſuſtentare nos debeat adverſus quamcunque fragilitatem noſtram, ex verſ. 17. Ubi benignitas, & juſtitia, vel fidelitas Dei opponitur hominum infirmitati, tanquam unicam fulturam & ſolatium quod habent ſibi relictum, & in illum finem celebratur conſtans ejus duratio; quod ſcil. nullis finibus fluxi temporis contineatur, ſed fuerit ab omni ſeculo, & in omne ſeculum ſit permanſura.

*Ratio* 1. Quia Deus in ſeſe æternus eſt, & immutabilis. 2. Quia verbum & fœdus ejus manet in æternum, Jeſ. 40. 8. & 54. 7, 8, 9, 10. 1 Pet. 1. 25. 3. Quia præcipua dona, quæ ex vi fœderis ex iſta benigni-

tate nobis communicantur, nunquam prorsus auferuntur, Rom. 11. 29. 4. Quia ista benignitas non tantum singulares personas complectatur, sed quasi hæreditario jure ad posteros etiam descendat, sicut est in textu.

*Usus* 1. *directionis*, quomodo solidam ac stabilem consolationem quærere debeamus in constanti benignitate Dei, adversus omnes infirmitates, & mutationes, quibus in nobis ipsis obnoxii sumus. Hinc Psalmista confugit ad Deum, tanquam ad petram, & rupem, Psal. 18. 3. id est, confidit in immobili ejus benignitate, ne consolatio ipsius dimoveatur, Psal. 16. 18. & 21. 8. 2. *Exhortationis*, ut constantem istam benignitatem Dei congruenter celebremus cum omni constantia & assiduitate, Ps. 136. cum 1 Chron. 16. 41.

XXII. Ex ista benignitate consolationem solidam habent omnes & soli pii, id est, secundum descriptionem hic positam, qui reverenter ipsum quærunt, colunt & cum omni reverentia subjiciunt sese ejus verbo, tam quoad internam custodiam ac attentionem, quam quoad externam operationem, idque constanter, absque oblivione, ex v. 17, 18.

*Ratio* 1. Quia bonitas ista Dei, quæ efficax est ad solidam consolationem, est solis piis præparata, Psal. 31. 19. Jes. 64. 4. 1 Cor. 2. 9. 2. Quia alii non quærunt eam, in illa saltem via, qua possit inveniri. 3. Quia impii indignos sese reddunt, & ineptos ad eam participandam, Jon. 2. 8.

*Usus* 1. *Redargutionis*, adversus eos qui de bonitate Dei omnia præsumunt, studio pietatis neglecto. 2. *Consolationis*, erga omnes illos qui syncere Deum timent, secundum illam descriptionem pii timoris, quæ hoc in loco probatur.

XXIII. Ad consolationem solidam in benignitate Dei consequendam, plurimum facit consideratio summi illius regni, quod obtinet & exercet in omnes creaturas, ex vers. 19.

*Ratio* 1. Quia regnum Dei omnem pacem, bonum & salutem adfert filiis ejus, Ies. 52. 7. Psalm. 146. 5, 10. 2. Quia huic regno ita subjiciuntur omnes creaturæ, ut impedire non possint, quo minus benignitas Dei communicetur eis quibus est præparata: sed eidem debent inservire, Psalm. 93. 3, 4, 5. & 97. 10, 11. 3. Quia hujus regni consideratio justa ingenerat nobis & auget timorem illum Dei, quo idonei reddimur ut benignitate Dei, fruamur, Psal. 2. 11. Jer. 5. 22.

*Usus directionis*, Quomodo cum maximo fructu meditari possumus de summo Dei in omnes creaturas imperio ac dominatione.

XXIV. Benignitate & majestate Dei sic affici nos par est, ut tam sanctos angelos, quam alias omnes creaturas in societatem laudandi nominis ipsius, prout possimus, accersamus, ex v. 20, 21, 22. ubi 1. Angelos & cæteras creaturas hortatur Propheta ad benedicendum Deo, non quod indigeant illæ hortationibus & stimulis ipsius, sed ut hac ratione studium suum summum erga Dei gloriam declararet.

*Ratio* 1. Quia hac ratione testamur nos nobismetipsos non satisfacere in eis quæ vel præstamus, vel possumus præstare ad Dei gloriam extollendam; sed multo adhuc majorem benedictionem Deo optare ac vovere.

vovere. 2. Quia ſic agnoſcimus præſtantiam hujus officii, in quo ſolo Angelos ipſos cum cæteris omnibus creaturis occupandos eſſe cenſemus. 3. Quia dum alias creaturas ad Deum laudandum provocamus, hoc ipſo facto Deum vel maxime laudamus, dum gloriam ejus manifeſtamus, & quantum in nobis eſt promovemus. 4. Quia iſtiuſmodi exemplis expergefacimus noſmetipſos ad conatus noſtros ferventius intendendos, & operam diligentius huc impendendam. 5. Quia in iſtis meditationibus cum voto pio conjunctis, efficaciter nobismetipſis repræſentamus id eam quandam perfecte Deo benedicendi. Huc facit deſcriptio illa benedictionis ab Angelis & aliis creaturis proficiſcentis, quæ in textu habetur. Orationis Dominicæ 1 Pet. 3. 6. Quia in iſta contemplatione creaturarum, copioſam habemus materiam Deo benedicendi, in iſtum ipſum finem præparatam, ut nos excitemur & juvemur in hoc officio præſtando. 7. Quia hoc promptos nos reddit & oſtendit, ad omnem occaſionem captandam Dei glorificandi.

*Uſus* 1. *Exhortationis*, ut omni modo & conatu ſtudeamus officium hoc glorificationis Dei magis magiſque adimplere.

2. *Informationis*, ne Angelos invocando laudemus tanquam Dominos, ſed vocemus ad Deum nobiſcum laudandum, tanquam ejuſdem Domini conſervos.

## PSALMUS CENTESIMUS QUARTUS.

B*Enedic anima mea Iehovæ, Iehova Deus mi, magnus es valde, decorem & majeſtatem induiſti.*

2. *Amiciens te luce tanquam panno, extendens cælos tanquam aulæum.*

3. *Qui contignat in aquis cœnacula ſua; qui diſponit denſas nubes* in *vehiculum ſuum, qui itat ſuper alas venti.*

4. *Qui facit angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos ignem flammantem.*

5. *Fundavit terram ſuper baſes ejus, ne dimoveretur in ſeculum & perpetuum.*

6. *Abyſſo ut indumento operueras eam, ſupra montes ſtantibus aquis.*

7. *Ex increpatione tua diffugerunt, à voce tonitru tui accelerarunt* fugam.

8. *Conſcenderunt* per *montes, deſcenderunt* per *convalles, in locum quem fundaveras ipſis.*

9. *Terminum oppoſuiſti, ne tranſeant; ne revertantur ad operiendum terram.*

10. *Qui emittis fontes per valles,* ut *inter montes ambulent.*

11. *Potum præbeant omnibus animantibus agri, frangant onagri ſitim ſuam.*

12. *Iuxta illos volatilia cæli habitent, è medio frondium edentia vocem.*

13. *Qui irrigat montes è cœnaculis ſuis, ut à fructu operum tuorum ſatietur terra.*

14. *Faciens ut germinet fænum ad jumentum, & herba ad hominis uſum, ut depromant cibum è terra:*

15. *Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo; & cibo cor mortalis fulcit:*

16. *Satiantur arbores Iehovæ, cedri Libani quas plantavit:*
17. *(Ubi aviculæ nidificent) abietes domicilia ciconiæ;*
18. *Montes excelsissimi rupicaprarum, petræ montanorum murium perfugium.*
19. *Statuit Lunam in stata tempora, Solem agnoscentem occasum suum.*
20. *Disponis tenebras, ut sit nox: qua erepunt omnia animantia silvæ;*
21. *Juvenes leones rugientes ad prædam, & quidem quærendo à* Deo *forti escam suam.*
22. *Exorto sole recipiunt se, & in lustris suis recubant.*
23. *Prodit homo ad opus suum, & ad culturam suam usque ad vesperam.*
24. *Quam ampla sunt opera tua, ô Jehova!* quam *ea omnia sapienter fecisti! quam plena est terra possessione tua!*
25. In *ipso mari magno & spatioso; illic reptilia* sunt *atque innumera, animantia parva cum magnis.*
26. *Illic naves ambulant; balæna quam formasti, ludendo in eo.*
27. *Omnia ista in te expectationem habent, ut des escam ipsorum tempore suo.*
28. *Te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono:*
29. *Abscondente faciem tuam conturbantur; recipiente spiritum eorum expirant, & in pulverem suum revertuntur:*
30. *Emittente spiritum tuum recreantur: denique renovas faciem terræ.*
31. *Sit honor Iehovæ in seculum, lætetur Iehova in operibus suis.*
32. *Quo intuente in terram tremit illa, attingente ipsos montes; fumant.*
33. *Canam Iehovæ in vita mea, psallam Deo meo quantisper ero.*
34. *Suavis erit de eo meditatio mea, ergo lætabor in Iehova.*
35. *Deficiant peccatores à terra, & improbi amplius non sint: benedic anima mea Iehovæ, halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

SCopus Prophetæ in hoc Psalmo est, semetipsum & alios ad Dei nomen celebrandum exhortari. Hæc exhortatio proponitur primo simpliciter & contracte, versic. 1. in principio. Secundo in loco efficaciter suadetur, usque ad v. 31. & postea magis explicatur, deducitur & exornatur in conclusione, à v. 31. ad finem. Propositio eadem est, quæ fuit in Psalmo priore. Sed suasionis ratio est plane alia. In priore enim Psalmo benedictionis argumenta petebat Propheta à beneficiis Dei in ipsum collatis. Hic autem omnia argumenta petuntur à magnificentia & gloria illa Dei quæ in communibus ejus operibus elucet. Hæc vero majestas & gloria Dei 1. Generatim celebratur v. 1. Vbi Deus dicitur *magnus*, non molis dimensione, sed virtutis & rerum gestarum gloria, sicut inter homines, Alexander, Pompejus, Carolus, à rerum gestarum fama hunc titulum sunt consecuti. Dicitur etiam *indutus* decore & majestate, propter abundantiam gloriæ qua sic omni ex parte cinctus est, ut nihil ad ipsum pectans possit à

nobis rite cogitari, quin ſimul gloria ejus veniat nobis in mentem. Hæc eadem gloria Dei poſtea ſpeciatim & per partes declaratur in operibus creationis, gubernationis, & conſervationis mundi.

Primum igitur commemoratur creatio lucis; tam quia prima fuit ordine temporis ( primæ utiq; fuit diei opus ) quam quia prima eſt dignitate inter omnes ſenſibiles creaturas, & etiam proxima accedit ad inacceſſibilem Dei gloriam, ſicut veſtis regalis eſt proxima regi.

Secundo in loco cœlum proponitur, id eſt, totum expanſum, quod fuit opus ſecundæ diei; cujus multiplex uſus declaratur, tam ad majeſtatem divinam, cujus conſpectum ferre non poſſumus noſtris oculis ſubducendam, inſtar aulæi, verſ. 2. quam ut in illo Deus diſtincta habeat loca, unde ſemetipſum pro ſuo beneplacito tanquam ex cænaculis prodiens manifeſtaret; & inſtrumenta etiam accommodata ad manifeſtationem illam cum omni celeritate perficiendam, tanquam vehicula alata, v. 3, 4.

Subjunguntur iſtis opera tertiæ diei, terra, mare, flumina, plantæ, à v. 5. ad 19. Ubi notatur 1. Terræ ſtabilitas, quamvis nullas baſes habeat ſuper quibus conſiſtat præter voluntatem Dei, v. 5. 2. Commoda ſeparatio aquarum à facie terræ, verbo Dei potente ſtatim procurata, verſ. 6, 7, 8, 9. 3. Ordinatiſſima diſtributio aquarum ad uſum animantium, v. 10, 11, 12. 4. Tempeſtiva ſuppeditatio aquarum ex cœlo, ad terram vegetandam, & frugiferam reddendam, v. 13, 14. 5. Commoditas plantarum & fructuum terræ, ad alimentum & uſum jumentorum hominum, volucrium & beſtiarum ferarum, v. 15, 16, 17, 18. Adduntur opera diei quartæ, id eſt, ſidera cœli, verſ. 19. ad 25. Ubi notatur 1. Effectum eorum immediatum in diſtinctione diei ac noctis, & reliquorum temporum ſtatorum, v. 19. 2. Uſus varius horum temporum ex ordinatiſſima Dei diſpoſitione, verſ. 20, 21, 22, 23. 3. Accommodatur hæc diſpenſatio Dei, ad laudem potentiæ, ſapientiæ, & dominationis Dei, v. 24.

Subjiciuntur opera quintæ diei, piſces, nempe, verſ. 25, 26. Qui declarantur 1. A ſubjecto, domicilio ipſis præparato, *mari* quantitate *magno, & ſpatioſo.* 2. Ab adjuncto multitudinis, quod ſint *innumera.* 3. A generum varietate *parva cum magnis.* 4. A comparatione navium in eodem mari ambulantium. 5. A ſpecie una primaria, & maxime notabili, balæna.

Hactenus fuit hiſtoria creationis & ordinationi (ſextæ diei operibus, id eſt terreſtribus animantibus, obiter commemoratis ) ad uſum terræ declarandum, v. 14, &c.

Sequitur earundem creaturarum conſervatio, precipue animantium, in quibus hæc diſpenſatio maxime apparet, v. 27, 28, 29, 30. Ubi dependentia eorum ex manu aut providentia Dei notatur, tam quoad cibum, quam quoad vitam & propagationem.

Ex iſtis omnibus concluſio inſertur benedictionis divinæ. Quæ proponitur 1. Sub forma voti, tam reſpectu aliorum, qui ſaltem cogentur honorem ipſi tribuere terribilis ejus majeſtatis, v. 31, 32. quam reſpectu ſui, in hujus officii ſtudio, qui

omnem alacritatem, constantiam, & gaudium profitetur ac promittit. v. 33. 34. 2. Sub forma imprecationis adversus eos qui honori Dei se opponunt. v. 35. 3. Sub forma exhortationis, qua tam semetipsum, quam alios pios hoc nomine compellat.

### Documenta.

I. Ad Deum rite laudandum, requiritur attentio religiosa tam ad animas nostras in ordine ad Deum, quam ad Deum in ordine ad nos vel animas nostras. ex vers. 1. in principio. ubi Psalmista primo semetipsum alloquitur ut Deo obstrictum, & postea Deum, ut omnem laudem de se merentem.

*Ratio.* 1. Quia dispositio congrua requiritur ad hoc officium recte præstandum; & illa dispositio acquiritur, fovetur, excitatur, & in actum elicitur per debitam contemplationem sui proprii objecti, id est, Dei, prout est noster Deus.

*Usus Directionis*, quomodo exercere nos possimus in spiritualibus soliloquiis, ad Dei gloriam, & nostram ædificationem.

II. In Deo attendendum imprimis ad infinitam ejus majestatem & gloriam. ex v. 1. in fine.

*Ratio.* 1. Quia majestatis hujus consideratio ingenerat nobis reverentiam, humilitatem, & admirationem, quæ sunt dispositiones necessariæ ad piam Dei laudationem. 2. Quia ista majestas & gloria est inter primaria argumenta, quibus excitari debemus ad Deum laudandum. Quamvis enim infirmitas nostra talis sit, ut magis affici soleamus benedictionibus Dei in nos collatis, aut conferendis; hinc tamen assurgere debemus ad illum affectum quo Deum eo nomine celebremus, quia est in semetipso (exclusa omni consideratione nostri boni) dignus omni honore. In hoc enim affectu, purus amor Dei apparet, seposito amore nostri; Deus honoratur ut ultimus finis, ac summum bonum; & simul etiam ædificamus nos in fide & charitate.

*Usus Increpationis*, ad corrigendam curvitatem illam animarum nostrarum, qua fit, ut non nisi raro, & cum difficultate magna, & exigua nimis alacritate, elevari soleant ad Deum hunc in modum laudandum, & celebrandum.

III. Majestas & gloria Dei in creaturis ita elucet, ut ex earum consideratione debeamus excitari ad Dei nomen celebrandum. ex v. 1. cum seq.

*Ratio* 1. Quia sicut vis causæ apparet semper in suo effecto, sic divina creatoris virtus (potentia, sapientia, bonitas) in operibus ejus apparet, ubi quam plurima vestigia sui relinquit. 2. Quia eædem creaturæ, quatenus sunt aliquo modo adjuncta Dei, eo spectant, ut decus, & majestatem Dei exhibeant nobis observandam. 3. Quia sunt etiam instrumenta Dei, ad illa perficienda, quæ majestatem summum declarant.

*Usus Redargutionis*, adversus illos, qui vel utuntur creaturis ut bruta, contemplatione ipsarum neglecta, vel ut naturales tantum philosophi, non ut Dei cultores, easdem contemplantur.

IV. Inter creaturas omnes sensibiles, excellit lux in gloria Dei manifestanda. ex v. 2.

*Ratio.* 1. Quia eſt omnium creaturarum pulcherrima, & cauſa omnis pulchritudinis in mundo, faciens tum ut ſit, tum etiam ut appareat. Unde etiam eſt, quod in textu comparetur veſti ornatæ decoræ, quæ ſic mundum ornat, ut magis glorioſa veſtis Deo ipſi non poſſit attribui per ullam analogiam. 2. Quia admirabilem habet puritatem, ita ut nulla inquinatione contaminetur, quamvis tranſeat per ſpurciſſima quæque loca. Qua in re imaginem quamdam exhibet puritatis divinæ. 3. Quia effectiones maximas, maximeque beneficas exequitur in inferioribus creaturis, illuſtrando, purificando, calefaciendo, vivificando, & exhilarando: quibus influentiis divina beneficientia quoad corporalia bona de cœlo ad nos actu dirivatur, & quoad ſpiritualia, quaſi in ſpeculo repræſentatur. Hinc eſt quod Deus in Scripturis lux vocetur, ac Pater luminum, & inhabitare lucem inacceſſam, Chriſtus etiam, Evangelium, & ejus præcones, Apoſtoli, lux mundi appellentur, & omnes Chriſtiani, quatenus illuſtrati ſunt cognitione ſpirituali, & gratiæ ſalutiferæ participes facti, dicuntur lux eſſe.

*Uſus Redargutionis*, adverſus eos qui in medio lucis adeo cæcutiunt, ut Deum ejuſque providentiam non agnoſcant.

V. Cœlum expanſum gloriam & majeſtatem Dei variis modis exhibet nobis contemplandam. verſ. 2, 3, 4.

*Ratio* 1. Ingens extenſio hujus expanſi immenſitatem Dei declarat, & aliquo modo repræſentat. 2. Artificium, manupretium, & ornatus qui in hoc expanſo apparet, quaſi aulæi aut conopei vicem gerit ad gloriam & majeſtatem Dei illuſtrandam: cujus fulgorem ita removet ab oculis noſtris, ut naturam ejus quaſi per tranſennam exhibeat ſpectandam. 3. Suſpenſio & coagmentatio aquarum natura ſua diffluentium, ſuper aëreo fundamento hoc ſuſpiciendam omnipotentiam Dei oſtendit Job. 26. 8. & 37. 15. Proverbior. 8. 28. 4. Ordinata diſpenſatio harum aquarum, in varios uſus quaſi in cœnaculis repoſitarum, hoc ſapientem Dei providentiam declarat cum potentia ſumma conjunctam. Job. 37. 11. 12. 5. Circumactio nubium ac ventorum cum ſumma velocitate, nunc in has, nunc in illas partes ad voluntatem Dei perficiendam, tum majeſtatem indicat multo majorem illa quam reges terreſtres curribus regiis oſtentare ſolent, tum etiam ſupereminentem efficacium ejus providentiæ. Pſalm. 18. 10, 11. Jeſ. 19. 1. 6. Hæc tota directio ita perficitur, & ſæpe per angelos, ut in eadem quaſi in ſpeculo, viſibilis imago exhibeatur glorioſi illius miniſterii, quod à cœleſtibus angelis Deo præſtatur. verſ. 4.

*Uſus* 1. *Informationis*, non fortuito caſu fieri quidquam eorum quæ maxime contingentia videntur, ſed ex nutu & voluntate Dei pendere. 2. *Directionis*, quomodo ex contemplatione cœli hujus viſibilis adſpirare animis debeamus ad cœlum ſupremum, Deum inde glorificantes, & noſmetipſos in fide ac obſervantia magis magiſque exædificantes.

VI. Diſpoſitio terræ ac maris, multi-

multiplicem suppeditant nobis materiam Deum glorificandi, à vers. 5. ad 19.

*Ratio* 1. Fixa stabilitas tantæ ac talis molis, qualis est globus terræ, ac maris in medio tenuis ac mobilis aëris suspensæ, tanquam super basin firmissimæ soliditatis, hoc divinæ potentiæ admirationem fixam & immobilem in animis nostris parere debet, v. 5. Psalm. 24. 2. & 78. 69. Job 26. 7. & 38. 4, 5. Proverb. 8. 29. 2. Separatio maris à facie terræ habitabilis, ad vitam & usum, ut aliorum animalium, sic præcipue hominum, accommodata sapientiam ac bonitatem Dei, una cum potentia ejus distincte nobis percipiendam offert, vers. 6, 7, 8, & 9. Job 38. 10, 11. Psalm. 148. 6. Jer. 5. 22. 3. Quomodo distributio aquarum in omnes partes terræ, quasi per aquæ ductus in illum finem præparatos, ut inserviant animalibus potandis, talem indicat providentiam Dei circa totum mundum, qualem bonus paterfamilias habet circa domum suam, quando eidem prospicit necessario potu, v. 10, 11, & 12. 4. Benedictio pluviarum non patitur bonam Dei providentiam esse testimonii expertem, vers. 13, 14. Act. 14. 17. Jerem. 5. 24. 10, 13. & 14. 22. Jes. 55. 10. Deut. 11. 14, 15. 5. Ex terra & aqua inter se conjunctis & commixtis, tanta suppetit copia donorum, tam voluptati quam necessitati nostræ inservientium, ut benignitatis Dei plena sit terra, vers. 15, 16, 17, 18. Psalm. 119. 64.

*Usus Exhortationis*, ad Deum in operibus istis agnoscendum, eoque nomine benedicendum, & cum omni gaudio colendum.

VII. Sidera cœli singulariter enarrant gloriam Dei, à vers. 19. ad 24.

*Ratio* 1. Quia per omnia secula observant cursum & ordinem a Deo constitutum, in summa varietate constantem, vers. 10. unde tam omnipotentia Dei, quam stabilitas consiliorum ac promissionum ejus, & imperium quod exercet in omnes creaturas manifeste apparet, Jer. 31. 35, 36. 2. Quia indicant nobis fluxum ac successionem temporum, & faciunt vicissitudines tempestatum, incommoditatem tum reliquorum animantium, tum præcipue generis humani, in quo bona Dei providentia tam clare elucet, ac si Solis radiis scriberetur, vers. 20. ad 24.

*Usus Exhortationis*, ut hac dispensatione Dei, quæ quotidie ingerit se sensibus nostris, singulariter excitemus nosmetipsos ad Deum glorificandum ex admiratione potentiæ, sapientiæ, & providentiæ ejus, vers. 24.

VIII. In mari magno, magnam materiam habemus Deum glorificandi, v. 25, 26.

*Ratio* 1. Vastitas ipsa maris apprehensionem nobis ingerit numinis divini, cum religioso quodam horrore, *magno & spatioso*. 2. Multitudo, varietas, & granditas animantium, quæ sine ope aut cura humana, & sine ullis mediis homini perceptibilibus, generantur, nutriuntur, & conservantur, incomprehensibiles vias potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis Dei declarant. 3. Navigatio illa quæ arte & industria hominum exercetur ad mutuam communicationem bonorum inter

inter diſſitas gentes, providentiam divinam multo magis commendat, quam humanam, verſ. 26.

*Uſus directionis*, quomodo Deum glorificare diſcamus etiam ex iis operibus ejus, quæ ſunt remota à ſenſu & uſu noſtro quotidiano.

IX. Dependentia omnium viventium ex manu Dei, vividam gloriam Dei oſtendit, verſic.27. ad 31.

*Ratio* 1. Quod cibariis commodis tam ingentem numerum animantium ſuſtentet ſolus; hoc magnificentiam ejus illuſtrat, v. 27, 28. 2. Quod ex ſubtractione beneficæ præſentiæ Dei, omnium vita morte commutatur; hoc iræ ejus terrorem demonſtrat, v. 29. 3. Quod ſpiritu quodam vivificante reficiat, & per ſucceſſionem renovet omnia animalia ſecundum ſua genera; ex eo potentia, bonitas ac providentia ejus tam evidenter apparet, ut poſſit quaſi palpari, v. 30.

*Uſus* 1. *Directionis*, quomodo ex omnium viventium ſuſtentatione, defectione, & reſtitutione, anſam arripiamus Deum glorificandi. 2. *Exhortationis*, ut cum ſpirituali ſenſu & affectu, in omni parte vitæ, ac mortis à Deo pendeamus.

X. Ex pia contemplatione operum Dei, excitatur animus ad omnimodum honorem Deo vovendum, ex v. 31. in princ.

*Ratio*. Quia deſiderium & primus eſt affectus qui circa bonum verſatur, & eſt etiam primarius, quatenus extendit ſeſe, ultra omne illud quod poſſumus præſtare.

*Uſus Exhortationis*, ad deſideria ac vota ſancta, ex omni occaſione tam concipienda, quam fovenda.

XI. In iſthoc honore ita delectatur Deus, ut æquabili curſu beneficentiam ſuam per creaturas ad nos lubens derivet, ibid. in fine

*Ratio*. Quia ſic ordo à Deo conſtitutus & approbatus obſervatur, & finis operum Dei obtinetur.

*Uſus admonitionis*, ne hoc officium negligamus, quo Deus ita delectatur. Nihil enim nobis eſt magis optabile, quam ut Deus lætetur benefaciendo nobis, Deut. 28. 63. neque magis horrendum quidquam, quam ira Dei: ſicut proximo v.32. declaratur.

XII. Eo anniti debemus propoſito firmo, & ſyncero conatu, ut nos etiam maxime delectemur in Deo, ejuſque honore, ex v. 34.

*Ratio*. Quia hæc eſt perfectio officii noſtri, principium beatitudinis, & cauſa omnis alacritatis & conſtantiæ in Deo honorando, v.33.

*Uſus increpationis*, adverſus illos qui non niſi cum tædio in cultu Dei verſantur.

XIII. Cum pio hoc affectu conjungitur deteſtatio impietatis in mundo regnantis, v. 35.

*Ratio*. Quia per illam opera Dei polluuntur, & honor ejus non ſolum impeditur, ſed & impugnatur.

*Uſus Redargutionis*, adverſus illos qui ita pietatem profitentur, ut impiis interim favere poſſint.

PSAL.

## Psalmus Centesimus quintus.

*Celebrate Iehovam, proclamate nomen ejus; notas facite in populis actiones ejus.*

*2 Canite ei, psallite ei; confabulamini de omnibus mirabilibus ejus operibus.*

*3 Laudibus vos efferte in nomine sancto ejus, lætetur animus quærentium Iehovam.*

*4 Requirite Jehovam robur ejus; quærite faciem ejus jugiter.*

*5 Recordamini mirabilium ejus operum quæ fecit: prodigiorum ejus, & judiciorum oris ejus.*

*6 O semen Abrahami servi ejus, ô electi ejus filii Jahakobi.*

*7 Hic est Jehova Deus noster, in tota terra judicia ejus* sunt.

*8 Recordatur in seculum fœderis sui; verbi* quod *præcipit, in mille generationes.*

*9 Quod pepigit cum Abrahamo, & juramenti sui* præstiti *Iitzchako.*

*10 Quod præstitit Iahakobo id statutum: Israëli* in *fœdus perpetuum:*

*11 Dicendo, tibi daturus sum terram Cenahanis : funiculum possessionis vestræ.*

*12 Quamvis essent homines pauci, plane pauci & inquilini in ea.*

*13 Itarentque à gente in gentem, à regno in populum alium :*

*14 Non permisit cuiquam opprimere eos, etiam reprehendit propter eos reges.*

*15 Ne attingitote (* inquiens ) *unctos meos, & prophetas meos ne afficitote malo.*

*16 Quum advocans famam super terram: omnem scipionem panis fregit;*

*17 Mi serat ante eos virum præstantem;* qui *ad servitutem venditus erat, Josephum :*

*18 Cujus pedes afflixerunt compede, ferrum subivit ipse,*

*19 Usque ad tempus quo erat adventurum verbum ipsius: sermo Jehovæ probavit eum.*

*20 Mittens rex expediri jussit eum, & dominator populorum idem solvit eum :*

*21 Præposuit eum dominum familiæ suæ, & dominatorem in totam possessionem suam :*

*22 Ut vinciret principes ejus ex animo suo, & seniores ejus informaret.*

*23 Deinde venit Israël in Ægyptum, & Iahakob perigrinatus est in regione Chami :*

*24 Ubi cum fecisset* Deus *ut fœtificaret populus suus valde, & potentiorem eum effecisset hostibus suis ,*

*25 Mutavit animum illorum ut odio haberent populum suum ; ut machinarentur contra servos suos.*

*26 Misit Moschen servum suum, Aharonem quem elegerat ;*

27 Qui

27 *Qui expoſuerunt apud eos verba ſignorum ejus, & prodigiorum in regione Chami.*
28 *Miſit tenebras, & obtenebrarunt eam, neque rebellarunt* ſigna *contra verbum ejus.*
29 *Mutaverat aquas illorum in ſanguinem, & morte affecerat piſces eorum.*
30 *Abunde produxerat terra illorum ranas, invadentes penetralia regum illorum.*
31 *Simul ac edixit, advenerat colluvies* animalium, *pediculi in totum terminum eorum.*
32 *Reddiderat pluvias eorum grandinem, ignem maxime flammantem in regione illorum:*
33 *Quibus percuſſit vites illorum, & ficus illorum; confregitque arbores termini illorum.*
34 *Simulac edixit, advenerat locuſta, & melolontha, eaq; innumera.*
35 *Quæ comedit omnem herbam regionis eorum, comeditque fructum terræ illorum.*
36 *Tandem percuſſit omne primogenitum in regione illorum, principium omnis potentiæ illorum.*
37. *Tum eduxit eos cum argento & auro, nec fuit in tribubus ejus qui labaret.*
38 *Lætati ſunt Ægyptii quum exhirent hi, quia irruerat pavor horum ſuper ipſos.*
39 *Expandit nubem pro tegumento, & ignem ad illuſtrandum noctem.*
40 *Petente* populo, *adduxit coturnices; & pane cælorum ſatiavit eos.*
41 *Aperuit rupem; & effluxerunt aquæ, ambulantes per ſiticuloſa* loca, *ut fluvius.*
42 *Quia recordabatur verbi ſanctitatis ſuæ, cum Abrahamo ſervo ſuo* habiti.
43 *Ideo eduxit populum ſuum cum gaudio, cum cantu electos ſuos.*
44 *Deditque eis regiones gentium, & laborem nationum poſſident hæreditario jure:*
45 *Ut obſervent ſtatuta ejus, & leges ejus cuſtodiant. Hallelu-Iah.*

## ANALYSIS.

Iste Pſalmus compoſitus à Davide ex occaſione arcæ in tentorium introductæ, 1 Chron. 16.7. eundem ſcopum communem habet cum duobus prioribus: lætam nempe celebrationem nominis divini. Sed cum hac differentia, quod cum Deus laudetur Pſal. 103. pro beneficiis privatis in homines fideles ſeorſim & privatim collatis & Pſalm. 104. pro bonitate ſua in omnibus creaturis manifeſtata; in iſthoc Pſalmo idem Deus laudetur pro beneficiis publicis communiter in Eccleſiam collatis.

In iſtum finem, duo hic aguntur: 1. hortatio efficax proponitur ad officium laudationis præſtandum

ad

ad vers. 7. 2. Enumeratio subjungitur argumentorum quæ provocare & impellere populum Dei ad illius officii curam possint, vers. 7. ad finem. Hortatio ad laudandum Deum 1. Simpliciter proponitur, v. 1. in principio, *celebrate Jehovam*. 2. Singularis species ejus commendatur, ib. in medio: *proclamate nomen ejus*. 3. Illam speciem illustrat à suo fructu: *notas facite*; subjecto: *in populis*; & objecto speciali: *actiones ejus*, ibid. in fine. 4. Illustratur insuper hoc officium a modo ipsi congruente: v. 2. in principio: *canite ei, psallite ei, confabulamini*, qui objecto suo proprio declaratur, ibid. in fine, *de omnibus mirabilibus ejus*. Modus iste illustratur porro à sua propria & proxima causa, affectu scilicet gloriationis, 1 Cor. 1. vers. 31. cum Jerem. 9. 23. & lætitiæ sanctæ, v. 3. cujus causa ibidem notatur, *nomen sanctum* Dei, atque etiam proprium subjectum, *cor hominum quærentium Deum*, id est, fidelium ejus cultorum. 5. Idem officium inculcatur & declaratur, v. 4. per synecdochen totius, id est, conatum communionem quærendi cum Deo, vel ipsum colendi, ubi etiam & objectum hujus cultus, Deus, illustratur à sua sufficientia & efficientia, *robur ejus* & *faciem* (quæ duo in omni parte cultus ejus præcipue debent spectari, tanquam vitæ ac salutis nostræ causæ) & adjuncta duratio ac assiduitas ejusdem cultus simul imperatur: *jugiter*. 6. Inculcatur etiam idem officium in causa sua, recordatione scil. mirabilium operum, quæ Deus pro ipsis secundum verbum suum est operatus. 7. Describuntur personæ ad quas hoc officium singulariter spectabat, v. 6. à relatione illa quam habuerunt ad pios suos patres, & in ipsis ad Deum, à quo in suis parentibus electi fuerunt in populum suum peculiarem. Argumenta quibus Ecclesia provocatur ad Deum laudandum summatim ad duo capita revocantur, v. 7. ad fœdus gratuitum, quo Deus factus est Deus ipsorum: & ad manifestationem illius favoris per judicia quæ ex fœdere exercuit in ipsorum bonum. Fœdus illustratur, 1. à fide & constantia & stabilitate illius, v. 8. 2. ab adjunctis & signis antecedentibus illius stabilitatis, in promissione ejus sæpius olim repetita, & juramento confirmata, v. 9, 10, 11.

Manifestatio illius favoris, & fœderis expletio per inductionem declaratur. Commemoratur autem 1. protectio singularis progenitorum eorum, v. 12, 13, 14, 15. Quæ illustratur 1. ipsorum paucitate & vita erratica; hostium autem multitudine ac potentia, tamquam diversis, 12, 13, 14. modo protectionis illius, qui non fuit communis, sed cum privilegio singularis honoris, v. 15. 2. Additur sustentatio ipsorum in maxima fame, v. 16. ad 24. quæ illustratur, 1. ab adjuncta magnitudine illius famis, v. 16. 2. à medio vel instrumento illius sustentationis, Josepho, circa quem ad illud opus disponendum mirabilis Dei providentia observatur, tam in afflictione, quam exaltatione ejus, v. 17, 18, 19, 20, 21, 22. 3. Subjungitur eductio eorum ex Ægypto v. 24, ad 39. quæ illustratur, 1. à causa ejus impellente, odio scil. & crudelitate Ægyptiorum, v. 25. cujus occasio notatur fuisse Israelitarum incrementum, v. 24. 2. à causis

ſis adminiſtrantibus, Moſe & Aarone, verſ. 26. 3. à forma vel modo ipſius ductionis: quæ facta eſt, 1. Per multas & miraculoſas plagas, quibus Ægyptii domabantur. 2. Cum divitiis quibus illi inſtruebantur, verſ. 37. 3. Cum corroboratione ſpeciali, Ibid. 4. Cum ſummo conſenſu Ægyptiis extorto, verſ. 38. 4. Narratur porro deductio ipſorum per deſertum, ad 43. Quæ illuſtratur miraculoſis ejus mediis, tam in directione commodiſſima procuranda, v. 39. quam in cibo & potu ſuppeditando, v. 40, 41. Quorum omnium, ſicut & eductionis, cauſa præcipua notatur ſtabilitas fœderis Dei, verſ. 42. quam antea propoſuit celebrandam, v. 8. 5. Additur ultimo in loco introductio ipſorum in terram promiſſam, verſ. 44. quæ communi ſine illuſtratur, obedientiæ Deo præſtandæ ſecundum verbum ejus.

DOCUMENTA.

I. Officium piorum eſt, omnimodo, tam ſemetipſos, quam alios excitare ad Deum laudandum, ex verſ. 1. in principio.

*Ratio*. Hoc enim eſt religionis, honorem debitum Deo deferre. Hic eſt fervor & zelus religionis, optare, vovere, & conari plus quam præſtamus. Hæc etiam eſt charitas erga Deum & proximos, alios adducere ad Deum honorandum.

II. Primaria pars laudis Dei eſt, efficere ut nomen & actiones Dei, quam plurimis innoteſcant, ibid. in fine.

*Ratio*. Hac enim ratione, Dei gloria manifeſtatur; noſter erga illam affectus exeritur, excitatur, ac promovetur; & alii provocantur ad Deum agnoſcendum ac glorificandum.

III. Specialis modus ejuſdem laudis eſt, ſuaves ſermones, & meditationes habere de Deo, cum admiratione, ex v. 2.

*Ratio* Quia ex iſtis apparet, *Primo*, delectationem noſtram eſſe in Deo. *Secundo*, eandem à nobis foveri ac promoveri. *Tertio*; non acquieſcere nos in eo, quod facimus, ſed ad majorem perfectionem adſpirare.

IV. Perfectio quædam hujus laudis eſt, ſancte gloriari in nomine ſancto Dei, v. 3.

*Ratio*. Quia dum gloriamur in Deo, & ipſi ſummam gloriæ perfectionem tribuimus; & noſtram felicitatem in ipſo collocamus, & etiam fiduciam in ipſo tantam oſtendimus, ut timorem omnem expellat & excludat.

V. Iſtiuſmodi affectus, ſi ſint ſynceri, conjunctum habent ſtudium Deum omni modo, & ex eorum occaſione quærendi, & colendi, v. 3. in fine, & v. 4.

*Ratio*. Proveniunt enim affectus iſti ex virtute religionis, cujus proprius actus eſt cultus Dei. Directe etiam ad Deum feruntur, & ferunt. Eædem etiam cauſæ, quæ proliciunt hos affectus, efficaciter nos movent, ut ad Deum confugiamus & communionem cum ipſo quæramus.

VI. In omni cultu Dei, ſufficientia & efficientia ejus gratioſa præcipue debent ſpectari, v. 4.

*Ratio*. Sunt vitæ cauſæ, fidei columnæ, & piorum omnium votorum complementum.

VII. Ad hæc officia paratos nos reddet pia recordatio actionum Dei cum verbo ejus collatarum, v. 5.

*Ratio*.

*Ratio.* Benignitas earum charitatem eliciens, provocat ad laudes. Fidelitas in ipsis apparens fidem confirmat, & invitat ad Deum quærendum. Majestas earum admirationem, celebrationem, & cultum parit.

VIII. Ad istam recordationem habendam, singulariter tenentur illi, qui in se, & in suis confœderati facti sunt Deo, v. 6.

*Ratio.* Majorem cognitionem habent Dei & viarum ejus. Actiones Dei singulariter tendunt ad eorum bonum. Obligantur magis Deo, tam beneficiis ejus, quam suis votis ac professione. Eorum conatus singularem acceptationem habent coram Deo, in ordine ad vitam æternam.

IX. Fœderati Dei, eo ipso consolationem inerrabilem & gloriosam possunt ac debent habere, quod Jehova sit Deus ipsorum, ex v. 7.

*Ratio* 1. Quia liberati sunt ab ira & condemnatione illa, quæ super alios manet. 2. Quia participes facti sunt summi boni. 3. Quia Deus est ipsis omnisufficiens: ita ut in ipso & cum ipso omnia habeant optanda.

X. Ad eorum consolationem pertinent, quæcunque Deus facit per totam terram, ibid. in fine.

*Ratio* 1. Quia ex illis operibus, manifestatur ipsis sufficientia & efficientia Dei. 2. Quia per illa opera Dei, ipsorum bonum solet procurari. 3. Quia hostes ipsorum per illa opera convincuntur.

XI. Deus sui fœderis, & promissionum ejus perpetuam habet recordationem, v. 8.

*Ratio* 1. Quia constans est in sese, & sui semper similis, sine ulla mutationis umbra. 2. Quia verax est & fidelis in omnibus, quæ dixit. Singularis usus hujus documenti significatur ex collatione, 1 Chron. 16. 15. Admonitionis scilicet ut nos etiam ejusdem perpetuo recordemur, tam eorum quæ nobis in illo fœdere promisit, quam quæ à nobis est stipulatus.

XII. Cum illa recordatione fœderis conjuncta est efficacia voluntatis Dei idem stabiliens cum authoritate summa, v. 8. 10.

*Ratio.* Quia per omnipotentiam suam præstat illud quod promisit, superatis omnibus difficultatibus, & pro imperio mandans omnibus creaturis, ne fœderis exequutionem impedirent, sed ad impletionem ejus cooperarentur.

XIII. Earundem promissionum iteratio, & multiplex confirmatio consolationem adfert validiorem, ex v. 9, 10.

*Ratio.* Quia hæc sunt signa propositi Dei maxime firmi, & media accommodata ad infirmitatem fidei nostræ sublevandam, Heb. 6. 17, 18.

XIV. Promissiones etiam benedictionum temporalium, quatenus pertinent ad fœdus Dei, sunt magni faciendæ, v. 11.

*Ratio.* Quia sub illa ratione promissæ, & receptæ, sunt signa specialis favoris Dei, & arrha salutis æternæ.

XV. Protectio Dei, qua prospicit suis adversus malevolentiam & vim hujus mundi, est inter singulares benedictiones fœderis ejus, ex v. 14.

*Ratio.* Quia liberatio & defensio à malo, necessario prærequiritur ad communicationem bonorum fœdere promissiorum.

XVI. Hæc protectio neque fidelium impotentia, neque hostium potentia impeditur, v. 12, 13, 14, 15.

*Ratio.* Quia Dei providentia non pendet ex mediis, sed præter, supra, & contra media operatur.

XVII. Huic protectioni divinæ inest honor singularis, v. 15.

*Ratio.* Quia Deus hac ratione manifestum facit, quam pretiosa sit Ecclesia coram ipso, pluris nempe quam reges & principes illi mundani, à quibus contemptim opprimuntur. Tale quid innui videtur comparatione illa, quæ instituitur inter reges reprehensos, & unctos Dei, propter quos increpantur, v. 14, & 15.

XVIII. Non prorsus tamen eximi solet Ecclesia, à communibus calamitatibus, quas Deus immittit generi humano, v. 16.

*Ratio* 1. Quia corruptionem naturæ, & ex parte etiam morum, habent cum aliis communem. 2. Quia calamitates istas ita dirigit Deus, ut cedant in ipsorum bonum, & suam gloriam majorem.

XIX. Deus tamen antea prospicit suis, & media præparat quibus in suis angustiis sustententur, quam in illas angustias deducit, v. 17.

*Ratio.* Quia hoc est perfectæ providentiæ. Hæc propria est ratio explorationis paternæ. Ex hoc etiam, quando tandem elucet, magis ædificantur fideles, & Dei nomen glorificatur.

XX. Illos fideles, quibus Deus uti vult, ut mediis eximiis ad Ecclesiæ bonum procurandum, solet antea variis afflictionibus probare & præparare, ex v. 17, 18.

*Ratio.* Quia sic illi ad humilitatem, ad prudentiam ac fiduciam experientia edoctam erudiuntur, & gloria Dei in illo opere magis est conspicua, integra, & illibata.

XXI. Duratio & finis hujusmodi omnium afflictionum, quamvis hominibus diu sit occultus, Deo tamen præfixus est & prædefinitus, vers. 19.

*Ratio.* Quia perfectio consilii ac providentiæ divinæ, & fiduciæ nostræ consolatio hoc requirit.

XXII. Quando tempus statutum advenit, Deus ad suos ex pressuris liberandos, utitur sæpe opera eorum, de quibus in tali negotio nemo mortalium cogitarat, v. 20.

*Ratio.* Quia hac ratione, providentia Dei magis mirabilis apparet, & plane divina. Docentur etiam homines non pendere ex probabilitate rationum, sed supra & contra omnem spem humanam sperare in Deo solo.

XXIII. Ex profundis & diuturnis afflictionibus aliquando evehit suos Deus ad maximum honorem, v. 21, 22.

*Ratio.* Quia hæc administratio est Deo gloriosa, Psalm. 113, 6, 7. Est etiam, tam ipsis evectis, quam aliis utilis ac salutaris.

XXIV. Quicquid honoris aut potestatis habent pii, totum illud eo dirigere debent, ut de aliis, præcipue conjunctis, maxime vero de Ecclesia Dei, bene possint mereri, v. 22, 23.

*Ratio.* Quia hic est proprius finis eminentis potestatis, & præbentur occasiones ordinariæ, & extraordinariæ, quibus potentium animi explorantur: exemplum est in textu.

XXV. Benedictio Dei specialis ad istiusmodi media accedens, facit ut Ecclesia præter omnem ex-

specta-

spectationem, ad invidiam usque augeatur, v. 24.

*Ratio.* Quia omnia dirigit Deus ad consilium suum perficiendum, de numero filiorum Abrahæ promissorum.

XXVI. Benedictionibus Dei in populum suum effusis ( Deo ipso sic ordinante ) animi impiorum sæpe ad odium irritantur, v. 25.

*Ratio.* Ingenium ipsorum malignum ad invidiam sua sponte fertur, Jac. 4, 5. Quæ magis accenditur avaritia, fastu, & aliorum contemptu. Deus autem hanc malitiam hominum dirigit ad sua consilia perficienda.

XXVII. Quum odio & machinationibus impiorum hostium Ecclesia redigitur ad angustias extremas; tum præcipue liberatio ipsi mitti solet à Deo, v. 26.

*Ratio.* Quia tum maxime elucet potens Dei providentia, & liberatio ejus magis petitur, magisque præparantur homines ad eandem grate recipiendam.

XXVIII. Ad istiusmodi liberationes procurandas utitur sæpe Deus opera hominum, sed à se singulariter electorum, præparatorum, & excitatorum, ibid.

*Ratio.* Cum hominibus per homines sic agere vult, ut totum beneficium ipsi adscribatur, tanquam gratuitum ejus donum.

XXIX. Per hujusmodi instrumenta, quando ejus gloria & Ecclesiæ bonum sic exigit, Deus miraculose solet operari, v. 27.

*Ratio.* Quia dum sic operatur, convincuntur omnes, Dei manum esse qua populus ejus servatur, & hostes vel edomantur, vel reprimuntur.

XXX. In istis miraculosis operibus, omnes creaturæ paratæ sunt ad nutum aut verbum Dei, voluntatem ejus implere, v. 28, &c. ad 37.

*Ratio.* Quia Deus est exercituum cui millitant omnes creaturæ.

XXXI. Per vilissima animalcula ( ranas, muscas, pediculos ) superbissimos homines in ordinem sæpe cogit. ibid.

*Ratio.* Quia hac ratione ad superbiam suam deponendam aptissime erudiuntur.

XXXII. In judiciis istis distribuendis, ita procedere solet Deus, ut qui adversus minores plagas manent contumaces, majoribus tandem cedere cogantur, ibid.

*Ratio.* Quia per istam dispensationem, & perversitas hominum & Dei æquitas magis apparet.

XXXIII. Ab illis plagis quibus impios Deus coërcet, intactos ac incolumes servare suos aliquando solet: atque etiam vires ipsorum augere, v. 37.

*Ratio.* Quia interest nominis Dei, ut cognoscant homines quantum discrimen ponat inter Ægyptios & Israëlitas, Exod. 11. 7.

XXXIV. Novit etiam Deus flectere corda malevolorum, ad pacem, benevolentiam, & beneficentiam erga suos, v. 37, 38.

*Ratio.* Quia ut rivi aquarum, sic corda hominum in manu Dei, quocunque vult inclinat ea, Pro 21, 1.

XXXV. Protectio & directio divina non deest Ecclesiæ, neque de die, neque de nocte, v. 39. Jes. 4. ult.

*Ratio.* Quia hæc sunt plane necessaria, ut promissiones Dei possint impleri.

XXXVI. Deus aliquando per multa miracula Ecclesiam conservat ac sustentat. v. 40, 41.

*Ratio.* Quia hac ratione & potentiam, & bonitatem ſummam declarat: & ſimul etiam inſtituit ſuos ad fiduciam ſuam ſupra omnia media naturalia & ordinaria, ad Deum ſolum erigendam.

XXXVII. Iſtorum omnium beneficiorum nulla alia eſt cauſa impulſiva, quam mera gratia & veracitas promiſſionum Dei, v. 42.

*Ratio.* Quia nemo poteſt quidquam dare Deo, ut ipſi reddatur, Rom. 11. 35.

XXXVIII. Ex eadem gratia, qua incepit bonum ſuum opus erga nos, idem etiam perficiet, v. 43, 44. Phil. 1. 6

*Ratio.* Quia perfectionem iſtam præcipue intendit, promiſit, & illo principio quaſi arrha confirmavit.

XXXIX. Finis omnium eſt, ut credentes in Deum, nos totos addiceremus obſervantiæ ejus, ſecundum verbum ipſius, v. ult.

*Ratio.* Quia hæc eſt gratitudo noſtra: & ex hac pendet tam ſalus noſtra, quam gloria Dei.

## PSALMUS CENTESIMUS SEXTUS.

H*Alelu-Iah. Celebrate Iehovam, quia bonus* eſt; *quia in ſeculum benignitas ejus.*

2. *Quis eloquatur ſummam potentiam Jehovæ? efferat totam laudem ejus?*

3. *O beatos, qui obſervarent rationem* hanc, *qui exercerent juſtitiam quovis tempore.*

4. *Recordare mei Jehova, pro benevolentia qua proſequeris populum tuum, viſita me ſalute tua:*

5. *Ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum poſſeſſione tua.*

6. *Peccavimus cum majoribus noſtris; inique fecimus, improbe egimus.*

7. *Majores noſtri in Ægypto non intellexerant mirabilia tua opera, non recordati fuerunt amplitudinis benignitatem tuarum, ſed occaſionem dederant mutandi eas ad mare, ingreſſuri mare algoſum.*

8. *Attamen ſervavit eos propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam.*

9. *Nam ipſo increpante mare algoſum, exſiccatum eſt; & deduxit eos per abyſſos ejus, quaſi* per *deſertum.*

10. *Ita ſervans eos à manu oſoris, vindicavit eos à manu inimici.*

11. *Operuerunt vero aquæ hoſtes eorum, unus ex illis non eſt relictus* ſuperſtes.

12. *Quamvis crediſſent verbis ejus, cecinissent laudem ejus:*

13. *Feſtinanter obliti ſunt operum ejus, non perdurarunt ad conſilium ejus.*

14. *Sed ducti concupiſcentia in deſerto tentaverunt* Deum *fortem in ſolitudine:*

15. *Adeo ut tradens illis quod petebant, immitteret maciem in illos ipſos.*

16. *Poſtea invidentibus Moſchi in caſtris, Aharoni ſancto Jehovæ;*

17. *Aperiens se terra deglutivit Dathanem, & operuit cœtum Abirami:*
18. *Exardescensque ignis in cœtum illorum flamma incendit improbos.*
19. *Fecerunt vitulum Chorebi & incurvaverunt se* exhibentes honorem *fusili.*
20. *Et mutantes honorem suum, in formam bovis comedentis herbam:*
21. *Obliti sunt Dei fortis servatoris ipsorum; qui fecerat* res *magnas in Ægypto.*
22. *Mirabilia opera in regione Chami, terribilia ad mare algosum.*
23. *Quamobrem dixerat se perditurum eos: nisi Moschæ electus ipsius constitisset in irruptione illa coram ipso, ad avertendum excandescentiam ipsius, ne perderet.*
24. *Spreverunt quoque terram desiderabilem, non credentes verbo ejus:*
25. *Et murmurantes in tentoriis suis, non auscultarunt voci Jehovæ.*
26. *Quapropter sublata manu sua* juravit *eis, se dejecturum eos in ipso deserto.*
27. *Etiam dejecturum semen eorum in gentibus, & dispersurum eos in regionibus.*
28. *Præterea copulaverunt se etiam cum idolo Pehoris, & comederunt sacrificia mortuorum;*
29. *Adeo provocantes* Deum *ad*indignationem factis suis, ut irrumperet in eos plaga;*
30. *Donec consistente Pinchaso & judicium exercente, coercita esset plaga illa:*
31. *Quod reputatum est ei ad justitiam; per quamque generationem usque in seculum.*
32. *Item ferventem iram concitarunt ad aquas contentionis; ita ut male fuerit Moschi propter ipsos:*
33. *Quum exacerbantibus illis spiritum ipsius, pronunciasset labiis suis* exacerbationem suam.
34. *Non perdiderunt populos illos, de quibus edixerat Iehova ipsis:*
35. *Sed commiscentes se cum illis gentibus, didicerunt opera earum;*
36. *Colueruntque terricula earum, quæ ipsis fuerunt in tendiculam.*
37. *Nam sacrificaverunt filios suos filiasque suas dæmonibus:*
38. *Et effuderunt sanguinem innoxium, sanguinem filiorum suorum, filiarumque suarum quas sacrificabant terriculis Cenahanæorum; adeo ut contaminata esset terra cædibus istorum.*
39. *Et polluerunt se operibus suis; actionibus suis scortantes.*
40. *Quapropter accensus ira Jehova in populum suum; abominatus est possessionem suam:*
41. *Adeo ut traderet eos in manum gentium, ut dominarentur in eos osores eorum:*
42. *Et opprimentibus ipsos inimicis suis, deprimerent se sub manu eorum.*
43. *Multoties eripuit eos; quamvis ipsi exacerbassent eum consilio suo & attenuati essent propter iniquitatem suam;*
44. *Respiciens ad angustiam eorum, audito clamore eorum.*

45. Et

45. *Et recordantem pro eis fœderis ſui pœnituit ipſum pro amplitudinem benignitatum ſuarum:*

46. *Adeo ut conciliaret illis miſericordiam, coram omnibus qui captivos detinebant eos.*

47. *Serva nos Iehova, Deus noſter, & congrega nos ex iſtis gentibus; ad celebrandum nomen ſanctum tuum, & laudationibus commendandum nos in laude tua.*

48. *Benedictus Jehova Deus Iſraëlis inde à ſeculo uſque in ſeculum; & dicat totus populus, amen, halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

PSalmus hic ſcriptus fuit nomine populi Dei, in captivitate ac diſperſione miſera verſantis, ſicut apparet ex v. 47. Non tamen neceſſe eſt, ut referatur tantummodo vel ad captivitatem Babylonicam, vel ad diſſipationem ab Antiocho factam; ſed habendus eſt potius pro forma deprecationis à Davide præſcripta & parata in omnem occaſionem hujuſmodi calamitatis, ſicut apparet ex comparatione hujus verſiculi cum 1 Chron. 15. v. 35. Eodem etiam verſu ſcopus ejus indicatur, petitio ſcilicet gratioſæ liberationis ab hac maxima calamitate. Quæ petitio generaliter ibi ſuadetur ab effecto & fructu ex liberatione conſecuturo, in celebratione nominis Dei, ibid.

1. Ad hoc autem officium præſtandum, ut paratos ſe oſtendant fideles, & ſimul fiduciam indicent qua votum hoc faciunt, jam in ipſa calamitate excitant ſemetipſos & alios ad Deum omni modo glorificandum, tam in principio, quam in fine Pſalmi, v. 1. & 48. Quæ Dei glorificatio amplificatur ab imparitate hominum ad illam condigne præſtandam, verſ. 2. & illuſtratur etiam à beatitudine eorum qui aliquo modo condigne hoc faciunt, verſ. 3. Ubi etiam notatur qualitas illa ſpecialis quæ requiritur ad condignam hujus officii præſtationem, conſtans nempe integritas vitæ & converſationis, verſ. 3. 2. Huic profeſſioni pii ſtudii erga laudem Dei, ſubjungitur petitio miſericordiæ generaliter propoſita, quæ illuſtratur & confirmatur non tantum fructu inde conſecuturo, ſed etiam comparatione paris miſericordiæ conſtanter à Deo exercitæ erga populum ſuum, v. 4. 5. 3. Hæc comparatio miſericordiæ præſtitæ & petitæ, una cum ejuſdem miſericordiæ implicita celebratione, fuſe explicatur, à v. 7. ad 48.

Vis & ſumma totius hujus comparationis talis eſt: majoribus noſtris, quamvis graviſſime adverſus te peccarant, multoties miſericordam & ſalutem præſtitiſti: cum fiducia igitur petimus, ut nobis etjam, quamvis graviſſime adverſus te peccavimus, ſimilem miſericordiam ac ſalutem præſtare digneris.

Argumentationis hujus pars antecedens tractatur per inductionem vel enumerationem variorum atrocium peccatorum à majoribus admiſſorum quibus non obſtantibus, Dei erga ipſos miſericordia conſtans manebat. Peccatum fuit rebellio ad mare rubrum, quæ oblivione eorum, quæ contrarium ſuadebant, tanquam cauſa illuſtratur, v. 7.

Hujus peccati condonatio, & opposita liberatio declaratur primo à causa impulsiva, quæ fuit nomen Dei, & à miraculoso suo modo amplificatur, v. 8, 9, 10, 11. & effecto fidei cujusdam ac laudis illustratur, v. 12. 2. Peccatum fuit murmur ob defectum aquæ & cibi concupiti. Quod illustratur & causa sua, oblivione cito redeunte, v. 13. & suo loco, modoque, vers. 14. & etiam effecto consequente, vers. 15. 3. Fuit seditio Korachi cum sociis: quod etiam illustratur à causa, *invidia*, ejusque objectis, *Mose*, *Aarone*, v. 16. & effecto, in extraordinaria pœna divinitus inflicta, v. 17, 18. 4. Fuit idololatria circa vitulum aureum, v. 19, 20. Cujus causa notatur eadem, quæ priorum, oblivio, vers. 21, 22. & effectum, periculum maximum totalis perditionis: cujus etiam avertendi medium declaratur, vers. 23. 5. Contemptus pretiosissimarum Dei promissionum, v. 24, 25. Cujus effectum fuit severa sententia in ipsos & posteros lata, v. 26, 27. 6. Scortatio & idololatria Moabitica, v. 28. Cujus effectum fuit extraordinaria plaga. v. 29. quæ vix tandem sisti potuit extraordinario zelo & facto Pinchasi, scelus illud vindicante, vers. 30. quod approbatione Dei illustratur. v. 31. 7. Murmur ob defectum aquæ ad Meribam: quod suis effectis illustratur, ira Dei scilicet justa, & Mosis culpabili indignatione, v. 32, 33. 8. Inobedientia ipsorum circa Cananæos, quæ suis partibus declaratur, quod ipsos non deleverint secundum Dei mandatum, v. 34. quod affinitatem cum ipsis contraxerint, v. 35. quod inde prolapsi sint in turpissimam idololatriam, v. 35, 36, 37, 38, 39. Illustratur etiam. 1. Effecto suo, ira scilicet Dei, & traditione ipsorum in potestatem hostium suorum, v. 40. 41, 42, & 2. eventu omnibus istis demeritis opposito, qui in tota hac enarratione præcipue spectatur, liberatione scilicet ex istis calamitatibus quas accerciverant sibi suis peccatis. Quæ liberatio illustratur, 1. illa ipsa oppositione reatus maximi, v. 43. 2. Adjuncta ejusdem iteratione varia, ibid. 3. Causis administrantibus, ipsorum nempe precibus, v. 44. 4. Causa principali, benignitate & fide Dei, qua factum est, ut fœdus suum perficeret, non obstantibus ipsorum peccatis, v. 45. 5. Modo ejus singulari, commutatione scilicet odii hostium in favorem quemdam erga ipsos.

Sic fuit antecedens pars principalis argumentationis vel suationis hujus Psalm. Pars consequens inde deducitur, v. 47. Si conjungatur cum v. 6. Ergo quamvis nos gravissime peccavimus in te, cum fiducia tamen misericordiæ petimus liberationem à calamitate præsenti.

## DOCUMENTA.

I. Celebrandus est Deus, propter bonitatem ejus, v. 1.

*Ratio.* Bonitas enim est formale objectum aut ratio amoris, gaudii, delectationis, gratitudinis & spei, qui sunt affectus illi ex quibus laus ac celebratio omnis promanat. Est etiam causa impulsiva, merito suo provocans ad hoc officium præstandum.

II. Constantia hujus bonitatis singularem vim habet in hoc officio proliciendo.

*Ratio.* Quia constantia bonitatis hujus

hujus perfectam eam reddit, laudem ac celebrationem facit conſtantem, & in omni conditione materiam & occaſionem ſuppeditat hujus officii præſtandi.

III. Inſufficientiam noſtram, ad Deum convenienter & condigne celebrandum, debemus quidem agnoſcere; ita tamen ut non deſiſtamus propterea ab iſto conatu, ſed eo magis annitamur, v. 2.

*Ratio*. Quia hoc eſt admirationis, humilitatis, & ſtudii perfectionis.

IV. Ad convenientem Dei celebrationem requiritur conſtans integritas vitæ & converſationis, v. 3.

*Ratio*. Quia in eo efficacia amoris Dei conſiſtit, virtutes ejus quaſi in imagine vel ſimulachro ſimul repræſentantur, & gloria ejus efficaciter apud alios promovetur.

V. Ad hanc integritatem adſpirandum eſt tanquam ad beatitudinem noſtram, ibid.

*Ratio*. Quia beatitudinem habet annexam: & hujus beatitudinis intuitu ſuperantur omnes oppoſitæ difficultates: neque eſt genuina obſervantia, niſi ſub illa ſpe exerceatur.

VI. Ex vera celebratione bonitatis Dei, ſequitur efficax ejuſdem imploratio, ex v. 4 cum anteced.

*Ratio*. Bonitas enim celebrata excitat fidem, ſpem, charitatem ex quibus oratio procedit; & celebratio bonitatis eſt argumentum ſuadens ejuſdem communicationem, quatenus ratio & finis eſt propter quem communicatur.

VII. In imploratione bonitatis Dei, revocandum eſt in memoriam, quomodo illa communicari ſolet populo Dei, ex v. 4.

*Ratio*. Quia hoc pacto, fiducia ac ſpes confirmatur, tentationes retunduntur, & deſideria vaga in ordinem rediguntur.

VIII. Si ſperemus eandem bonitatem cum populo Dei; ſimul etiam anniti debemus, ut eandem etiam gratitudinem præſtemus, ex verſ. 5.

*Ratio*. Sic enim induimus animum & perſonam populi Dei, ut eorum privilegia nobis applicare poſſimus.

IX. Cum imploratione miſericordiæ Dei, conjungenda eſt ſeria confeſſio peccatorum noſtrorum, verſ. 6.

*Ratio*. Hinc enim oritur, 1. Humilis demiſſio noſtrûm ipſorum, utpote qui indigni ſumus bonitate Dei. 2. Amplificatio bonitatis Dei, quæ tam indignis communicatur. 3. Amotio impedimenti quod ſolum obſtat illius bonitatis communicationi: per condonationem ſcilicet, quæ promittitur iis qui peccata ſua confitentur. 4. Profeſſio ac votum gratitudinis ac emendationis vitæ.

X. Juvat etiam aliorum peccata in memoriam revocare, præcipue eorum quibuſcum ſingularem conjunctionem habemus, v. 6, 7, &c.

*Ratio* 1. Quia quatenus ad nos per aliquam communicationem ſpectant, ſunt à nobis confitenda. 2. Quia quatenus à Deo fuerunt condonata, faciunt ad ſpem noſtram confirmandam. 3. Quia commemoratio illius condonationis facit etiam ad celebrationem bonitatis Dei.

XI. Peccatorum cauſa (culpam non extenuans ſed augens) eſt, quod nolint homines intelligere & in memoria retinere opera Dei, v. 7.

*Ratio.* Quia tollit causas ad fidem & obedientiam impellentes, & peccatum prohibentes, veram scilicet apprehensionem majestatis, potentiæ, justitiæ, misericordiæ, & fidelitatis Dei. Continet etiam in sese vilipendium & contemptum quendam Dei ac operum ejus: occasionem denique præbet aliis Dei nomen blasphemandi.

XII. Ex hac privatione intelligentiæ & recordationis debitæ, fit ut homines ex qualibet occasione facile rebellent adversus Deum, ibid.

*Ratio.* Quia semetipsos inermes exponunt omnibus tentationibus Diaboli, ut ab ipso ducantur in omnem peccati abyssum.

XIII. Gravissima istiusmodi peccata non semper impediunt, sed sæpe illustrant gratiam & misericordiam Dei erga populum suum, vers. 8.

*Ratio.* Quia Deus vult decretum suum & opus inceptum de salute suorum perficere: & hac ratione ostendit gratiæ erga populum suum immensitatem, quælibet obstacula, quamvis maxima fuerint, superantem.

XIV. Hujusmodi salutis unica ratio est gloria nominis divini, ibid.

*Ratio.* Quia in talibus peccatoribus nulla potest esse causa aut ratio tanti boni, sed occasio tantum & materia superabundantis gratiæ in abundante peccata reperitur. Nomen tamen Dei, quod super tales invocatur, non debet prostitui opprobriis impiorum.

XV. Quando gloria nominis divini hoc postulat, naturæ ordo miraculose mutatur, vers. 9, 10, 11.

*Ratio.* Quia totus ordo naturæ pendet ex imperio Dei, & dirigitur ab ipso ad gloriam nominis sui:

XVI. In istis miraculis, præcipue spectanda nobis proponitur efficax Dei potentia, & providentia, in Ecclesia liberanda, & hostibus ejus perdendis, ibid.

*Ratio.* Quia manifestatio istorum est finis hujus dispensationis, & per eorum agnitionem gloria debita tribuitur Deo, & simul etiam ipsimet ædificamur.

XVII. Istiusmodi operibus Dei singulariter ædificari debemus in fide, vers. 12. in principio.

*Ratio.* Quia in illis per modum experientiæ, attestationem habemus sufficientiæ & efficientiæ Dei, id est, omnipotentiæ, bonitatis, & veracitatis ejus, secundum verbum cui fides est adhibenda.

XVIII. Fides ista facit nos Deo gratos, & promptos ad nomen ejus laudandum, ibid. in fine.

*Ratio.* Quia benignitatem Dei in cordibus nostris diffundit, ut eadem serio afficiamur.

XIX. Tanta est corruptio & perversitas hominum, ut illam ipsam Dei benignitatem, quam sunt experti, crediderunt, & laudarunt, facile tradant oblivioni, v. 13. in principio.

*Ratio.* Quia fides illa vel non est satis radicata, vel pro tempore obruitur perturbationibus pravis, vel denique non satis excolitur frequenti recordatione.

XX. Oblivionis hujus effectum & signum certum est, si non constanter, & patienter pendeamus à Deo, & opem ejus secundum consilium ipsius expectemus, v. 13. in fine.

*Ratio.* Quia fidei vivæ effectum

&

& ſignum certum eſt ſpes conſtans, in patientia & ſilentio perdurans.

XXI. Eadem oblivio Dei, & operum facit ut ejus indulgeamus cupiditatibus quibuſlibet in ordinatis, ex v. 14.

*Ratio* 1. Quia per illam oblivionem ſcutum fidei deponitur, ita ut pateamus omnibus ignitis jaculis tentationum. 2. Quia fide vel deficiente, vel non vigente, creſcit vis cupiditatum pravarum, & graſſantur tanquam feræ beſtiæ è vinculis ſolutæ. 3. Quia Deus arcano judicio, ſæpe contemptores tales tradit cupiditatibus cordium ipſorum.

XXII. Cupiditates iſtæ pravæ deducunt homines ad Deum tentandum, ibid.

*Ratio* 1. Quia ex fidei defectu oriundæ, infidelitatem habent comitantem eamque alunt, unde fit, ut verbo Dei neglecto, tales homines pro libidine ſua agant cum Deo, quaſi experimentum ejus quærentes. 2. Quia dum hoc modo opponunt ſeſe Deo, quaſi directe provocant eum ad iram, & ſic per interpretationem dicuntur experiri, utrum ipſos pro meritis punire velit, necne, 1 Cor. 10. 9, 10.

XXIII. Quod per inordinatæ tentationis deſiderium petitur à Deo, id aliquando petentibus largitur, v. 15.

*Ratio*. Quia ſic placet ipſi aliquando infidelitatem hominum refutare. Sic etiam abundans benignitas Dei nonnunquam declaratur, impietatem & inobedientiam eorum ſuperans, qua deduci poſſint ad reſipiſcentiam. Sic demum fideles ac pii ædificari poſſint ad Deum, ſecundum voluntatem ejus, cum cum magna ſpe quærendum.

XXIV. Talibus Dei donis maledictio quædam ſolet adhærere, ib.

*Ratio* 1. Quia dantur in ira, Hoſ. 13. 11. 2. Quia alias confirmarentur impii in ſua impietate. 3. Quia ſic erudiuntur homines ut magis pendeant ex Deo quam ex donis ejus.

XXV. Ex eadem oblivione Dei & operum ejus procedit invidia, conſpiratio, & ſeditio adverſus legitimos magiſtratus & miniſtros Dei, verſ. 16.

*Ratio* 1. Quia hæc peccata proveniunt ex ſuperbia, qua putant invidi nemini potius quam ſibi deberi honores. Hæc autem ſuperbia facile retunderetur, ſi vel gratuitorum Dei beneficiorum, vel graviſſimorum judiciorum ejus memores eſſent. 2. Quia dum opponunt ſe iſtiuſmodi hominibus, opponunt ſeſe Deo, à quo ſegregati ſunt ad talia munera ſuſtinenda, inde illud in textu, *invidebant, Aharoni ſancto Iehovæ*, Numer. 16. 11. 1 Sam. 8. 7. 3. Quia pulcherrima Dei opera, & cætororum finem, Eccleſiæ ſcilicet ac Reipublicæ ordinem, una cum omnibus fructibus ejus conantur perturbare.

XXVI. Iſtiuſmodi peccata horrendis modis à Deo puniuntur, v. 17, 18.

*Ratio* 1. Quia non ex infirmitate aut errore, ſed ex præſumptione, elata manu patrantur. 2. Quia talia peccata eo directe tendunt, ut totum populum non vulgari contagione inficiant tantum, ſed adverſus Deum excitent: quod horrore & atrociſſima pœna fuit animadverſum. 3. Quia latam portam aperiunt omni generi peccatorum.

XXVII. Turpissima & sceleratissima Dei oblivio est, quando populus ejus projicit se ad idololatriam, v. 19. cum 21.

*Ratio* 1. Quia in hoc peccato disceditur non à voluntate Dei sola, sed ab ipso Deo, per singularem desertionem. 2. Quia honor Deo debitus non tantum ipsi negatur, sed rei vili defertur, idque coram ejus facie. 3. Quia fœdus Dei hoc peccato directe violatur in ipso fundamento suo primario, ita ut plenam contineat abnegationem Dei. 4. Quia hæc est diabolica quædam ars obliviscendi Deum, cum aliud aliquid substituunt homines in locum Dei, quasi non amplius opus haberent Deo.

XXVIII. Idololatræ, per suam idololatriam, non tantum Deum, sed & semetipsos omni gloria privant, ac viles reddunt, v. 20.

*Ratio* 1. Quia in eo ipso, in quo sapientes videri volunt, sunt omnium hominum maxime stulti, dum Deum imagine repræsentare volunt, Rom. 1. 21, 22, 23. Iesa. 44. 13, 14. 2. Quia summam Dei gloriam & majestatem stulte minuunt ac lædunt, in illo ipso actu, quo eum colere volunt, dum cultum ei offerunt non tantum voluntati, sed & naturæ ejus adversum. 3. Quia pro eo quod gloriari debeant in communione cum Deo, gloriam suam collocant in re vili. 4. Quia per istas imagines idololatricas, crassi & sordidi conceptus de summa Dei majestate animis hominum ingenerantur.

XXIX. Istiusmodi peccatoribus imminet semper horribilis ira Dei ad ipsos perdendos, v. 23.

*Ratio* 1. Quia peccatum idololatriæ in populo Deo, est quasi adulterium spirituale, quod magis directe provocat zelotypiam vel zelum iræ, quam alia peccata. 2 Quia gloria Dei, quæ in illo peccato tam nefarie violatur, in talium peccatorum perditione, à contumelia & contemptu congruenter vindicatur, Lev. 10. 3.

XXX. Efficax medium iræ hujus avertendæ sunt fervidæ preces piorum & Deo gratorum, v. 23.

*Ratio* 1. Quia in ipsorum confessionibus, humiliationibus, & deprecationibus læsa Dei gloria aliquo modo reparatur. 2. Quia ex gratia Dei acceptantur istæ preces quasi essent eorum qui peccarunt, secundum sanctorum communionem. 3. Quia in ipsis Spiritus sanctus interpellat, & Christus intercedit.

XXXI. Consummatio quædam oblivionis Dei & operum ejus apparet in contemptu promissionum ejus, v. 24.

*Ratio* 1. Quia summus gradus est infidelitatis, sicut observatur in fine vers. 24. *non credentes verbo ejus.* 2. Quia peccatum hoc est ingratitudinis adversus summam lucem & gratiam; *terram desiderabilem.* Ibidem. 3. Quia conjungitur cum magna contumelia & irrisione Dei, quasi vel promitteret suis res nihili vel verba tantum ipsis daret. *Murmurantes in tentoriis suis,* versiculo 25. 4. Quia secum infert omnimodam inobedientiam erga mandata Dei, v. 25. *non auscultarunt voci Iehovæ.*

XXXII. Contemptus iste promissionum Dei inevitabilem accersit Dei vindictam, versiculo 26.

*Ratio* 1.

*Ratio* 1. Quia per illum impletur menſura peccati, quam è veſtigio ſequitur vindicta, Matth. 24. 32. 34. 2. Quia magna obduratio cordis comitatur iſtum contemptum gratiæ, Hebr. 3. 15. 3. Quia gratia Dei contempta, nullus locus amplius relinquitur ejus efficaciæ, atque adeo fruſtra diutius exhiberetur talibus peccatoribus. Nihil igitur ipſis reſtat præter iram, Rom. 2. 4, 5. 4. Quia æquitas & juſtitia poſtulat, ut illi qui Deum contemnunt, ab ipſo contemnantur, 1 Sam. 2. 30. Pſalm. 18. 27.

XXXIII. Vindicta iſta Dei tranſit ſæpe ad poſteros contemptorum Dei, v. 27.

*Ratio* 1. Quia peccatum parentum tranſit ſæpe ad ipſos per approbationem & imitationem, Matth. 24. 32. 2. Quia parentes puniuntur in ipſis, quatenus ſunt aliquo modo partes parentum. Sic igitur pœnæ, quas ipſi ſunt meriti, infliguntur illis, ut reflexionem habeant etiam ad merita parentum. 3. Quia peccata parentum quamvis non ſint cauſæ meritoriæ pœnæ infligendæ poſteris, ſunt tamen occaſio ejuſdem accelerandæ, & hoc aut illo modo infligendæ. 4. Quia hæc diſpenſatio pertinet ad gloriam juſtitiæ Dei, & hominum admonitionem per exemplum, Matth. 24. v. 25.

XXXIV. Nulla denunciatio judiciorum Dei ſufficit ad improbos ita corrigendos, quin ex occaſione tentationis novæ, revertantur ad ſuam improbitatem, ex v. 28.

*Ratio* 1. Quia terrores per ſe non mutant cor hominis, aut improbitatem internam tollunt, ſed reprimunt tantum. 2. Quia illi terrores tanquam ingrati affectus facile deponentur, & oblivioni traduntur. 3. Quia peccatum hunc in modum repreſſum ſi non mortificetur, poſtea majore cum violentia erumpit.

XXXV. Illecebræ carnalium voluptatum deducunt homines ad hujuſmodi apoſtaſiam, ibid.

*Ratio* 1. Quia ſic occupant animos hominum, ut timorem Dei vel expellant vel extinguant. 2 Quia ſic homines illis deditos inebriant, & auferunt ipſis cor, ut qualibet occaſione poſſint huc atque illuc impelli pro libitu tentatoris. 3. Quia maxima ex parte ſocios habent in illis voluptatibus, à quibus deducuntur in tentationes, quaſi boves ad mactationem: ſicut Madianiticæ mulieres Iſraëlitas in hoc peccatum deduxerunt.

XXXVI. Quoties redeunt homines ad ſua peccata, toties imminent ipſis judicia Dei, verſic. 29.

*Ratio* 1. Quia ex juſtitia Dei, pœna ſic annectitur peccato, ut qui huic indulget, illam non poſſit declinare. 2. Quia juſtitia non debet à peccato fatigari, ſed peccatum ab illa ſuperari. 3. Quia hac ratione præparantur homines ad reſipiſcentiam veram.

XXXVII. Optimum remedium eſt, ad judicia Dei graviora antevertenda, ſi judicium ab hominibus adverſus peccata rite exerceatur, v. 30.

*Ratio* 1. Quia ſic apparet, quoſdam ſaltem ſtare à partibus Dei. 2. Quia nomen Dei hoc pacto à contemptu vindicatur. 3. Quia aliqua emendatio ſolet hac via procurari.

XXXVIII.

XXXVIII. Quamvis aliquando hæc judicia exerceantur extraordinario modo, à Deo tamen singulariter approbantur, v. 31.

*Ratio* 1. Quia proveniunt ex zelo pio. 2. Quia gloriam Dei singulariter defendunt. 3. Quia nonnunquam singulares impulsus & instinctos à Deo ipso hominibus immittuntur ad talia facienda.

XXXIX. Iterationem peccati idololatriæ consequitur ex qualibet occasione iteratio contentionis adversus Deum, vers. 32.

*Ratio* 1. Quia unus & idem fons est utriusq; peccati, infidelitas nempe cordis, qua fit ut non pendeant homines ex verbo Dei. 2. Quia propter idololatriam deseruntur homines à Deo, & in reprobum sensum traduntur.

XL. Perversitas ista peccatorum sic aliquando perturbat optimos Dei servos, ut ex occasione ejus peccent in Deum, versiculo 32, 33.

*Ratio* 1. Quia ex zelo erga Deum, & peccati detestatione, immodice nonnunquam irascuntur. 2. Quia sic defixi sunt animi eorum peccatorum atrocitate, & peccantium indignitate, ut non satis attendant ad misericordis Dei promissiones. 3. Quia ex hac ira & incredulitate, præpostere & inordinate officium illud faciunt quod ipsis incumbit. Tria hæc de Mose observantur in textu.

XLI. Istiusmodi peccata piorum imputantur eis, qui occasionem ipsis præbent, vers. 32. *propter ipsos*, Deut. 1.37. & 3. 26.

*Ratio* 1. Quia efficax occasio peccati, est scandalum datum. 2. Quia occasio hunc in modum efficax apud pios, est scandali excessus aut summus gradus. 3. Quia pii hunc in modum peccantes, peccant ex infirmitate: qui autem illos eousque offendunt, peccant ex summa improbitate.

XLII. Quamvis istiusmodi peccata piorum aliis præcipue imputentur, ipsimet tamen idcirco non excusantur; sed propter illa temporalibus judiciis castigantur, v. 32. *male fuit Mosi*.

*Ratio* 1. Quia non coguntur ab aliis ad peccandum, sed sponte sua eo prolabuntur. 2. Quia illi, quos Deus singulari gratia & honore affecit, singulariter obligantur ad nomen Dei coram aliis, etiam improbis peccatoribus sanctificandum, Num. 20. 12. 3. Quia dum tales admittunt scandalum ab aliis datum, ita ut ad peccandum ab ipsis impelli se permittant, scandalum non leve vicissim ipsis & aliis præbent. 4. Quia in aliorum exemplum judicium sæpe incipit à domo Dei, 1 Pet. 4. 17.

XLIII. Qui peccatis indulgent non facile adducuntur ad peccata in aliis, secundum voluntatem Dei, punienda, v. 34.

*Ratio* 1. Quia odio & zelo adversus peccatum non feruntur. 2. Quia Dei voluntatem non tanti faciunt, ut propter eam inimicitias & odia hominum capessere ac pericula subire velint. 3. Quia consilia & affectus suos sequi amant, & illis sunt assueti: quod dum aliis parcunt faciunt sub humanitatis ac clementiæ specie & colore.

XLIV. Peccatur in eo graviter, si homines parcant eis, quibuscum Deus vult ut severe agatur, ibid.

*Ratio* 1. Quia inobedientia non minor

minor eſt in mollitie diſſoluta, quam in nimio rigore. 2. Quia juſtitia Dei, in tali vindicta adverſus peccatores tales ſtatuenda, hoc pacto damnatur. 3. Quia fructus illi, ad quos illa juſtitia tendit, hac ratione impediuntur.

XLV. Familiaris cum impiis converſatio (quæ eandem mollitiem & negligentiam comitatur) res eſt admodum diligenter cavenda, v. 35, 36.

*Ratio* 1. Quia ſic obdurantur impii in ſua impietate. 2. Quia impietatis contagium hoc pacto in alios dirivatur, verſ. 35. in fine. 3. Quia hoc pacto ſingulariter implicantur homines in peccato uſque ad mortem, ita ut non poſſint ſeſe expedire, verſ. 36. in fine. Exod. 22. 33.

XLVI. Per iſtos gradus eo uſque procedunt homines aliquando, ut maxima ſcelera (homicidia & parricidia) patrent ſub ſpecie religionis, v. 37, 38.

*Ratio* 1. Quia peccati conſcientia adigit ipſos ad quidlibet externum tentandum, ut illo reatu liberentur: & hujuſmodi facinora ſpeciem habent apud illos, qui verbo Dei neglecto, ſuo arbitrio feruntur, Mich. 6. 7. 2. Quia in hunc veſanum furorem aguntur ab illo qui à principio fuit homicida, Joh. 8. 44.

XLVII. Hujuſmodi peccatis non perſonæ tantum peccantium, ſed tota terra contaminatur, v. 38, 39.

*Ratio* 1. Quia ubi talia peccata vel regnant vel tolerantur, ibi omnes fere eorum participes fiunt per aliquam communicationem. 2. Quia talia peccata quando publica fiunt, publica Dei judicia accerſunt adverſus populum totum.

XLVIII. Propter iſtiuſmodi peccata Deus abominatur populum ſuum, adeo ut tradat ipſos in poteſtatem oſorum ſuorum, v. 40, 41, 42.

*Ratio* 1. Quia turpitudo talium peccatorum poſtulat, ut authores eorum à ſancta & gratioſa Dei præſentia, vel conſpectu, removeantur. 2. Quia æquum eſt, ut qui Deo ſervire recuſant, ſubjiciantur ſervituti hoſtium ſuorum, Deut. 28. 47, 48. 3. Quia juſtum eſt, ut qui conjungunt ſe cum impiis, diſcentes opera eorum, experiantur etiam quomodo ſint erga ipſos affecti. 4. Quia plus quam æquum & juſtum eſt, ut qui ſubjiciunt ſeſe idolis gentium, gentibus ipſis ſubjicerentur. 5. Quia lex talionis eſt, ut qui crudelitatem exercent, crudeliter ab eis tractentur, à quibus illam didicerunt.

XLIX. Miſericordia illa Dei, qua tales peccatores ex tam juſtis preſſuris eripit non ſemel tantum, ſed multis vicibus ſingulariter obſervari & glorificari debet, ex v. 43.

*Rat.* 1. Quia hac iterata indulgentia liberationis tam magnitudo, quam multitudo, atque adeo divinarum miſerationum amplitudo apparet, Pſ. 51. 3. 2. Quia ſimul apparet invicta ſtabilitas ejuſdem miſericordiæ, quæ peccatis toties iteratis non fatigatur. 3. Quia hæc miſericordia eſt accommodatiſſima ad ſpem ingenerandam illis, qui ſæpius in eadem peccata reciderunt.

L. Hæc Dei erga nos indulgentia, ex ipſius benignitate & fide ſola procedit, v. 44, 45.

*Ratio* 1. Quia non tantum eſt ſupra, ſed etiam contra demerita

noſtra.

nostra. 2. Quia fructus & effectum est promissionis gratuitæ. 3. Quia finis ejus est manifestatio bonitatis & veracitatis Dei.

LI. Quando Deus vult misericordiam erga suos exercere, solet ipsis nonnunquam misericordiam apud homines qualescunque conciliare, v. 46. Prov. 16. 7.

*Ratio* 1. Quia sic providentiam suam facit illustrem, Prov. 21. 1. 2. Quia suaviter consulit suis, dum eosdem homines efficit misericordiæ suæ erga ipsos instrumenta, qui antea fuerunt instrumenta iræ.

LII. Ab exemplis gratiæ Dei erga alios, fiduciam ac spem nostram in precibus piis confirmare possumus ac debemus, v. 47. cum anteced.

*Ratio.* 1. Quia in illis exemplis; gratia Dei ut sufficiens nobis demonstratur. 2. Quia in hunc ipsum finem illa sufficientia gratiæ ejus sub exemplis exhibetur, ut ad eandem cum fiducia confugiamus, Psalm. 34. 3, 6, 7. 3. Quia si hunc in modum apprehendamus istam gratiam, ut nobis omnisufficientem, & simul ad eandem piis precibus confugiamus, tum rite disponimur ad efficientiam ejus participandam.

LIII. Consolatio ista ex eo præcipue dependet, si Deum apprehendamus ut *Deum nostrum*, Ibid.

*Ratio* 1. Quia hic est genuinus actus fidei vel fiduciæ in Deo collocatæ, ut Dei misericordia nitentes, constituamus eum *Deum nostrum*. 2. Quia hoc est fundamentum omnis spei veræ, quod Deus sit noster aut pro nobis. 3. Quia hæc est summa fœderis divini, virtute complectens omnes promissiones Dei, quod velit esse *Deus noster*.

LIV. Ad eandem consolationem firmandam plurimum facit, si synceram intentionem habeamus, Deum in omnibus glorificandi, ibidem.

*Ratio* 1. Quia intentio illa quæ syncere dirigitur in Dei gloriam, non potest non à Deo probari & acceptari. 2. Quia hæc intentio arguit corda disposita & parata ad beneficentiam Dei non frustra recipiendam, sed cum fructu congruente. 3. Quia petitio in debitum finem directa efficax est coram Deo, Jacob. 4. 3.

LV. Ubi syncera est intentio Deum postea celebrandi, ibi in præsentiarum adest pius conatus idem præstandi, etiam in medio calamitatum & gravium ærumnarum, v. ult.

*Ratio* 1. Quia efficax intentio ex omni occasione mandatur exequutioni: & in medio calamitatum non deest occasio Deum laudandi. 2. Quia hac sola ratione placide expectatur optata liberatio. 3. Quia fides excitata simul intentionem illam parit, & certiorationem liberationis concedendæ.

## PSALMUS CENTESIMUS SEPTIMUS.

*Celebrate Iehovam, quoniam bonus* est, *quoniam in seculum benignitas ejus.*

2. *Prædicent redempti Iehovæ, quos redemit ab angustia;*

3. Quos *ex regionibus congregavit; ab oriente, & ab occidente; ab aquilone & à mari:*

4. Qui

4. Qui errarunt per deſertum, per ſolitudinem viæ; civitatem habitabilem non invenientes.

5. Famelici, etiam ſitibundi; in quibus animus ipſorum ſeſe obruebat:

6. Quum clamantes ad Iehovam in oppreſſione ipſorum; ex anguſtiis ipſorum eripuerit ipſos.

7. Et deduxerit ipſos per viam rectam; ut pervenirent ad civitatem habitabilem.

8. Celebrent apud Iehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia apud ejus filios hominum:

9. Eum ſatiare animam appetentem, & animam famelicam explere bono.

10. Qui ſident in tenebris & lethali umbra, vincti afflictione & ferro;

11. Quia dederunt occaſionem mutandi ſermones Dei fortis; & conſilium Excelſi ſpreverunt;

12. Quorum deprimit iſta moleſtia animum, qui labant nemine adjuvante:

13. Quum clamantes ad Jehovam in oppreſſione ipſorum, & anguſtiis ipſorum ſervaverit ipſos.

14. Eduxerit ipſos ex tenebris & umbra lethali, vincula ipſorum diruperit:

15. Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum;

16. Eum frangere valvas chalybeas & vectes ferreos ſuccidere.

17. Stulti qui propter viam defectionis ſuæ, & propter iniquitates ſuas affliguntur,

18. Quorum animus omnem cibum abominatur, qui pertingunt uſque ad portas mortis:

19. Quum clamantes ad Iehovam in oppreſſione ipſorum, ab anguſtiis ipſorum ſervaverit ipſos.

20. Mittens ſervum ſuum curaverit ipſos, & liberaverit à foveis ipſorum:

21. Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus & opera mirabilia ejus apud filios hominum;

22. Et ſanctificantes ſacrificia gratiarum actionis, enarrent opera ejus cum cantu.

23. Qui deſcendunt in mare navibus: exercentes artem in aquis amplis.

24. Ipſi qui vident opera Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo:

25. Quemadmodum edicens conſtituat ventum procelloſum, qui attollat fluctus illius:

26. Quemadmodum adſcendant ad cœlos, deſcendant ad abyſſos; anima ipſorum malo ſeipſam diſſolvat;

27. Titubent; ſeſe moveant tanquam ebrius; & tota peritia eorum abſorbeatur:

28. Quum clamantes ad Iehovam in oppreſſione ipſorum, ex anguſtiis ipſorum eduxerit ipſos,

29. Reſtituerit procellam malaciæ, ſilentibus fluctibus illarum aquarum.

30. Et

30. *Et lætantes ipsos, postquam conticuerint* fluctus; *deduxerit ad portum optatum:*

31. *Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum.*

32. *Exaltentque eum in congregatione populi, & in consessu seniores laudent eum.*

33. *Redigit flumina in desertum, & processus aquarum in siticulosum solum:*

34. *Terram fructuosam in salsuginosam, propter malitiam habitantium in ea.*

35. *Redigit desertum in stagnum aquarum, & terram siccaneam in processus aquarum.*

36. *Efficiens ut habitent ibi famelici, & constituant civitatem habitabilem,*

37. *Et consitis agris ac plantatis vineis, comparent proventum fructuosum.*

38. *Qui ita benedicit eis, ut multiplicentur valde: & jumenta eorum non minuit.*

39. *Ut* contra *minuuntur atque incurvantur, præ coarctatione mali & mærore;*

40. *Quum effundens contemptum super ingenuos, facit ut errent per inanitatem aviam:*

41. *Collocatque in edito egentem ab afflictione, & disponit tanquam gregem familias.*

42. *Videant recti & lætentur; omnis vero nequitia obdat ôs suum.*

43. *Quotus quisque sapiens est qui observet ista, ut animadvertantur benignitates Jehovæ.*

## ANALYSIS.

Hujus Psalmi scopus est excitare homines ad Deum glorificandum, de providentia ejus bona, quæ manifestatur in externa hominum conditione gubernanda. Exhortatio ipsa proponitur, v. 1, 2. Inculcatur, v. 8, 15, 21, 31. & urgetur, v. 43. Providentia Dei bona, qua res humanas gubernat, suis effectis variis declaratur, idque in duplici genere dispensationis. 1. In liberatione hominum ex variis & deploratis malis, ad v. 33. 2. In commutanda eorum conditione, vel à bona in malam, vel à mala in bonam, vel denuo à bona in malam, præter omnem expectationem hominum, secundum arbitrium suum, à v. 33. ad finem.

Liberationum exempla quatuor illustria proponuntur. Quarum prima est ab exilio, vel vaga peregrinatione cùm necessariorum omnium destitutione, à v. 2. ad 10. Secunda est à miseria captivitatis, v. 10. ad 17. Tertia est à tribulatione morborum, v. 17. ad 23. Quarta est à periculis naufragii in mari procellis magnis turbato, v. 23. ad 33. In singulis porro exemplis liberationes quædam singulariter notantur, quæ præcipue faciunt ad gratitudinem

nem in animis hominum excitandam, ut in primo exemplo, 1. Miſeriæ quibus exules & vagi homines homines ſubjiciuntur, verſ. 3, 4, 5. 2. Effectum earum, in Dei auxilio inclamando, v. 6. 3. Modus ipſius liberationis, v. 7, 9.

In ſecundo exemplo, 1. Miſeria captivorum, v. 10. 2. Cauſæ procurantes illius miſeriæ, verſ. 11, 12. 3. Effectum ejus in Dei auxilio implorando, v. 14. 4. Liberationis modus, v. 14, 16.

In tertio exemplo, 1. Miſeria graviter ægrotantium, v. 18 2. Cauſa ejus, verſ. 17. 3. Effectum in liberatione a Deo querenda, v. 19. 4. Modus liberationis, v. 20.

In quarto exemplo ſimiliter 1. Miſeria terribilis agitationis in mari turbato, v. 23. ad 28. 2. Effectum ejus in Dei ope imploranda, v. 28. 3. Modus liberationis, v. 29. 30.

Alterum genus gubernationis divinæ, in rebus humanis varie commutandis in habitudine terræ mutatæ declaratur, unde hominis conditio externa magna ex parte dependet.

Terræ autem mutatio eſt, 1. ex fertili in ſterilem, v. 33.34 cujus etiam cauſa notatur, v. 34. 2. A ſterili in fertilem, v. 35. Cujus effectum declaratur, mutatio ſtatus hominum, ab anguſtiis magnis, in abundantiam omnium neceſſariorum, v. 36, 37, 38. quæ oppoſitis malis illuſtratur, v. 39. 3. Similis commutatio rerum humanarum, declaratur in externa dignitate & exiſtimatione inter homines diſpenſata ex voluntate Dei, vel depreſſione ab honore in contemptum, vel evectione in honorem ex contemptibili conditione, v. 40, 41. Quæ ſuis effectis illuſtratur, v. 42.

## Documenta.

I. Deum ex omni occaſione celebrare debemus propter ejus bonitatem, ex v. 1.

*Ratio.* 1. Quia quotidie ex omni occaſione renovatur illa bonitas in ſuis effectis, & ſic aliquo modo nova facta, novam exigit gratiarum actionem, Pſal. 92. 3. 2. Quia iterata manifeſtatio bonitatis ejuſdem, conſtantiam ejus declarat. 3. Quia quoties iteratur ac manifeſtatur, toties pulſat corda noſtra, ut eliciat debitam gratiarum actionem.

II. Hæc celebratio debet eſſe confeſſio, ex voce ירה.

*Ratio.* 1. Quia pro neceſſario fundamento habet agnitionem propriæ noſtræ indignitatis ratione peccati, Pſal. 32, 5. 2. Quia eadem difficultate ſolet hominibus extorqueri, qua adigi ſolent ad genuinam & ſeriam confeſſionem peccatorum. 3. Quia hæc habet commune cum peccatorum confeſſione, quod ſit manifeſtatio veritatis in gloriam Dei, quæ facit ad noſtram ſalutem.

III. Iſta confeſſio imprimis fieri debet apud Deum, v. 8, &c.

*Ratio.* 1. Quia actus eſt religionis erga Deum, quo nomine vocatur in ſcripturis ſacrificium laudis, vel confeſſionis, Pſ. 50. 14. hujus Pſalmi v. 22. Heb. 13. 15. 2. Quia Deus ipſe finis omnium eorum, quorum eſt principium vel cauſa. Sicut igitur ab eo procedunt, ſic etiam ad eum debent redire, vel referri. 3. Quia bonitas Dei nobis manifeſtata eo ſemper tendit, ut magis magiſque trahat nos ad Deum, tan-

tanquam ad causam & fontem omnis boni appetendi, vel quærendi.

IV. Debet etiam fieri apud homines, ibid.

*Ratio.* 1. Quia pertinet ad gloriam Dei, ut bonitas ejus quam plurimis manifestetur. 2. Quia hoc est medium ad finem specialem hujus manifestatæ bonitatis obtinendum, hominum scilicet conversionem & ædificationem in pietate, Psalm. 65, 3. 3. Quia hoc pacto nosmetipsi magis excitamur, & juvamur in hoc officio præstando, vers. 32.

V. Confessio ista laudis singulariter debet præstari de *mirabilibus* Dei operibus, v. 8, &c.

*Ratio.* 1. Quia in istis plus potentiæ ac bonæ providentiæ apparet, vel saltem bona illa Dei providentia magis manifestatur, ac elucet in illis, quam in ordinario cursu rerum: quamvis eadem Dei manu omnia gubernentur. 2. Quia magis afficiuntur animi hominum mirabilibus istis, quæ superant eorum expectationem, quam vulgaribus illis quibus diu assuefacti fuerunt. 3. Quia proportio illa, quæ observari debet inter Dei beneficia & nostra officia, requirit, ut, pro extraordinariis & mirabilibus ejus beneficiis, extraordinariam & mirabilem gratitudinem præstemus.

VI. Ad istam confessionem religiose præstandam illi præcipue tenentur, qui mirabilem Dei providentiam ac bonitatem experti sunt erga sese, vers. 2. *redempti Jehovæ.*

*Ratio.* 1. Quia experimentalis illa cognitio bonitatis Dei magis penetrat magisque efficax est, atque adeo major aliquo modo existens, majorem infert obligationem. 2. Quia dum mirabiliter Deus quibusdam bene facit, eosdem singulariter compellat, realiter alloquitur, vocat & excitat ad benedictionem ipsi reddendam. Ex qua speciali vocatione, præ aliis obligantur ad hoc officium præstandum. 3. Quia illi, qui experti sunt Dei specialem bonitatem erga semetipsos, eadem affici & commoveri magis & solent & debent quàm alii, atque adeo aptiores ac paratiores præsumuntur ad debitam gratitudinem, quam meri spectatores.

VII. Mirabilem bonitatem providentiæ divinæ experiuntur homines in liberationibus suis ab omni genere malorum, a v. 3, ad 33.

*Ratio.* 1. Quia providentia ejus sufficiens & efficax declaratur, 1. In periculis illis, quæ oriuntur ex omnium rerum, & consilii omnis inopia. 2. In illis, quæ proveniunt ab hominum violentia & crudelitate. 3. In illis, quæ ab interna corporum intemperie oriunda in visceribus nostris hærent. 4. In illis, quæ oriuntur ex elementorum externa concussione, ut in gravibus tempestatibus maris. Hæc est inductio periculorum & liberationum, quæ in textu declarantur, ut exempla notabilia, ad quæ reliqua omnia corporalia mala possint referri 2. Sic visum est Deo consulere nostræ infirmitati, ut nulla conditio nobis contingere possit in ullo genere periculorum, quin simul exempla habeamus divinæ providentiæ suas liberantis ex eadem, ut inde spem concipere possimus in ipsius bonitate.

VIII. In omni periculo quinque hæc præcipue sunt consideranda, ut magis excitemur ad Deum glorificandum, 1. Quam gravis sit calamitas

mitas, in qua verſamur. 2. Quod ſine Dei providentia nobis non contingat, v. 12. 3. Quod Deus iſtis malis vel caſtiget noſtra peccata, verſ. 11. & 17. vel fidem & patientiam probet. 4. Quod tam naturæ inſtinctu, quam religionis ductu, Dei auxilium in iſtis periculis ſit implorandum. 5. Quod Deus vel verbo ſuo uno facile poſſit nos ab omnibus anguſtiis & periculis liberare, v. 16, & 20.

*Ratio.* Quia ex prima conſideratione humilitas, & ſeria cura exurgit. Ex ſecunda reſpectus ad Deum. Ex tertia conſideratio viarum noſtrarum, & conſcientiæ examen & cura. Ex quarta invocatio Dei. Ex quinta fiduciæ ac ſpei confirmatio, una cum confeſſione laudis, quæ Deo debetur.

IX. Agnoſcendum eſt, non tantum liberationes illas ſingulares ex providentia Dei pendere; ſed & omnes commutationes rerum, atque etiam conditionum hominum, tam quoad media vivendi, quam quoad honores, & dignitates eadem providentia gubernari, v. 33. &c.

*Ratio* 1. Quia Dei perfectio & omniſufficientia hoc ſuadet, ipſius opera non poſſe turbari aut mutari, ſine ejus voluntate. 2. Quia ſunt in iſtis, quæ non poſſint effici alia potentia quam divina. 3. Quia omnia hæc diriguntur & ordinantur ad certos fines, quorum alii pertinent ad juſtitiam, v. 34. alii ad gratiam v. 38. omnes autem ad gloriam Dei.

X. Gubernationem iſtam Dei non ſolum pii agnoſcunt cum lætitia, ſed impii tandem cum pudore & confuſione, v. 42.

*Ratio.* Quia evidens tandem fit providentia Dei, tendens in ſalutem piorum, & impiorum perditionem.

XI. Sapientia hæc eſt vera, ſed rara inter homines gubernationem iſtam Dei rite conſiderare, ad & animum revocare.

*Ratio.* Quia actus eſt religionis, quæ eſt principium & caput ſapientiæ, à qua plerique ſunt alieni.

## PSALMUS CENTESIMUS OCTAVUS.

*Canticum & Pſalmus Davidis.*

2. *Erecto animo meo, ô Deus; canam & pſallam etiam gloria mea.*

3. *Evigila nablium & cithara: expergiſcar* inde ab *aurora:*

4. *Celebrabo te in populis, Jehova, & pſallam tibi in nationibus.*

5. *Magnam eſſe ſupra cœlos benignitatem tuam, & ad ſuperiores uſque nubes veritatem tuam.*

6. *Exaltare ſupra cœlos, ô Deus, & ſuper totam terram gloria tua:*

7. *Ut liberentur dilecti tui, ſerva dexterâ tuâ & exaudi me.*

8. *Deus loquutus eſt per ſanctitatem ſuam, exſultabo in partem obtineo Schecemum, & convallem Succotharum metior:*

9. *Meus Gilhad, meus Menaſche; & Ephrajim robur capitis mei, Jehuda Legiſlator meus* eſt.

10. *Moab pollubrum meum: ſupra Edomæum projiciam calceum meum; contra Paleſtinam clangentem agam.*

11. *Quis deduceret me in civitatem munitam? quis deduceret me Edomæam usque?*
12. *An non tu, ô Deus, rejeceras nos, ut non procederes, ô Deus, inter exercitus nostros?*
13. *Cedo nobis auxilium tuum ab hoste, alioquin vanitas est auxiliatio humana.*
14. *In Deo faciamus strenue, & ipse proculcabit hostes nostros.*

HIc Psalmus partim ex quinquagesimo septimo, & partim ex sexagesimo compositus est, ideoque ab illius tractatione supersedere licet.

## Psalmus Centesimus nonus.

*MAgistro symphoniæ, Davidis Psalmus. O Deus laudis meæ, ne surdum agas.*
2. *Nam os improbi & os dolosum contra me aperuerunt se, obloquuta sunt mihi lingua mendace:*
3. *Et verbis odiosis circumvenerunt me, oppugnantia me immerito.*
4. *Adversati sunt mihi loco dilectionis meæ, qua eram in oratione;*
5. *Reponens mihi malum pro bono, & odium pro dilectione mea.*
6. *Præfice illi improbum, qui adversans insistat ad dexteram illius:*
7. *Quum in jus venerit, abeat damnatus; & oratio illius illi sit crimini.*
8. *Sint dies illius pauci, curationem illius accipiat alter:*
9. *Sint alii illius pupilli, & uxor illius vidua:*
10. *Et indesinenter vagantes filii illius, mendicent, quærantque stipem è locis desolatis suis:*
11. *Illaqueet fœnerator quicquid est illi, & diripiant extranei laborem illius:*
12. *Ne sit illi, qui protendat benignitatem, neque sit qui gratiam faciat pupillis illius.*
13. *Sit posteritas illius excidio addicta, in generatione altera deleatur nomen eorum;*
14. *In memoria sit iniquitas majorum illius apud Iehovam, & peccatum matris illius ne deleatur.*
15. *Sint coram Iehova jugiter, ut exscindat è terra memoriam eorum.*
16. *Propterea quod non est recordatus exercere benignitatem; sed persequutus est virum pauperem egentemque, & affectum ægritudine animi, ad afficiendum morte.*
17. *Et optavit ut maledictio obveniret ei, neque oblectatus est benedictione, sed ut procul esset ab eo.*
18. *Ut indueretur maledictione velut chlamyde sua; & ingrederetur velut aqua intra eum, & velut oleum in ossa ejus:*
19. *Adsit illi, tamquam panno amiciat se; & pro zona jugiter se accingat ea.*
20. *Hoc esto præmium adversantium mihi à Iehova, & obloquentium malum contra animam meam:*

21. *Tu autem, ô Iehova Domine, exerce* benignitatem *erga me propter nomen tuum; quia bona* eſt *benignitas tua, eripe me.*

22. *Nam pauper & egens ſum; & cor meum confoſſum eſt in medio mei:*

23. *Ut umbra quum declinat, abire cogor, exagitor ut locuſta:*

24. *Genua mea labant præ jejunio, & caro mea emaciatur exhauſta pinguedine:*

25. *Inſuper ego probo ſum illis; videntes me movent caput ſuum.*

26. *Auxiliare mihi, ô Iehova Deus mi; ſerva me pro benignitate tua:*

27. *Ut agnoſcant manum tuam hanc eſſe, te Iehovam feciſſe hoc:*

28. *Ut ut malidicant ipſi, tu benedicito: qui inſurrexerunt quum eruberint, lætetur ſervus tuus.*

29. *Induantur adverſarii mei ignominia, & amiciant ſe, tanquam pallio, pudore ſuo.*

30. *Celebrabo Iehovam valde ore meo, & in medio multorum laudabo eum.*

31. *Quod aſſiſtat ad dexteram egentis; ut* ipſum *conſervet ab iis, qui adjudicant vitam illi.*

## ANALYSIS.

SCOPUS Davidis in hoc Pſalmo eſt petere à Deo defenſionem adverſus improbos hoſtes ſuos, & ſimul etiam juſtam Dei vindictam ipſis imprecari.

Generaliter & conjunctim proponuntur iſtæ petitiones, verſ. 1. *ne ſurdam agas.* Una cum ejus argumento ac fine principali, qui ſubindicatur epitheto illo Dei: *O Deus laudis meæ.*

Urgentur etiam eædem petitiones, iis argumentis, quæ partim demonſtrant periculi ſui gravitatem, & partim iniquitatem hoſtium, qua illud ipſi creatum fuit. Qua utraque ratione continentur cauſæ impulſivæ; tam defenſionis Davidis quam coercitionis hoſtium ejus.

Periculum ejus indicatur, tam in calumniarum, quibus gravatus fuit, impudentia & fraude, verſ. 2. quam in earum effectu in oppugnatione circumveniente, v. 3. Iniquitas autem hoſtium declaratur, 1. Ex ipſorum diſpoſitione, quod fuerint improbi & doloſi, v. 2. 2. Ex ipſorum verbis diſpoſitioni congruentibus, quod impudenter calumniati ſint ex improbitate: *aperuerunt os:* & ex dolo mendaciter: *lingua mendace.* 3. Ex cauſa qua movebantur, quæ nulla alia fuit quam *odium*, v. 3. Quod probatur comparatione viarum ſuarum cum ipſorum viis, v. 4, 5.

Poſtea imprecatio adverſus improbos hoſtes diſtincte explicatur, à v. 6, ad 21. Ubi juſta illa pœna, quam ipſis precatur, 1. In variis partibus declaratur amplificationis cauſa. Prima eſt vexatio & oppreſſio inter homines, v. 6, 7. 2. Juſta derelictio, deſtitutio & averſatio tam hominum quam Dei, v. 7. in fine. 3. Decurtatio vitæ, & honoris, verſ. 8. 4. Calamitas familiæ poſt ejus obitum, verſ. 4. 10, 11, 12. 5. Totius familiæ deſtructio, verſ. 13, 14, 15. Tum porro ejuſ-

dem pœnæ justitia declaratur ex proportione, quam habet ad eorum peccata: quæ proportio in eo consistit, ut eadem patiantur, quæ fecerunt, quantum in se fuit, ut alii paterentur, v. 17, 18, 19, 20.

Deinceps, per modum oppositionis, ad illam punitionem hostium, defensionem sui distincte exponit, & petit. Idque 1. à causa ejus principali, *nomine* & *benignitate Dei*, vers. 21, & 26, 27. 2. à causa administrante, per modum impulsionis, magnitudine vid. periculi & calamitatis suæ, vers. 22, 23, 34, 35. 3. ab æquitate ejus, quæ declaratur ex proportione speranda inter Dei defensionem, & hostium impugnationem, v. 28, 29.

Sic tandem conclusio subjungitur totius orationis, eodem argumento firmata, quod in principio proponebatur, laude nempe Dei ex hac dispensatione ejus consecutura, v. 30, 31.

## DOCUMENTA.

I. Summa omnium votorum piorum est, ut Deus exaudiat preces nostras, ex v. 1. *ne surdum agas*.

*Ratio* 1. Quia in eo clarum signum habemus favoris divini, quo omnia bona virtualiter continentur. 2. Quia exauditio precum, est acceptatio desideriorum coram Deo precibus repræsentatorum. 3. Quia ex illa acceptatione sequitur eorundem desideriorum impletio, idque cum exuperantia, vel perfectiore modo quam à nobis cogitatur.

II. Deus exaudit preces eorum, quibus est Deus laudis, Eod. v. 1. *O Deus laudis meæ*.

*Ratio* 1. Quia petitio & gratiarum actio, sicut in officio & cultu nostro debent conjungi, sic semper conjunguntur in acceptatione divina. 2. Quia gratiarum actio pro beneficiis communicatis efficax argumentum est ad aliorum beneficiorum communicationem suadendam. 3. Quia per affectum istum, Deum glorificandi, præcipuus finis & fructus auditionis precum nostrarum, quasi per antecessum exhibetur ac repræsentatur.

III. Quo magis ab impiis hominibus impugnamur ac vexamur, eo magis elevanda sunt corda versus Deum, tam in laude quam in precatione, ex v. 2.

*Ratio* 1. Quia tum maxime opus est nobis, ut in Deo firmiter acquiescamus, fidem ac spem nostram exercendo & confirmando. 2. Quia nulla alia ratione possumus ex periculis liberari, præsertim ex tentationibus, quæ talia pericula comitantur.

IV. Iniquitas ipsa hostium nostrorum spem confirmat auxilii divini, v. 2, & 3.

*Ratio*. Quia causam nostram magis favorabilem reddit, & hostium accelerat justam coercitionem.

V. Maxima & perversissima iniquitas hominum est, quando male faciunt illis, à quibus nihil mali, sed boni multum sunt experti, vers. 3, 4, 5.

*Ratio* 1. Quia in eo apparet non ira, aut furor brevis, sed odium & malignitas radicata. 2. Quia odium illud tale est, ut bono vinci non possit. 3. Quia summam ingratitudinem habet conjunctam.

VI. Manifestæ ac desperatæ malitiæ persecutoribus licet aliquando malum imprecari, v. 6, &c.

Ratio

*Ratio* 1. Quia poteſt quis talibus precari magna mala, ſub ratione boni, quod inde ſequuturum eſt, ſi non ipſorum correctione, attamen in Eccleſiæ liberatione, aliorum admonitione, & gloria nominis divini. 2. Quia licet, in votis noſtris, aſſentiri juſtis Dei judiciis, quæ vel exequitur, vel in verbo oſtendit ſe exequuturum. 3. Quia in hujuſmodi imprecationibus, ſi privati affectus & perturbationes amoveantur, conditio implicita poteſt ac ſolet includi: ſi nempe conſultiſſimum videatur divinæ ſapientiæ, ut ita fiat.

VII. Judicia Dei adverſus impios ſuos hoſtes manifeſtari ſolent, partim in conditione, rebus & negotiis ipſorum externis, partim in ipſorum perſonis ac vita, & partim in eorum familiis ac poſteritate, à v. 6, ad 16.

*Ratio* 1. Quia par eſt, ut ira & maledictio Dei impios undequaque circumcingat, & involvat, ut manum Dei agnoſcere cogantur. 2. Quia ſtatum, vitam, & familiam ſuam ita reſpicere ſolent impii, ut partim ex eorum amore, & partim fiducia ipſorum, opponant ſeſe Deo. 3. Quia judicia Dei in iſtis tribus manifeſtata, ſunt efficaciſſima exempla & documenta, quibus alii poſſint ab impietate ſimili deterreri.

VIII. Pœnæ exemplares, quas Deus impiis ſuis hoſtibus infligit, proportionem certam habent ad ipſorum peccata, v. 16, ad 21.

*Ratio* 1. Quia ſic juſtitia & æquitas judiciorum Dei magis apparet. 2. Quia ſic magis directe admonentur homines, ut fugiant talia peccata.

IX. Ex conſideratione tam pœnæ quam malitiæ impiorum, excitari debemus ad Dei gratiam in noſtris anguſtiis implorandum, ex verſ. 21. &c.

*Ratio* 1. Hoc eſt triumphus fidei ac fiduciæ noſtræ in Deo collocatæ. 2. Sic ſimul tribuitur Deo gloria juſtitiæ & miſericordiæ ejus. 3. Sic pie fugimus iram adverſus impios revelatam.

## PSALMUS CENTESIMUSDECIMUS.

D*Avidis Pſalmus. Dixit Iehova Domino meo, ſede ad dexteram meam; donec diſpoſuero inimicos tuos in ſcabellum pedum tuorum.*

2. *Sceptrum robuſtum tuum emiſſurus eſt Jehova Tziione*, dicens: *dominare in medio inimicorum tuorum.*

3. *Populi tui oblationes voluntariæ die copiarum tuarum in decoris* locis *ſanctitatis inde ab utero* futuræ ſunt; *tibi* aderit *ros juventæ tuæ accuratiſſime.*

4. *Juravit Jehova, & non pœnitebit* eum; *tu es ſacerdos in ſeculum, ſecundum ordinem Melchizedeki.*

5. *Dominus*, qui ſedet *ad dexteram tuam; frangens die iræ ſuæ reges*,

6. *Judicium exercebit in gentes: complens corporibus; frangens caput, in regionibus plurimis.*

7. *De torrente in via bibet; idcirco attollet caput.*

# ANALYSIS.

PSALMUS iste proponit piis doctrinam de Christo, ut ex illa soli consolationem haurire possint. Hujus doctrinæ genus primo notatur, quod sit firmum Dei verbum, quod solvi non potest: *dixit Dominus*. Et simul etiam effectum, quod ejus nomine agnoscendus sit Christus pro Domino nostro: *Domino meo*.

Tum ipsa doctrina proponitur, consistens præcipue ex illis promissionibus, quæ directe faciunt ad fidelium consolationem. 1. Promissio prima est de dominio regali, ac cœlesti: *sede ad dexteram meam*, quod effecto suo declaratur, sub actione scilicet omnium inimicorum, vers. 1. *donec posuero inimicos scabellum pedum tuorum*. 2. Huic dominii regii promissioni subjungitur promissio de potenti illius regni administratione, per Evangelii prædicationem, tanquam per sceptrum robustum, v. 2. Cujus administrationis initium notatur futurum Tzione: & progressus, per medium inimicorum, ibid. 3. Subjungitur etiam promissio felicissimi successus Evangelii sic prædicati: conversio nempe & aggregatio hominum ad Ecclesiam Christi, & ejusdem Ecclesiæ devotio in Christo colendo, nec non sanctitas, & arcana multiplicandi ratio, vers. 3. 4. Promissioni de regno annectitur promissio de sacerdotio: quia hæc duo sunt adeo conjuncta, ut regnum Christi sacerdotale, & sacerdotium ejus regale vocetur: & quia etiam in hoc sacerdotio fundatur congregatio, conservatio & salvatio illius populi vel Ecclesiæ Christi, cujus mentio est facta in antecedentibus verbis.

Hoc autem sacerdotium Christi illustratur, 1. A vocationis modo, quod facta sit cum juramento. 2. Ab ejus perpetua & immutabili duratione. 3. A typica similitudine Melchizedeki. Quæ omnia faciunt ad præstantem dignitatem hujus sacerdotii indicandam, v. 4. 5. Additur (ultimo in loco) promissio de vindicta justa, quam Christus exercebit in hostes, v. 5, 6, 7. ubi notatur 1. causa efficiens, vel potentia ejus summa ad hujus vindictæ exequutionem: *sedens ad dexteram*. 2. Adjunctum temporis, quod tum fiet, quando maxime tempestivum erit: *in die iræ*. 3. Modus & gradus ejus, quod scilicet ex justitia plane perdet hostes, *Judicium exercebit, frangens*. 4. Objecta hujus vindictæ: *reges, gentes, caput, regiones*, id est, omne genus inimicorum. 5. Conjunctus fervor & alacritas qua hoc aget: *bibet ex torrente*. 6. Lætitia triumphi, qui inde consequetur: *idcirco attollet caput*.

## DOCUMENTA.

I. Christus agnoscendus est Dominus & verus Deus, Matth. 22. vers. 42.

II. Dominus fuit & est non tantum respectu eorum, qui in ipsum jam exhibitum credunt, sed etiam respectu eorum omnium fidelium, qui ab initio mundi vixerunt, ibid.

III. Ex decreto, fœdere ac promissione

miſſione Dei exaltandum & ſtabiliendum ipſi fuit regnum cœleſte cum poteſtate ac majeſtate ſumma, ad ſubactionem omnium hoſtium ejus, ibid.

I V. Sceptrum hujus regni potentiſſimum & efficaciſſimum ad ſalutem, eſt verbum Evangelii rite prædicatum, v. 2.

V. Hoc Evangelium incipiens ab Hieroſolyma, per omnes gentes longe lateque prædicari debuit & prævalere, ibid.

V I. Ad prædicationem hujus Evangelii, virtute decreti ac promiſſionis divinæ, certo colligitur populus vel Eccleſia Chriſto, v. 3.

VII. Populus vel Eccleſia hæc conſtat ex iis, qui toto corde Deum in Chriſto quærunt coluntque, ibid.

VIII. Qui ita Deum quærunt, ornantur ſemper ſingulari ſanctitate, ibid.

I X. Eccleſia hæc augetur ac propagatur per arcanam & efficacem operationem Dei.

X. Hæc Eccleſia colligitur & conſervatur, non tantum regia Chriſti potentia, ſed etiam ſacerdotali ejus meditatione, v. 4.

XI. Sacerdotium Chriſti, eſt unum, æternum, perfectum, ſufficiens per ſe ad ſalutem fidelium perficiendam, v. 5. Heb. 7.

XII. Quemadmodum Chriſtus ut ſacerdos & rex, perfecte efficax eſt ad conſolationem & ſalutem fidelium; ſic ut rex, terribilem poteſtatem exerit ad impios ſuos ac Eccleſiæ hoſtes perdendos, v. 5, &c.

XIII. Quamvis illam ultionem differre ac tardare videatur Chriſtus, certum tamen eſt, quod maturo & juſto ſuo tempore apparebit, ibidem, *In die iræ ſuæ*.

X I V. Hanc ultionem ſequetur perpetuus triumphus Chriſti & Eccleſiæ ejus, v. 7. *idcirco attollet caput*.

## PSALMUS CENTESIMUSUNDECIMUS.

*HAlelu-Iah, Celebrabo Iehovam ex toto animo, in conſilio rectorum & cœtu.*

2. *Magna opera Iehovæ, expoſita omnibus qui delectantur illis.*

3. *Glorioſum & decorum opus ejus, & juſtitiam ejus perſtantem in æternum.*

4. *Memoriam comparavit mirabilibus ſuis, gratioſus & miſericors Iehova.*

5. *Eſcam dedit timentibus ſe, recordatus in ſeculum federis ſui.*

6. *Vim operum ſuorum indicavit populo ſuo, dando eis poſſeſſionem gentium.*

7. *Opera manum ejus* ſunt *veritatis & judicii; conſtantia omnia mandata ejus.*

8. *Fulta in æternum; in ſeculum; factaque fideliter & recte.*

9. *Redemptionem mittens populo ſuo, præcepit in ſeculum fœdus ſuum, ſanctum & reverendum* haberi *nomen ſuum.*

10. *Caput ſapientiæ* eſt *reverentia Iehovæ, ſucceſſus optimus omnibus facientibus iſta: laus ejus perſtat in æternum.*

# ANALYSIS.

PSalmi hujus scopus est Dei nomen celebrare: sicut inscriptio & clausula testatur: *Hallelujah; laus ejus stat in æternam.*

1. Hujus celebrationis modus primo indicatur: propositum scilicet firmum & sanctum hujus officii præstandi; idque cum synceritate ac zelo: *celebrabo Iehovam ex toto corde.* Et publica professione, ad Ecclesiæ majorem exædificationem: *in concilio rectorum ac cœtu.*

2. Argumentum hujus celebrationis petitur in genere ab operum ejus supereminenti excellentia quæ apparet in variis eorum adjunctis, 1. Magnitudine. 2. Evidentia, quoad pios, ibid. 3. Gloria ac dignitate, v. 3. 4. Justitia æterna, vel fidelitate constanti, ibid. 5. Gratia & misericordia mirabili, & perpetua commemoratione dignissima, vers. 4.

3. Quod dictum fuit in genere, in specie declaratur ex duobus operibus Dei, in quibus fidelis Dei misericodia erga populum suum singulariter fuit manifestata: miraculosa nempe sustentatione eorum in deserto, qua veracitatem suum declaravit in fœdere suo præstando, v. 5. & potenti introductione ipsorum in possessionem gentium, in qua magnitudo virtutis ejus elucebat, v. 6

4. Tum porro supereminens excellentia illa operum Dei quæ antea fuit prædicata, ex illis instantiis concluditur, & denuo explicatur, quoad veritatem, justitiam, & constantiam, v. 7. quæ constantia, una cum fidelitate & rectitudine vel perfectione, inculcatur etiam v. 8.

5. Ex istis denique omnibus infertur 1. Deum optimo jure præcepisse populo suo fœdus observandum. 2. Hoc fœdus observandum esse cum sancta reverentia, v. 9. Hæc autem reverentia Dei commendatur à sua causa propria, *sapientia*, tanquam *caput* vel primarium effectum ejus, & certum signum *bonitatis* vel sinceritatis & utilitatis ejus, v. 10.

## DOCUMENTA.

I. Colendus & glorificandus est Deus ex consilio & proposito firmo, vers. 1.

II. Sinceritas etiam & zelus requiritur ad hoc officium præstandum, ibid.

III. Præstandum est hoc officium non privatim tantum, sed & publice, in congregationibus piorum ibid.

IV. Magnitudo operum Dei tam causa impellens, quam materia debent esse hujus *δοξολογίας*, v. 2.

V. Hæc magnitudo operum Dei ut sufficiens & efficax ad Dei, celebrationem, facile percipitur à piis, qui in eorum meditatione delectantur, ibid.

VI. Pii homines in operibus Dei præcipue observant gloriam, dignitatem, fidelitatem & benignitatem in ipsis elucentem, v. 3, 4.

VII. Perfectiones istæ, prout magis apparent in quibusdam singularibus operibus Dei, quam in aliis, sic in illis est singulariter glorificandus, v. 5, 6.

VIII. Ex occasione meditationum de talibus operibus habitarum, eædem perfectiones Dei sunt etiam

atque

atque etiam recolendæ, & ad corda noſtra apponendæ, v. 7, 8.

IX. Meditationes iſtæ de operibus & perfectionibus Dei, eo ſemper debent referri, ut fœdus Dei majore cum religione ac reverentia obſervemus, v. 9.

X. Hæc religio & reverentia Dei primaria pars eſt ſapentiæ ſolidæ ac ſalutaris, v. 10.

## PSALMUS CENTESIMUS DUODECIMUS.

*HAlelu-Iah. Beatus quiſquis reveretur Iehovam, in mandatis ejus delectatur valde.*

2 *Potens in terra futurum eſt ſemen ejus, generationi rectorum bedicitur:*

3. *Opes & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus perſtat in æternum.*

4. *Micat in tenebris lux juſtorum; gratioſus* eſt, *& miſericors & juſtus.*

5. *Bonus quiſque gratioſe largitur, & mutuo dat; moderatur res ſuas ex officio.*

6. *Quia in ſeculum non dimovetur, in memoria perpetua* eſt *juſtus.*

7. *A rumore malo non timet, erecto animo ſuo confiſus Jehovæ:*

8. *Fultus animo ſuo non timet, donec videat* malum *in hoſtibus ſuis.*

9. *Diſpergit, dat egentibus, juſtitia ejus perſtat in æternum: cornu ejus elevatur honore.*

10. *Improbus autem videns indignatur, dentibus ſuis frendens contabeſcit; deſiderium improborum periturum eſt.*

## ANALYSIS.

ISTius Pſalmus ſcopus (ſicut prioris) eſt excitare homines ad Deum laudandum, ver. 1. in principio. Argumentum petitur à benedictionibus illis quas effundit in pios, quibus facit eos beatos. Quinam autem ſint ipſi pii ad quos hæc beatitudo pertinet, declaratur v. 1. Ubi deſcribuntur ex duobus propriis adjunctis, reverentia erga Deum, & dilectione mandatorum ejus: quibus additur gradus ad quem iſti affectus aſcendunt: *valde*.

In iſtis porro apparet concinna quædam connexio inter iſtum Pſalmum & antecedentem. Ibi enim in fine, reverentia Dei, & obedientia commendatur, hic autem felicitas prædicatur eorum qui Deum reverentur & voluntatem ejus obſervant: ita ut iſte Pſalmus ſit illius veritatis probatio ac illuſtratio. Qualis vero & quanta ſit beatitudo illa piorum; hoc declaratur per inductionem variarum benedictionum Dei erga pios. Quarum prima eſt potentia familiæ ejus, v.2. Secunda, divitiæ ſtabiles, v.3. Tertia, facultas & voluntas alios in ſuis anguſtiis juvandi, idque eo modo qui tali officio maxime conveniens eſt, v. 4. 5. Quarta eſt conſervatio in omni genere periculorum ac tentationum, v.6. Quinta eſt conſolatio firma in rebus dubiis cujus & cauſa notatur (fiducia divina) & etiam effectum, averſio mali ab ipſo in hoſtes ipſius, v.7, 8. Sexta eſt honor ex bene factis comparatus. v.9. Hæc porro omnia illuſtrantur oppoſita conditione impiorum,

piorum, v. 10. quæ duabus partibus declaratur, invidentia ex intuitu fœlicitatis piorum, cujus tortura significatur duobus effectis, frendore dentium, & contabescentia cordis. 2. Frustratione desideriorum, tam quæ adversus pios, quam quæ pro semetipsis concipiunt, fovent & alunt.

### Documenta.

I. Illam fidem debemus habere de fœlicitate piorum, ex qua possimus Deum efficaciter eo nomine laudare ac celebrare, vers. 1.

II. Pietas illa quæ ducit ad istam fœlicitatem, præcipue consistit in reverentia Dei, & voluntario atque alacri studio voluntatis ejus faciendæ, ibid.

III. Hæc pietas promissiones habet non tantum vitæ futuræ, sed & præsentis, vers. 2. &c. 1 Tim. 4.8.

IV. Bona hujus vitæ promittuntur tam illis quam posteris ipsorum. 1. Quia in hac sola via debent ad talia tendere eaque expectare. 2. Quia ipsis hac via incedentibus eatenus certo dabuntur talia quatenus ipsis possint esse veræ ac salutares benedictiones: & quatenus hoc maxime facere possit ad gloriam Dei, ibid, &c.

V. Quicquid habent pii, illud (adhibita prudentia) libenter & copiose dispensant in bonum aliorum, v. 4, 5, 6.

VI. In ista via crescit ipsis fiducia, consolatio, & honor, v. 6, 7, 8, 9. 2 Cor. 9. 9.

VII. Impii tam piorum bonis, quam suis malis misere torquentur, vers. 10.

## Psalmus Centesimusdecimus tertius.

*Halelu-Iah. Laudate servi Iehovæ, laudate nomen Iehovæ.*
2. *Sit nomen Iehovæ benedictum, deinceps usque in seculum:*
3. *Ab ortu solis usque ad occasum ejus, sit laudatum nomen Jehovæ.*
4. *Elatus supra omnes gentes Iehova est, supra ipsos cælos gloria illius.*
5. *Quis est par Iehovæ Deo nostro? qui altissime habitat:*
6. *Qui demississime perspicit, in cælis & in terra;*
7. *Erigens è pulvere tenuem, è sterquilinis elevans egentem,*
8. *Faciendo ut consideat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui:*
9. *Faciens ut quæ sterilis erat in familia, sedeat mater liberorum læta. Halelu-Jah.*

## ANALYSIS.

Quemadmodum idem titulus est hujus Psalmi, & duorum antecedentium, sic idem etiam scopus: excitare scilicet homines ad Deum laudandum. Cujus officii, 1. Idoneos ministros designat; *servi Iehovæ*. 2. Intentionem, extensionem, & continuationem ejus vel assiduitatem deberi significat cum repetitione & inculcatione exhortationis: *laudate, laudate, sit benedictus, sit laudatus*, v. 1, 2, 3. tum etiam clara explicatione tam durationis ejus, v. 2. *à nunc usque in seculum*; quam locorum in quibus hæc laus debet resonare: *ab ortu solis, usque ad occasum*, v. 3. Argumenta hujus laudis sunt duo: 1. Summa & incomparabilis

bilis Dei majeſtas, quæ comparatione minorum illuſtratur, verſ. 4, 5. 2. Summa ejus bonitas, qua dignatur providentia ſua benigne curare res humanas, v. 6. Quæ duo tanquam diverſa diſcrete proponuntur nobis conſideranda, ut ex illa ſumma Dei majeſtate, iſta ejus dignatio & reſpectus noſtri magis admirabilis agnoſcatur.

Hæc autem providentia Dei circa homines ſpecialiter declaratur uno ſuo effecto, ſubita nempe commutatione rerum humanarum: quæ duobus exemplis illuſtratur: converſione ſcilicet ſtatus publici ex abjecta conditione in honoratam, v. 7, 8. & privati, ex mœrore familiæ in lætitiam, v. 9.

DOCUMENTA.

I. Glorificatio Dei ſummæ curæ debet eſſe omnibus ejus ſervis, v. 1.

II. Hoc officium per totum vitæ curſum & ultra etiam, quantum in nobis eſt, continuare debemus, v. 2.

III. Ejuſdem officii procurationem, (pro facultate & occaſione quam habemus) quam longiſſime & latiſſime extendere debemus per omnes partes terræ, v. 3.

IV. Majeſtas Dei ſic agnoſcenda & prædicanda eſt, ut digna habeatur omni gloria & honore, verſ. 4, 5.

V. Quo major eſt Dei majeſtas, eo magis admiranda & laudanda eſt illa providentia ejus quam erga homines exercet, v. 6.

VI. In illis converſionibus rerum humanarum publicis & privatis, quæ vel ſecundis cauſis, vel fortunæ adſcribi ſolent, providentia Dei ſingulariter eſt agnoſcenda & prædicanda, v. 7, 8, 9.

## PSALMUS CENTESIMUS DECIMUSQUARTUS.

*EXeunte Iſraele ex Ægypto, familia Iahakobi à populo peregrini ſermonis.*
2. *Fuit Iehuda ſanctitatis illius, Iſrael dominiorum illius.*
3. *Ipſum mare videns, profugit, ipſe Iarden divertit retrorſum:*
4. *Ipſi montes ſubſilierunt velut arietes, colles ut ſubrumæ pecudes,*
5. *Quid tibi* erat *ô mare, cur fugeres: ô Jarden,* cur *diverteres retrorſum?*
6. *O montes,* cur *ſubſiliretis velut arietes: colles, velut ſubrumæ pecudes?*
7. *A præſentia Domini intremit terra, à præſentia Dei Jahakobi.*
8. *Qui mutat ipſam rupem* in *ſtagnum aquarum, ſaxum adamantinum in fontem aquarum.*

## ANALYSIS.

COntinetur hoc Pſalmo laudativa narratio gratioſæ ac glorioſæ providentiæ Dei in eductione populi ex Ægypto. Hujus autem liberationis gratia 1. Declaratur per comparationem illius ſtatus in quo antea fuerant in Ægypto, cum illo in quem fuerunt aſſerti per iſtam eductionem; quorum diſſimilitudo magna innuitur ex eo, quod antea ab immundis & barbaris Ægyptiis fuerant oppreſſi cum

cum dedecore ac vexatione, vers. 1. Postea vero asserti fuerunt in sanctissimam subjectionem Dei, in qua maximus est honor ac libertas, v. 2.

2. Ejusdem liberationis gloriosus modus declaratur per effecta illa miraculosa, quæ in eorum gratiam, tam in aquis, quam terra producebantur, v. 3.4. Quorum effectorum admirabilis natura, primo similium comparatione, & admiratione expressa illustratur, v. 5, 6. & postea sic refertur ad præsentiam Dei potentem tanquam causam, ut simul indicetur ad populum illum singulariter spectasse tanquam ad objectum & finem illius, v. 7. Quæ potens administratio & cursum naturæ transmutans uno præterea singulari exemplo illustratur v. 8. commutatione scilicet siccissimæ rupis in aquarum fluentum.

DOCUMENTA.

I. Nobiliora Dei opera & beneficia quam sæpissime debent à nobis cum sancta recordatione ac meditatione celebrari, v. 1.

II. Magnum Dei beneficium est, quod liberet nos à tyrannide tam corporali quam spirituali, ibidem.

III. Nobilissima Dei benedictio ex eo pendet, si sancto dominio Dei vere subjiciamur, tanquam Ecclesia & populus ejus, v. 2.

IV. In hac Ecclesia sua servanda tam efficax ac gloriosa est potentia & providentia Dei, (ut quando ipsi placuerit )omnes creaturæ quasi ad nutum ejus paratæ sint Ecclesiæ, in bonum etiam supra naturæ cursum, cooperari.

## PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS QUINTUS.

*Non nobis Iehova, non nobis: sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.*

2 *Quare dicerent gentes, ubi* est *nunc Deus istorum.*

3. *Atqui Deus noster in ipsis cælis* est, *quidquid placet facit.*

4. *Terriculis illarum argenteis & aureis, operi manuum humanarum,*

5. *Os est eis, sed non loquuntur; oculi* sunt *eis, sed non vident:*

6. *Aures* sunt *eis, sed non audiunt; nasus* est *eis, sed non odorantur:*

7. *Manus eis, sed non palpant: pedes eis, sed non ambulant, non mutiunt gutture suo.*

8. *Similes illis sunt qui faciunt illa, quisquis confidit illis.*

9. *Israel confide Iehovæ, auxilium horum & scutum horum est.*

10. Vos *è familia Aharonis confidite Iehovæ; auxilium horum & scutum horum est.*

11. *Timentes Iehovam confite Iehovæ, auxilium horum & scutum horum est.*

12. *Iehova recordatus nostri benedicet: benedicet familiæ Israelis, benedicet familiæ Aharonis:*

13. *Benedicet timentibus Iehovam, parvulis simul ac magnis.*

14. *Augebit Iehova vos, vos & filios vestros.*

15. *Benedicti eritis Iehovæ, qui fecit cælos & terram:*

16. *Ipsi cæli, cæli* sunt *Iehovæ: terraque, quam dedit filiis hominum.*

17. *Non qui mortui ſunt laudant Iah, neque quicunque deſcendunt in locum ſilentii.*

18. *Sed nos benedicemus Iah, deinceps uſque in ſeculum. Halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

SCopus hujus Pſalmi eſt petere à Deo conſervationem, defenſionem, ac benedictione populi ſui, v. 1. comp. cum 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15.

Petitio iſta ſuadetur 1. Ab effecto ejus, gloria Dei: quæ illuſtratur per negationem aut rejectionem oppoſitæ gloriæ hominum: *non nobis, ſed nomini tuo.* 2. A cauſis, benignitate ſcilicet & fidelitate Dei, *propter benignitatem tuam & fidem tuam*, verſ. 1. 3. Ab effecto petitionis negatæ vel neglectæ, contumelia ſcilicet ac blaſphemia nominis divini inter gentes, verſiculo 2. Quæ blaſphemia refutatur per comparationem inſtitutam inter verum Deum Iſraelis, & idola gentium quæ illum blaſphemarent, verſ. 3. ad 9. Comparatio hæc eſt ſummæ diſſimilitudinis inter Deum & idola quoad Dei majeſtatem, omnipotentiam, & efficacem providentiam, verſ. 3. & idolorum tam vilitatem, verſic. 4. quam impotentiam & vanitatem, verſ. 5, 6, 7, 8. quæ illuſtratur à ſimili vanitate & ſtupiditate auctorum & cultorum talium Deorum, id eſt, idololatrarum, Deum verum & populum ejus blaſphemantium, verſ. 8. Hujus inſuper veriſſimæ comparationis uſus & fructus declaratur: quod ſcilicet propterea, quia Jehova eſt verus Deus, majeſtatis, potentiæ, ac providentiæ infinitæ, quorum nihil reperitur in gentium idolis, idcirco ſpes omnis ac fiducia debeat in Iehova collocari, v. 9, 10, 11. Quæ fiducia illuſtratur & deſtributione à ſubjectis, quibus convenit: eodem v. 11. & ab effectis inde ſecuturis: paterna cura & protectione. Ibid. Atque etiam omni moda benedictione, v. 12, 13, 14. Conſequentia autem benedictionum iſtarum ſperantibus in Deum eventurarum confirmatur ab eadem illa ſufficientia Dei, quæ antea fuit commemorata, v. 15, 16.

Quartum denique argumentum, (vel explicatio primi) ſubjungitur ad petitionem ſuadendam, laus nempe & gloria, quæ illa conceſſa, Deo deferetur, v. 18. una cum ejuſdem privatione, ex petitione neglecta, verſ. 17.

### DOCUMENTA.

I. Quando petimus aliquid à Deo, indignitatem noſtram imprimis agnoſcere ſerio debemus, v. 1. *non nobis, non nobis.*

II. In gloria nominis Dei ponendum eſt fundamentum & finis noſtræ ſpei. Ibidem, *ſed nomini tuo da gloriam.*

III. Inter illa quæ pertinent ad nomen & gloriam Dei, benignitas & fidelitas ejus præcipuam nobis ſuppeditant conſolationem ſpei, Ibidem, *propter benignitatem, propter fidem.*

IV. Nominis hujus divini contumeliam & blaſphemiam (præſertim ſi propter nos accideret) ſupra omnia incommoda noſtra horrere debemus ac deteſtari, v. 2.

V. Adver-

V. Adversus blasphemias idololatrarum, munire & confirmare nos debemus, ex consideratione majestatis, potentiæ ac providentiæ Dei, vers. 3.

VI. Eo etiam non parum facit, si cum illis perfectionibus Dei, idolorum vanitatem comparemus, v. 4, 5, 6, 7.

VII. Vanitatem idolorum, eo præcipue referre debemus, ut cultus eorum magis abominabilis nobis reddatur, v. 8.

VIII. Ex contemplatione perfectionum Dei ædificare nosmetipsos debemus in fiducia ac spe viva, v. 9, 10, 11.

IX. Quamvis hoc officium spectat ad omnes, non idcirco tamen à nobis minus curari debet, si à cæteris fere omnibus negligatur, Ibid. *Israel, familia Aharonis, timentes Iehovam.*

X. Ex hac fiducia in Deo collocata non tantum protectionem à malis, sed etiam benedictionem omnimodam possumus ac debemus expectare, Ibidem, & vers. 12, 13, 14.

XI. Hæc spes confirmari debet ex contemplatione gloriosæ potentiæ Dei, v. 15, 16.

XII. Protectionis ac benedictionis optatæ laus omnis Deo & voveri debet, & præstari, versic. 11, 17.

## Psalmus Centesimusdecimus sextus.

*Sat habeo, quod Iehova exaudit vocem meam, deprecationes meas.*

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi, idcirco diebus meis invocabo ipsum.*

3. *Circumdantibus me doloribus mortis, angoribusque sepulchri obvenientibus mihi; angustiam & mærorem inveniens.*

4. *Si nomen Iehovæ invoco,* dicendo ; *obsecro Jehova, libera animam meam :*

5. *Gratiosus Iehova & justus, Deus, inquam, noster misericors.*

6. *Servans simplices Iehova ; quum attenuatus sum, mihi confert salutem.*

7. *Redi anima mea in requiem tuam ; quum Iehova beneficus sit erga te.*

8. *Quandoquidem eripuisti meipsum à morte : oculos meos à lacrymis, pedem meum à lapsu :*

9. *Indesinenter ambulabo coram Iehova, in regionibus viventium.*

10. *Credidi quum* hæc *loquuturus essem, ego fatuus fueram supra modum :*

11. *Ego dixeram accelerando ; omnis homo* est *mendax,*

12. *Quid rependerem Iehovæ? omnia beneficia ejus superant me.*

13. *Poculum omnis salutis acceptum* exhibebo, *& nomen Iehovæ prædicabo.*

14. *Vota mea Jehovæ rependens, mox coram toto populo ejus,* dicendo :

15. *Pretiosa* est *in oculis Iehovæ, mors intentata iis quos ipse benignitate prosequitur.*

16. *Obsecro Iehova, quum ego sim servus tuus, sim servus tuus, filius ancillæ tuæ : solveris vincula mea :*

17. *Tibi sacrificem sacrificium gratiarum actionis, & nomen Iehovæ prædicem.*

18. *Vota mea Iehovæ perſolvam, mox coram toto populo ejus.*
19. *In atriis domus Iehovæ, in medio veſtri, Ieruſchalaima. Halelu-Iah.*

# ANALYSIS.

Hujus Pſalmi ſcopus eſt, gratitudinem profiteri erga Deum, pro beneficiis illis quibus fuerat ab ipſo cumulatus. Gratitudo iſta 1. Generaliter proponitur ac declaratur à ſua primaria parte ac principio amore ſcilicet complacentiæ, quo acquievit animus ejus in benignitate Dei, v. 1. *dilexi, ſat habeo.* 2. Benignitatis illius certum ſignum & primaria etiam pars generaliter notatur: exauditio ſcilicet precum, v. 1. & 2. Quæ effecto ſuo illuſtratur, firmo ſcilicet propoſito ſimiles preces ex omni occaſione iterandi, verſic. 2. in fine. 3. Illuſtratur beneficium illud exauditarum precum. 1. Ab adjuncta magnitudine periculorum & malorum, ex quibus per illam fuit liberatus, v. 3. & 6. in fine. 2. A precum ipſarum deſcriptione, quæ ſcilicet nihil aliud continebant, quam deſiderium fervidum, cum fiducia in miſericordia Dei collocata ſimpliciter ac ſyncere, & agnitione ſuæ extremæ indigentiæ, v. 4, 5, 6. 3. Ab effecto pacis & quietis ex illa precum auditione ac liberatione fluentis, v. 7. Cujus pacis ratio redditur à ſpe ex hac liberatione concepta; vitæ deinceps ex voto tranſigendæ, v. 8, 9. Quæ ſpes declaratur à ſua cauſa: fide ſcilicet in confeſſionem erumpente, verſ. 10. (vide 2 Cor. 4. 13.) & illuſtratur ab oppoſita dubitatione, qua animus ejus fuerat antea ſollicitatus, v. 11.

Gratitudo promiſſa illuſtratur, 1 Comparatione imparium inter Dei merita & officia ſua inſtituta, verſ. 12. 2. Ab adjuncto ejus modo, illo ſcilicet qui conveniebat ſolemni ſacrificio gratiarum actionis, v. 13. 3. A cauſa impulſiva modum illum inferente, voto ſcilicet non ſemel nuncupato, v. 14. 4. A materia vel argumento gratiarum actionis, amore ſcilicet Dei tam in genere erga omnes pios, v. 15. quam in ſpecie erga ipſum Davidem, verſ. 16. Ex quibus concludit, & iterato pollicetur gratiarum actionem ſolemni modo præſtandam, v. 17, 18, 19.

## DOCUMENTA.

I. Per experientiam gratiæ Dei proficere debemus in amore Dei, ita ut in eo ſolo cum ſumma ac ſuaviſſima conſolatione acquieſcamus toti, verſ. 1. in principio.

II. Gratiæ Dei ſingulare eſt indicium, ſi oſtendat ſe preces noſtras exaudire, v. 1.

III. Iſtius gratiæ recordatione confirmari nos par eſt, in propoſito Deum ex omni occaſione invocandi, v. 2.

IV. Hæc invocatio non debet impediri, ſed excitari magis, afflictionum gravitate, v. 3.

V. Ad efficaciam hujus invocationis requiritur 1. Fervor deſiderii. 2. Fiducia firma in gratia Dei fundata. 3. Simplex ac ſyncera dependentia à Deo. 4. Senſus intimus indigentiæ noſtræ, v. 4, 5, 6.

VI. Hujuſmodi preces conſequitur (ex ordine) ſuaviſſima pax conſcientiæ:

conscientiæ: quam etiam omni modo fovere debemus in nobismetipsis, vers. 7.

VII. Hæc pax diffunditur magis in cordibus nostris, si defixos animos teneamus in distincta & particulari Dei erga nos benignitate, vers. 8.

VIII. Ex eadem consideratione spem firmam concipere debemus de gratia Dei nobis perpetuo adfutura, vers. 9.

IX. Fundamentum & fulcrum hujus spei est fides viva, v. 10.

X. Hæc fides etiam in filiis Dei concutitur aliquando & percellitur tentationibus horrendum in modum vers. 11.

XI. Qui Deum diligunt, & in amore ejus acquiescunt, illa cura præcipue tenentur, quomodo erga ipsum grati esse possint, ex v. 12. cum 1.

XII. Gratitudo ista fovetur ac promovetur consideratione magnitudinis beneficiorum Dei, ibid.

XIII. Magnitudo beneficiorum Dei erga nos, longe superat non tantum merita nostra, sed & tum officia, & caput etiam nostrum ib.

XIV. Inter officia gratitudinis, solemnis ipsius cultus alacriter obitus præcipuum locum habet, vers. 13.

XV. Cultum istum tanquam arctissima obligatione sibi incumbentem, & proponunt sibi pii, & etiam præstant, ex v. 14.

XVI. Ad cultum hunc Dei alacriter præstandum ob oculos ponendus est amor Dei erga cultores ipsius ex vers. 15.

XVII. Amor iste Dei non tantum generaliter considerandus est, prout fertur in pios, sed etiam singulariter prout erga nos est manifestatus, vers. 16.

XVIII. Manifestatio amoris divini singularis est, si nos agnoscat pro suis, & eo nomine liberet nos à malo, Ibid.

XIX. Pro hujusmodi beneficiis si gratiarum actionem syncere Deo offeramus, sacrificium hoc est ipsi gratissimum, & maxime acceptum, vers. 17.

XX. Grata Dei celebratio tam publice quam privatim debet præstari, vers. 18.

XXI. In hujusmodi officiis præstandis, instituta Dei omni ex parte sunt observanda, ex v. 19.

## PSALMUS CENTESIMUS DECIMUS SEPTIMUS.

*Laudate Iehovam omnes gentes, laudationibus commendate eum omnes nationes.*

2. *Quia invaluit erga nos benignitas ejus, & fides Iehovæ in seculum, Halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

HIc Psalmus (omnium brevissimus) brevis est exhortatio, qua nos & alios excitare debemus ad Deum glorificandum. Ubi 1. glorifica-

rificationis officium declaratur ab una parte vel ſpecie ejus, quæ ponitur in laudatione: *laudate Iehovam.* Cujus etiam gradus debitus notatur: *laudationibus commendate eum.* Qua voce ſignificatur vis magna, & quaſi violentia hujus laudationis, ut Pſal. 65. 8. Quæ eadem vehementia in hoc officio præſtando innuitur etiam in ejuſdem exhortationis ingeminatione: *laudate Iehovam, laudationibus commendate eum.* 2. Hujus officii ſubjectum, & actus efficiens cauſa ſpecialis declaratur: *gentes, nationes*, quæ ſua generalitate vel extenſione illuſtrantur: *omnes* gentes, *omnes* nationes. 3. Cauſæ ſubjiciuntur ad hoc officium præſtandum ſingulariter impellentes: *benignitas & fides Dei.* Quæ illuſtrantur. 1. A ſua relatione quam habent communem tam ad fideles gentes quam Judæos: *erga nos.* 2. Ab adjuncta magnitudine: *invaluit.* 3. Ab adjuncta duratione: *in ſeculum.* Quæ duo ultima reflexionem habent ad laudationem invaleſcentem & conſtantem.

### Documenta.

I. Laudatio Dei eſt unum ex præcipuis officiis religionis.

II. Hoc officium debet cum ſingulari zelo, & omnium virium intentione præſtari.

III. Ad hujus officii curam tam noſmetipſos, quam alios ex omni occaſione vehementer debemus excitare & inſtigare.

IV. Hæc laudatio, quamvis ab omnibus debeatur Deo, ſpecialiter tamen pertinet ad officium noſtrum, qui ex gentibus cooptati ſumus in populum Dei, Rom. 15. 7, 11.

V. Juſta conſideratio benignitatis Dei, quemlibet excitaret ad Deum laudandum, qui vel micam pietatis habet in corde.

VI. Ita conſideranda eſt benignitas Dei, ut ſimul attendatur veracitas promiſſionum, quibus illam benignitatem fecit nobis teſtatam.

VII. Communio ſanctorum in hac benignitate & fide participanda, addit aliquid ſuavitati hujus meditationis: *erga nos.*

VIII. Magnitudo benignitatis Dei qua prævalet, & omnia obſtacula vel impedimenta ſive extra ſive intra nos occurrentia, vincit, magnam vim habere debet, in cordibus noſtris afficiendis, *invaluit.*

IX. Continuatio hujus benignitatis continuam, aſſiduam & perpetuam laudationem requirit, *in ſeculum.*

## Psalmus Centesimus Decimus Octavus.

*Celebrate Iehovam, quia bonus* eſt; *quia in ſeculum benignitas ejus.*
2. *Dicat nunc Iiſraël, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.*
3. *Dicant nunc qui ſunt ex familia Aharonis, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.*
4. *Dicant nunc timentes Iehovæ, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.*
5. *Ex ipſo angore invocavi Iah, reſpondens* collocavit *me in lato Iah.*
6. *Iehova* adeſt *mihi, non timebo quod faciat mihi homo.*
7. *Iehova adeſt mihi cum auxiliatoribus meis: ideo ego deſpicio oſores meos.*

8. *Melius* est *recipere se ad Iehovam, quam fiduciam habere in ullo homine.*
9 *Melius* est *recipere se ad Iehovam, quam fiduciam habere in ingenuis.*
10. *Omnes gentes circumdederant me, sed in nomine Iehovæ enervavi eas:*
11. *Etiam atque etiam circumdederant me; sed in nomine Iehovæ enervavi eas.*
12 *Circumdederant me tanquam apes, exstinctæ sunt ut ignis spinarum: nam in nomine Iehovæ enervavi eas.*
13 *Graviter impuleras me ut caderem, sed Iehova auxilio fuit mihi.*
14. *Rober meum & carmen Iah, is fuit mihi saluti.*
15. *Vox cantus & salutis* est *in tentoriis justorum;* dicens *dextera Iehovæ agit strenue.*
16. *Dextera Iehovæ elata, dextera Iehovæ agit strenue.*
17. *Non moriar, sed vivam, ut enarrem opera Iah.*
18. *Severe castigavit me Iah; sed morti non tradidit me.*
19. *Aperite mihi portas justitiæ;* ut *ingressus per eas celebrem Iah.*
20. *Hæc ipsa porta ad Iehovam, per quam justi intrant.*
21. *Celebrabo te; quia exaudiens me, fuisti mihi saluti.*
22. *Quem lapidem spreverant structores, is est in caput anguli.*
23. *A Iehova est hic, est que mirabilis in oculis nostris:*
24. *Hac ipsa die effecit Iehova; exsultemus & lætemur in ea.*
25. *Obsecro Iehova, serva nunc; obsecro Iehova, prospera nunc.*
26. *Benedictus* est *qui venit in nomine Iehovæ, benedicemus vobis è domo Iehovæ.*
27. Dei *fortis Iehovæ, qui illustravit nos; ligate sacrificia festi funibus, usque ad cornua altaris.*
28. Deus *fortis meus es, ideo celebrabo te; Deus meus, exaltabo te.*
29. *Celebrate Iehovam, quia bonus* est; *quia in seculum benignitas ejus.*

## ANALYSIS.

DAVID in hoc Psal. à maximis periculis liberatus, & in regno (secundum promissionem Dei) stabilitus, beneficium hoc divinum ex gratitudine celebrare conatur. Hoc autem facit sub forma exhortationis, versic. 1. & ult. ubi 1. Celebrationis hujus objectum formale, quod idem est cum beneficii causa efficiente formali, notatur: constans nempe bonitas & benignitas Dei, *Quia bonus est: quia in seculum benignitas ejus.* 2. Personæ ad quas hoc officium spectat, & à quibus præstari debet, trimembri distributione designantur. *Israël, familia Aaronis, timentes Iehovæ,* vers. 2, 3, 4. 3. Beneficium ipsum liberationis, tanquam causam impellentem & materiam celebrationis, describit ac declarat: idque 1. à causa ad ministrante, *invocatione Dei*, quæ antecedentis & consequentis collatione illustratur, vers. 5. 2. Ab adjuncta fiducia: cujus antea conceptæ, jam vero hac liberatione maxime confirmatæ amplificatio petitur, & ab oppositi terroris exclusi-

cluſione, verſ. 6, 7. & à comparatione imparium inter hanc fiduciam divinam, & humanam qualemcunque, verſ. 8, 9. Atque etiam altera comparatione imparium inter hujus fiduciæ divinæ efficaciam, & hoſtium irritos conatus, v. 11, 12, 13. 4. Celebrationis propoſitum ac votum ex præcedentibus infertur, idque tam in perſona Davidis verſ. 14. quam in Eccleſiæ perſona vel nomine, verſ. 15, 16. Cujus cauſa vel ratio deſignatur & liberationis præteritæ experientia, & futuræ ſpes ex eo concepta, v. 17, 18. 5. Celebratio ipſa publica & ſolemnis deſcribitur ac repræſentatur. 1. ab adjuncta præparatione, in locum ſanctum cum omni gaudio ac reverentia adeundo, verſ. 19, 20. 2. à præcipuis ejus partibus: quæ ſunt, 2. Glorioſa gratulatio de commutatione facta à ſtatu contemptibili, in ſtatum ſummi honoris, verſ. 22. 2. Grata recognitio ſingularis & admirabilis efficaciæ ac providentiæ Dei, qua hoc effectum datum fuit, verſ. 23. 3. Stati temporis deſignatio ad hujus beneficii lætitiam fruenda, verſ. 24. 4. Adjuncta nuncupatio piorum votorum, v. 25. 5. Solennis benedictio, Dei nomine tam regi, quam populo denunciata, verſ. 26, 27. 6. Alacris oblatio ſacrificiorum vel cultus inſtituti obſervatio, v. 27. in fine. 7. Iterata glorificatio Dei, in ſolemni forma doxologiæ.

### DOCUMENTA.

I. Ad Deum glorificandum, ex omni occaſione, tam noſmetipſos, quam alios diligenter excitare debemus, ex verſ. 1.

II. In iſta glorificatione Dei, conſtantis Dei bonitatis ac benignitatis religioſa meditatio præcipuum locum habet, tam ſub cauſæ, quam objecti ratione, ibid.

III. Pertinet hoc officium ad omnes illos qui ſunt domeſtici Dei. verſ. 2.

IV. Singulariter pertinet ad Eccleſiæ miniſtros, qui, ut exemplaria & duces, aliis præire tenentur, verſ. 3.

V. Quicquid alii faciant, qui vera & ſyncera religione Deum ex animo colunt, prompti ac parati ſunt ad hoc officium præſtandum, v. 4.

VI. Singularis eſt cauſa Deum glorificandi, ſi nos liberaverit à periculo gravi, v. 5.

VII. Magis tamen efficaciter excitabimur ad Deum glorificandum, ſi liberationem aliquam precibus conſequamur, ibid.

VIII. Experientia benignitatis Dei in nobis liberandis, euſque confirmari debemus in fiducia ac ſpe divina, ut humanis terroribus conturbari, indignum nobis judicemus, v. 6, 7.

IX. In hac fiducia divina ſic gloriari, nos decet, ut deſpicatui habeamus omnem fiduciam humanam, verſ. 8, 9.

X. Gloriatio & triumphus fiduciæ divinæ, non niſi poſt graves tentationes ac certamina ſpiritualia viget in animis piorum, ex v. 10, 11, 12, 13.

XI. Cum ſancta gloriatione in Deo, conjungitur ſemper firmum propoſitum gratitudinis erga Deum, v. 14.

XII. In hoc propoſito gratitudinis erga Deum, conjungere nos piis debemus, ipſos partim imitando, & partim excitando, v. 15.

XIII. Efficacia providentiæ divinæ in Ecclesiæ bonum, gratitudinis materiam copiosam præbet, vers. 15, 16.

XIV. Per istam efficacem providentiam Dei, præservantur pii à morte ut Deum glorificent, quatenus ipsi consultum videtur vers. 17, 18.

XV. Qui gratia ac salute Dei vere afficiuntur, magno studio feruntur ad ejus nomen in sacris conventibus celebrandum, ex v. 19.

XVI. Qui zelum hunc habent erga Dei cultum, ad eum se diligenter præparant, & id agunt ut omnia quæ impediunt, è medio tollantur, ibid.

XVII. Ad præparationem istam spectat, ut cum reverentia Dei, conscientiæ bonæ cura, & alacritate animi hoc officium aggrediantur, ex v. 19, 20.

XVIII. Alacritas hæc animi ad Deum celebrandum, singulariter excitatur experientia gratiæ Dei, in precibus nostris exaudiendis, v. 21.

XIX. In celebratione Dei, diligenter meminisse & commemorare debemus, quomodo Dei gratia superet & omnem opinionem hominum, & omnes hostium conatus, tam in Christo, quam in ejus membris, ex vers. 22.

XX. In illa meditatione commemorandum est, istiusmodi opera propria esse Dei, idque cum admiratione agnoscendum, ex v. 33.

XXI. Occasiones omnes justæ sunt captandæ, hujus officii cum gaudio præstandi, ex v. 24.

XXII. Petitiones miscendæ sunt gratiarum actioni, v. 25.

XXIII. Promissiones etiam & benedictiones Dei sunt omni modo applicandæ & animis nostris infingendæ, v. 26.

XXIV. Cultus à Deo institutus diligenter & alacriter est observandus, v. 27.

XXV. Ædificare nos debemus in hoc studio, magis magisque adspirando ad specialem sensum favoris Dei, & affectus illi sensui congruentes, v. 28.

# PROLEGOMENON IN PSALMUM CENTESIMUM DECIMUM NONUM.

QUUM David in suæ vitæ curriculo, plurimas & diversissimas habuerit vicissitudinis rerum & conditionum, & in eis omnibus, verbo Dei adhærens, ejus virtute, feliciter per omnia transivit; in isthoc Psalmo quasi fasciculum colligavit omnium illarum meditationum, quas habuit circa verbum Dei, ad laudem vel celebrationem verbi divini, & nostram directionem in simili praxi (ex omni occasione) exercendam. 2. Quod autem istæ meditationes præcipue spectent ad verbum Dei nobis commendandum; hoc inde apparet quod nullus unus sit versiculus in toto Psalmo, qui non habet saltem unam vocem qua voluntas Dei revelata denotatur, præter, v. 122. In quo etiam, quamvis vox talis desit, vis tamen vocis, ac rei ipsius

ipſius continetur ſub metaphora *ſponſionis*, aut *vadimonii*, quod non niſi verbo fieri, dari vel obiri ſolet. 3. Voces illæ ſynonimæ, quæ paſſim hic occurrunt, & voluntatem Dei revelatam deſignant, ſunt decem:

I. תּוֹרָה *lex*, quæ notat hanc voluntatem Dei à Deo doceri, & ſolam dignam eſſe, quæ ab omnibus diſcatur.

II. חֻקִּים *ſtatuta*, quæ ſignificat hanc voluntatem continere officium nobis præſcriptum ac ſtatutum.

III. מִצְוֹת *præcepta*, quia eadem voluntas præſcribitur nobis cum ſumma authoritate legiſlatoris.

IV. פִּקּוּדִים *mandata*, quia illa voluntas eſt nobis & noſtræ fidei commiſſa, ut ſervetur.

V. עֵדוֹת *teſtimonia*, quia hæc voluntas quaſi teſtimonium & teſtamentum Dei teſtatur, 1. De jure, quid facere debeamus. 2. De facto, quando bene, & quando male agimus. 3. De eventu, quid boni, vel mali, ſit nobis expectandum ac eventurum, ſecundum illud quod agimus boni aut mali: & hac ratione derigit conſcientias noſtras, in teſtimonio reddendo tam de ſtatu noſtro, quam de actionibus præteritis, præſentibus, & futuris.

VI. מִשְׁפָּטִים *judicia*: Quia judicium vel ſententiam judicialem Dei continet, de noſtris dictis, factis, cogitatis, nec non de executione congruente certo conſecutura.

VII. אִמְרָה *ſermo*, vel *oraculum*; Quia provenit quaſi ex ore Dei.

VIII. דָּבָר *verbum*, Quia repræſentat nobis, quaſi alloquio quid Deus velit à nobis fieri.

IX. דֶּרֶךְ *via* Dei, Quia eſt delineatio & circumſcriptio perfecta actionum omnium noſtrarum, quaſi totidem greſſuum: quatenus imaginem Dei referunt, ipſi placent ac probantur, & etiam ad ipſum deducunt.

X. צֶדֶק *juſtitia*; Quia verbum Dei rectitudinem habet in ſe juſtiſſimam: juſtum facit hominem à quo obſervatur, etiam coram Deo, juſtificatum omni genere experimentorum, & explorationum: & ab omnibus ſapientiæ filiis debet ſemper juſtificari. 4. Ita concinnantur Pſalmi hujus meditationes, ut in partes 22 deſtinguatur, ſecundum numerum & ordinem literarum alphabeti, & in ſingulis partibus ſint octo verſiculi, ab eadem litera incipientes: ut memoria diſcentium (etiam puerorum) juvetur in eis meditationibus ediſcendis, & retinendis, quæ (ut maxime neceſſariæ) debent omnibus eſſe familiares.

## Psalmi Centesimi decimi noni.

# OCTOSTICHUM I.

*Beati integri via, qui ambulant in lege Iehovæ:*
2. *Beati custodientes testimonia ejus, ex toto animo quærentes eum.*
3. Qui *etiam non operantur iniquitatem*, sed *in viis ejus ambulant.*
4. *Tu præcepisti mandata tua observari valde:*
5. *Utinam comparentur viæ meæ, ad observandum statuta tua:*
6. *Tunc non erubescam, quum intuebor in omnia præcepta tua.*
7. Sed *celebrabo te recto animo, discendo jura justitiæ tuæ:*
8. *Statuta tua observabo, ne derelinquas me admodum.*

## ANALYSIS.

IN Octosticho primo, 1. Commendatur nobis verbum Dei, ab adjuncta beatitudine eorum, qui ejus ductum sequuntur. Quæ consertatio & praxis verbi illustratur, 1. Variis proprietatibus, *integritate, & perseverantia*: v. 1. Attenta ac solicita cura: v. 2. Abnegatione & fuga oppositæ iniquitatis: v. 3. 2. Illustratur etiam eadem praxis verbi, à causa efficiente voluntate nempe Dei, eandem præcipientis & sic necessariam obligationem hujus praxeos nobis imponentis: cujus etiam obligationis modum & gradum ad summum usque studium & conatum extendi notatur, v. 4. Hæc fuit fides Davidis circa verbum Dei. Sequitur affectus ejus. 2. Præstantia illa verbi divini congruente affectu tanquam effecto meditationis illius illustratur. Qui affectus erga praxin verbi primo sub forma seriæ optionis ac voti proponitur, v. 5. Cujus voti ratio redditur à duplici effecto hujus praxeos vitatione scilicet, confusionis, quæ consequeretur ex frustratione spei totius vitæ, vers. 6. & adeptione solidi gaudii, per celebrationem nominis Dei tanquam fructum ejus proprium demonstrandi, v. 7. Postea, idem affectus declaratur proposito sancto omnis conatus voto huic adjungendi: quod etiam communitur deprecatione oppositæ derelictionis, in qua divini auxilii imploratio continetur, vers. 8.

### Documenta.

I. Quamvis beatitudo ab omnibus hominibus confuse appetatur, eandem tamen efficaciter appetere, & distincte, hoc proprium est Ecclesiæ, ex gratia speciali, v. 1.

II. Ad beatitudinem perducit voluntas Dei, in verbo scripto revelata, ibid.

III. Verbum Dei non alia ratione ad beatitudinem perducit, quam si in praxin convertatur, ibid.

IV. Ad praxin verbi beatificam requiritur imprimis synceritas & constantia, ibid.

V. Cum synceritate hujus praxeos conjungi debet attenta ac sollicita cura, tam bonum faciendi, quam

quam malum abnegandi & fugiendi verſ. 2, 3.

VI. Hæc cura & conſcientia voluntatis divinæ obſervandæ ingeneratur nobis ex ſeria conſideratione authoritatis Dei, hoc præcipientis, & obligationis illius, quæ nobis (virtute præcepti divini) incumbit, v. 4.

VII. Virtute præcepti divini nos obligamur ad ſummum ſtudium & conatum perfectionis, in obſervatione verbi Dei, ibid.

VIII. Conſideratio præſtantiæ verbi divini, & neceſſariæ illius obligationis quæ nobis incumbit, excitare in nobis debet pios affectus, & ardentiſſima vota, ut viæ noſtræ ſint illi verbo conformes, v. 5.

IX. Per accuratam obſervationem verbi divini, & per illam ſolam, vitabimus pudorem & confuſionem, verſ. 6.

X. Per eandem obſervationem acquiritur ſolidum gaudium ita ut eo ipſo nomine, quod tam cognitionem quam praxin hanc largitus ſit nobis Deus, nomen ejus ſyncere à nobis celebretur, v. 7.

XI. Cum pio iſthoc affectu erga verbum Dei, conjungendum eſt ſanctum propoſitum omne ſtudium & conatum conferendi ad illud præſtandum, quod optamus, v. 8.

XII. Hoc propoſitum communiri debet aſſidua imploratione gratiæ divinæ, ibid.

## OCTOSTICHUM II.

9. *Quomodo purificabit puer ſemitam ſuam? obſervanda* eam *ſecundum verbum tuum.*

10. *Ex toto animo meo quæro te, ne ſinas me errare à præceptis tuis.*

11. *In animo meo recondo ſermonem tuum, ut non peccem in te.*

12. *Tu benedicte Iehova, doce me ſtatuta tua.*

13. *Labiis meis recenſeo omnia jura oris tui.*

14. *De via teſtimoniorum tuorum gaudeo, ut ſuperioram omnibus opibus:*

15. *De mandatis tuis meditor, & intueor ſemitas tuas:*

16. *In ſtatutis tuis me ipſum oblecto, non obliviſcor verbi tui.*

## ANALYSIS.

QUum in priore parte docuerat Propheta beatitudinis viam eſſe verbum Dei, & beatitudinis pars non minima ſit in ſanctificatione vitæ; in hac ſecunda parte ejuſdem verbi 1. efficaciam oſtendit, ad ſanctificationem operandam: & 2. modum ac rationem, quam quiſque ſequi debet, ut illam efficaciam verbi in ſeſe habeat operantem.

1. Efficacia verbi ſanctificans declaratur per illam operationem, quam habet in ſubjecto minime omnium diſpoſito aut præparato ad opera ſanctificationis, *puero* ſcilicet aut adoleſcente, v. 9. in principio: ubi purificatio ſemitæ pueri, per ſynecdochen ſpeciei, ſignificat cujuſlibet hominis ſanctificationem. 2. Modus & ratio ſanctificationis hujus per verbum obtinendæ, fuſius decla-

claratur: utpote quæ consistit 1. in attenta cura, vitam totam verbo conformem reddendi, in fine, v. 9. Ubi simul notatur tempus hujus curæ suscipiendæ, quod scilicet incipere debeat à *pueritia* (si fieri possit) prima, absque ulla procrastinatione aut dilatione, 2. In syncero studio istam gratiam cum aliis mediis, tum precibus consequendi, v. 10. 3. In fideli conservatione cognitionis quam habemus, ejusque directione ad praxin, v. 11. 4. In efficaci desiderio & religiosa petitione plenioris informationis ac directionis, tanquam benedictionis magnæ, à celebranda Dei benignitate derivandæ, v. 12. 5. In frequentibus exercitiis cognitionis illius, quam habemus ad Dei gloriam, in nostra & aliorum exædificatione. v. 13. 6. In incomparabili affectu dilectionis & gaudii erga verbum Dei, ejusque praxin in cordibus nostris excitando, vers. 14. 7. In assidua meditatione & contemplatione ejusdem verbi, v. 15. 8. In voluptate nostra præcipua ex isthoc verbo quærenda, ejusque congruente recordatione, v. 16.

DOCUMENTA.

I. Primarium est officium omnium & singulorum, qui ad usum rationis pervenerunt, etiam adolescentium, & semi-puerorum, diligentium inquirere, quomodo possint vias suas sancte ordinare, ex v. 9. in princ.

II. Verbum Dei est unica regula, sufficiens & efficax ad vitam sancte instituendam, ibid. in fine.

III. Ut verbum sit efficax ad nostram sanctificationem, diligens requiritur observatio, ne vita nostra dissentiat à verbo, sed eidem conformis in omnibus reddatur, ibidem.

IV. Observatio nostra per se non sufficit: sed à Deo gratiam & auxilium religiose quærere debemus, ut ille nos observet in bonum, vers. 10.

V. Quia gratia Dei communicatur nobis per verbum; idcirco verbi cognitio illa, quam assecuti sumus, thesauri loco debemus habere, fideliter eam custodiendo, & ad praxin dirigendo, v. 11.

VI. Quia cognoscimus & facimus tantum ex parte; pleniorem igitur institutionem & directionem obnixe petere debemus à Deo, tanquam singularem ejus benedictionem, v. 12.

VII. Qui istum affectum habent erga Dei verbum, circa illud, tam verbis, quam factis, libenter occupantur, v. 13.

VIII. Per hujusmodi exercitia circa verbum Dei, ita imprimitur animis fidelium suavis sensus bonitatis ejus, ut illud magis diligant, magisque de eo gaudeant, quam de omnibus rebus mundanis, v. 14.

IX. Qui gustarunt quam bonum sit Dei verbum, libenter & frequenter de illo meditantur in ordine ad praxin, v. 15.

X. In ista meditatione seriam & solidam delectationem inveniunt pii, v. 16.

XI. Qui verbo Dei vere delectantur, illud non facile oblivioni tradunt, ibid. in fine.

OCTO-

## OCTOSTICHUM III.

17. *Beneficium confer in ſervum tuum;* ut *dum vivo, obſervem verbum tuum.*

18. *Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.*

19. *Perigrinante me in hac terra, ne abſcondas à me præcepta tua.*

20. Nam *comminuor ipſe, ab deſiderium erga jura tua omni tempore.*

21. Tu qui *perdis ſuperbos, maledictos; qui errant à præceptis tuis.*

22. *Devolve à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua cuſtodio:*

23. *Tum conſidentibus principibus,* de me *ſermones frequentantibus, ſervus tuus meditatur de ſtatutis tuis:*

24. *Tum teſtimonia tua oblectationes meæ* ſunt *conſiliarii mei.*

## ANALYSIS.

EXpoſita jam excellenti verbi Dei virtute, ad beatitudinem & ſanctitatem ſui ſtudioſis præſtandam, ſequitur ex ordine rationis, ut condignum ſtudium verbi in cordibus noſtris excitetur.

Hoc autem ſtudium in iſta parte Pſalmi explicatur; ubi David 1. generaliter Dei gratiam implorat, qua fiat ut obſervet ejus verbum, 17. Ubi etiam hæc gratia & conſequenter ſtudium ejus gradatim illuſtratur. 1. A genere & gradu ejus, quod ſit beneficium maximum. 2. A ſubjecto ejus, quod proprium ſit ſervorum Dei. 3. Ab effecto & fructu ejus, quod vitam perficiat, tanquam finis, eamque reddat vere vitalem. 2. Specialis petitio ſubjungitur pro illuminatione mentis ad verbum Dei recte intelligendum: quæ intelligentia verbi ſimul illuſtratur ab ſumma illa excellentia & difficultate, quæ reperitur in objecto, vel verbo intelligendo, v. 18. Urgetur etiam eadem petitio à neceſſitate ipſius quæ tam ex conditione Davidis declaratur, v. 19. quam ex affectu illi conditioni congruente, verſ. 20. Cujus affectus occaſio ſingularis exponitur in ſuperbia perditorum hoſtium, qui ex maledicta nequitia verbum Dei contemnebant, v. 21. & eo ipſo nomine contemnebant ac deridebant Davidem, quod verbo Dei adhærebat, v. 22. Quod in argumentum convertitur implorandi gratiam Dei in verbi intelligentia, fide ac virtute communicanda ad hoc incommodum auferendum, ib. Et hujus argumenti conſequentia inde confirmatur, quod fortiter ac ſyncere verbo Dei adhærebat; ſicut enim propter verbum contemptum patiebatur à viris potentibus & aſtutis, ſic ipſorum terrori & conſultationibus, ſolius verbi delectationem & conſilium opponebat, v. 23, 24.

### DOCUMENTA.

I. Excellens virtus verbi divini ſummum ſtudium ſui in animis piorum ſolet excitare; ex hoc Octoſticho cum prioribus comparato.

II. Studium ſyncerum erga verbum Dei, preces ardentes producit, ut virtus ejus nobis communicetur, ex toto Octoſticho.

III. Petendum hoc eſt à Deo, tanquam primarium beneficium, quod

quod solet in suos servos conferre, ex v. 17.

IV. Petendum etiam est, ut finis & perfectio vitæ nostræ, ibid.

V. Specialiter petenda est à Deo illuminatio mentis nostræ ad verbum intelligendum, v. 18.

VI. Qui mentes habent illuminatas, mirabilia vident in verbo Dei, quæ superant communem rationem, ita ut aliis vel non veniant in mentem, vel incredibilia videantur, ibid.

VII. Qui intelligunt vitam suam in hac terra esse peregrinationem, illi nihil magis quærunt quam ut per verbum Dei in via sua versus patriam dirigantur, v. 19.

VIII. Hoc desiderium erga verbum adeo est fervidum in piis animis, ut eodem consumi debeant, nisi ex parte saltem adimpleretur, v. 20.

IX. Nequitia, superbia, & irrisio impiorum non debet minuere, sed magis excitare hoc studium piorum, v. 21.

X. Adversus illas tentationes munire nos debemus certa ac viva spe auxilii divini, v. 22.

XI. Spes ista vel in maximis tentationibus erigitur & confirmatur, si adversus terrores & astutias hostium, consolationem, & consultissimam directionem in verbo Dei quæramus, v. 23, 24.

## OCTOSTICHUM IV.

Vers. 25. *Adhæret pulveri vita mea : vivum serva me secundum verbum tuum.*

26. *Vias meas recensentem exaudivisti me ; doce me statuta tua.*

27. *Fac ut viam mandatorum tuorum intelligam, ut mediter de mirabilibus tuis.*

28. *Stillat anima mea præ mæstitia, erige me secundum verbum tuum.*

29. *Viam falsitatis amove à me, & legem tuam gratiose largire mihi.*

30. *Viam veritatis eligo, judiciorum tuorum propono* mihi *:*

31. *Inhæreo testimoniis tuis Iehova, ne finas me erubescere.*

32. *Viam præceptorum tuorum percurram, quum dilataveris animum meum.*

## ANALYSIS.

Hactenus declarata fuit virtus verbi divini, prout communis est, & omni tempori ac conditioni fidelium quadrans. Ad omnes enim pertinet, semper in animis habere & meditari, quod beatitudinis ac sanctificationis unica regula & via sit verbum Dei, & quomodo studium & affectus tali verbo congruentes in semetipsis excitare, & piis votis exerere possint. Jam vero in ista parte incipit Propheta monstrare sub suo proprio exemplo, quomodo idem verbum Dei usum habet ad speciales fidelium conditiones accommodatum, & imprimis ad tempus gravis alicujus afflictionis.

Proponit igitur 1. Deo casum suum, quomodo scilicet pressus fuerit gravi calamitate, ita ut proxime

accesserit ad miseram mortem, vers. 25. in principio. 2. Petit imprimis à Deo consolationem, recreationem, ac restitutionem illam, quæ verbum ejus promittit afflictis, ib. in fine, v. 28. in fine. Argumentum subjungit ad illam. 3. Petit etiam illuminationem & directionem ejusdem verbi, ut rite possit illam restitutionem expectare, v. 26. in fine v. 27. quam precationem illustrat deprecatione erroris adversi, v. 29.

Argumentum 1. quo istæ petitiones suadentur, petitur à causa spei administrante, quæ etiam est causa disponens ab bona petita consequenda, conscientia scil. bona, qua profitetur se antea ex omni occasione Deum de rebus suis consulisse, & ab eo pependisse, v. 26. in princ. *vias meas recensui*.

Secundum arg. petitur à pari Dei gratia, quam aliis temporibus expertus fuerat Propheta, ibid. in medio: *exaudivisti me*.

Tertium petitur ab adjuncta necessitate hujus petitionis, quæ necessitas ex eo declaratur, quod nisi levatus non potuerit diutius durare: quia ex ægritudine anima vel vita ejus quasi stillatim defluere videbatur, v. 28.

Quartum argumentum petitur à causa administrante, syncero nempe studio ipsius erga verbum Dei, quod quasi per partes distributive explicatur: *intentione, electione, prosequutione* cordis aut voluntatis, v. 30, 31. Cujus argumenti consequentia firmatur à gravi incommodo inde consecuturo, si tale studium a Deo negligeretur: futurum scil. ut qui speravit in Deo secundū verbum ejus, de spe sua erubesceret, vel confunderetur, quod Deo est indignum, v. 31. in fine.

Quintum argum. petitur à fine & fructu hujus restitutionis, glorificatione scil. Dei, per alacrem observantiam ipsi præstandam, v. 32.

DOCUMENTA.

I. Fideles Dei servi hoc habent cum aliis mortalibus commune, quod variis afflictionibus & calamitatibus sæpe dejiciantur & prosternantur, ex v. 25. in principio.

II. Hoc tamen proprium est fidelium, quod in calamitatibus pressi confugiant ad Deum, & opem ipsius cum spe viva implorent, ibidem in medio.

III. Spes ista fidelium in verbo Dei fundatur, ibid. in fine.

IV. In verbo non solam consolationem & promissam liberationem spectant fideles afflicti, sed etiam directionem ejus, quomodo se gerere debeant in liberatione illa expectanda, v. 26. in fine, & 27.

V. Consolatio & directio mirabilis in verbo Dei continetur, v. 27.

VI. Dei singularis est gratia, si det nobis illam consolationem ac directionem percipere, & nobis applicare, ibid.

VII. Qui Deum syncere & constanter consulunt de viis suis, illi fidenter possunt hanc gratiam à Deo sperare, v. 26.

VIII. Hæc spes confirmatur experientia, ibid.

IX. Quo major est necessitas quæ nos premit ac urget, eo magis erigere spem & preces intendere debemus, v. 28.

X. Etiam in extrema necessitate cavendum est, & petendum à Deo, ut conservemur à viis & consiliis omnibus quæ verbo Dei adversantur, v. 29.

XI. Verbo

XI. Verbo Dei ita studere debemus toto corde, ut præcipua nostra intentio, electio & prosecutio in illud solum feratur, v.30, 31.

XII. Qui hoc studio aguntur, illi de spe sua nunquam erubescent, versic. 31. in fine.

XIII. Studii hujus alacritas & efficacia crescere debet, prout Dei erga nos beneficentia magis manifestatur, vers. 32.

## OCTOSTICHUM V.

Vers. 33. *Doce me Iehova, viam statutorum tuorum; quam custodiam in finem* usque.
34. *Fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam; observemque eam ex toto animo.*
35. *Fac ut incedam itinere præceptorum tuorum, nam eo delector.*
36. *Flecto animum meum ad statuta tua; neque* sinas deflecti *ad quæstum.*
37. *Averte oculos meos, ne respiciant vanum: in viis tuis fac ut vivam.*
38. *Præsta servo tuo sermonem tuum, qui* addictus est *reverentiæ tui.*
39. *Averte opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona* sunt.
40. *Ecce desiderio mandata tua, in justitia tua fac ut vivam.*

## ANALYSIS.

IN ista parte continuatur doctrina de usu, quem verbum habet in afflictionis malo, sed cum hac differentia, quod quum in priore parte egerit de afflictionum ærumna; in hac præcipue agar de tentationibus quæ graviores afflictiones solent comitari, & in quibus præcipuum earum malum consistit. Ostensurus igitur Psalmista sub exemplo suo, quomodo ex verbo Dei munire nos debeamus adversus hujusmodi tentationes, petit imprimis à Deo illuminationem ac institutionem in verbo, v. 33, & 34. *doce, fac ut intelligam*: in principio. Cujus modum singularem 1. Declarat, quod sit practica non speculativa tantum institutio, quam quærebat. ib. in med. *quam custodiam, observemque*. 2. Praxeos illius durationem subjungit v. 33. in fine, *ad finem usque*. 3. Adjunctam ejus synceritatem, v. 34. in fine, *ex toto corde*. Petit secundo in loco efficacem Dei gubernationem, secundum ejusdem verbi directionem, v. 35. in principio. Quæ petitio cur fiat, causam & cur concedenda sit, rationem reddit ab affectu delectationis, quam habuit in praxi verbi, ex quo affectu tanquam ex impellente causa illa petitio processit, v.35. in fine, *nam eo delector*. Tertio in loco opem Dei implorat adversus impedimenta praxeos illius expetitæ, tanquam gubernationis illius primarium effectum. Quorum primum est interna proclivitas aut propensitas cordis ad pravas concupiscentias, quæ per unam speciem avaritiæ synecdochice notantur v. 36. in fine, *& non ad avaritiam, vel quæstum*. Quam propensitatem ad malum,

malum, curari petit à Deo per oppoſitam reflectionem cordis ad verbum, ibid in principio, *flecte cor meum ad ſtatuta tua.* Secundum impedimentum eſt in externis objectis, quæ cum magno periculo ſeductionis inſinuant ſeſe per ſenſus externos ad talia recipienda nimis paratos, v. 37. in medio, *ne oculi reſpiciant vanum.* Quod periculum averti à ſe petit per commutationem animi tam efficacem, ut etiam extendatur ad ſenſus externos recte ordinandos, ib. in principio, *averte oculos.* Has petitiones ( quarto in loco ) illuſtrat à fructibus exauditionis earum, qui etiam conjunctim à Deo petuntur. Fructus autem illi ſunt. 1. Vivificatio in bono, v. 37. in fine. 2. Promiſſionum Dei impletio, verſic. 38. in principio : quæ ſuadetur à cauſa adminiſtrante, vel conditione aliquo modo impleta, ibid. in fine. 3. Pudefacientis mali averſio, v. 39. in principio. Cujus fundamentum vel primaria cauſa collocatur in bonitate Dei, & verbi ejus, ibid. in fine. Hæc denique omnia ſummatim petuntur ſub titulo *vivificationis*, v. 40. in fine ; & ſuadentur à Dei perfectione, vel *juſtitia*, ac vivificandi, imperfecto quidem, ſed ſyncero affectu *deſiderii* erga verbum Dei, ibid.

### DOCUMENTA.

I. Ex nobiſmetipſis non ſumus ſufficientes, ne quidem ad intelligendum verbum Dei ſicut oportet, quum à nobis vel legitur vel auditur, ex v. 33. & 34. in principio.

II. Ex conſcientia noſtræ inſufficientiæ, ſpecialis illuminatio ac inſtitutio ardenter ac inſtanter à Deo eſt petenda, ibid.

III. Omnis cognitio veritatis quam accipimus ex illuminatione ac inſtitutione Dei, dirigenda ſemper eſt ad praxin, ibid. in med.

IV. In praxi verbi divini conſtantes eſſe debemus ac ſynceri, ibid. in fine.

V. Ad conſtantem ac ſynceram praxin verbi, efficax Dei gubernatio eſt nobis neceſſaria, atque adeo ex omni occaſione petenda, v. 35. in princ.

VI. Gubernationis divinæ petitio fervida eſt & efficax, ubi procedit ex affectu amoris ac dilectionis erga pietatem, ibid. in fine.

VII. Primarium effectum eſt gubernationis divinæ, ſi corrigatur in in nobis interna propenſitas cordis ad concupiſcentias pravas, & ejus loco ingeneretur nobis inclinatio ad verbum Dei obſervandum, v. 36.

VIII. Secundarium effectum ejuſdem gubernationis eſt, ſi externi ſenſus ac membra corporis non in res vanas, ſed in ſalutares ordinate ferantur, v. 37. in principio.

IX. Quibus talis inſtitutio & gubernatio Dei adeſt, ii vividi & alacres ſunt in viis Dei, Ibidem in fine.

X. In viis Dei ambulantes certo participes fient promiſſionum Dei, v. 38. in principio.

XI. Quo magis quis deditus eſt reverentiæ Dei, eo majorem fiduciam concipere poteſt de promiſſionibus divinis, ibidem in fine.

XII. Qui ſic adhærent bono Dei verbo, illos ſui conſilii nunquam pudebit aut pigebit, v. 39.

XIII. In omnibus hujuſmodi votis ſpes erigitur & confirmatur intuitu perfectionis divinæ, & noſtræ ſynceritatis, v. 40.

OCTO-

# OCTOSTICHUM VI.

41. *Quumque obvenerint mihi benignitates tuæ Iehovæ ; salus tua secundum sermonem tuum.*
42. *Respondebo probro afficienti me verbum, quia fiduciam habeo in verbo tuo.*
43. *Sed ne abripe ab ore meo verbum verum admodum : quandoquidem jura tua expecto :*
44. *Et observabo legem tuam jugiter, in seculum & sempiternum :*
45. *Indesinenterque ambulabo in ipsa latitudine, quia mendata tua quæro.*
46. *Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, neque erubescam.*
47. *Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo,*
48. *Attollam manus meas ad præcepta tua quæ diligo, & meditabor de statutis tuis.*

## ANALYSIS.

IN ista parte declaratur usus verbi congruens tempori liberationis à gravi aliqua afflictione, periculo, & tentatione : qui usus in proposito, promissione ac voto præexistere debet, ac liberationem ipsam prævenire : sicut in ista parte, sub exemplo Davidis, declaratur. Ubi primo, liberatio ipsa variis modis illustratur, 1. Ab authore, vel causa principali : *salus tua Iehova.* 2. A formali ratione sub qua ab illa causa procedit, ampla scilicet & copiosa bonitate ac gratia Dei : *benignitates tuæ.* 3. A causa administrante, vel efficaciæ ejus testificatione : *secundum eloquium tuum*, hæc omnia v. 41.

Secundo in loco, usus & fructus hujus liberationis exponitur, defensio scil. idonea adversus ludibria, subsannationes, & insultationes impiorum : *& respondebo probris me afficienti verbum.* Qui idem usus verbi esse declaratur : quia verbum, ut spei objectum, facit tam subsannationis, quam defensionis materia : *respondebo verbum, quia fiduciam habeo in verbo tuo*, v. 42.

Tertio, hic optatissimus usus verbi, quo posset impios confundere, & alios ædificare, ut constanter sibi suppeditetur, petit, idque tam virtualiter in ipso facto vel opere liberationis, quam gratiæ congruentis communicatione quæ duo per deprecationem oppositæ privationis notantur : *ne abripe ab ore meo verbum*, v. 43. in principio Cujus voti ratio redditur, partim a præstantia illius verbi, quod est *verum admodum*, ibidem in medio, & partim à spe sua in eodem collocata : *quandoquidem jura tua expecto.* Ibid. in fine.

Quarto, alterum usum verbi post liberationem concessam, exponit, sub forma voti nuncupati : qui in ejus praxi collocatur. Quæ praxis declaratur ab adjuncta constantia, & fortitudine invicta, v. 44. Atque etiam à libertate illa, quæ serium studium verbi comitari solet, versic. 45.

Tertium usum, primi illustrationem, ponit in professione ac prædicatione verbi, nullo vel terrore vel splendore

ſplendore mundano impedienda, verſ. 46.

Quartus uſus verbi, ex occaſione ſalutis communicatæ, eſt totius hominis vel omnium facultatum applicatio ad virtutem ejus fruendam, affectuum, virium, & ſpiritus mentis, v. 47,48. *Oblectabo me, attollam manus, meditabor.*

### Documenta.

I. Omnis ſalus vel liberatio ab afflictionibus, periculis, ac tentationibus, Dei eſt, & à Deo quærenda, v. 41. *Salus tua, Iehova.*

II. Abundans eſt benignitas Dei, ab iſtam ſalutem præſtandam eis, qui ipſam quærunt. Ibid. *benignitates tuæ.*

III. Regula benignitatem Dei ſperandi, eſt voluntas ejus in verbo revelata. Ibid. *Secundum ſermonem tuum.*

IV. Ex verbo (precipue promiſſionis jam præſtitæ) ſuppeditatur fidelibus verbum, quod impiis irriſoribus fidenter poſſint reſpondere, v. 42.

V. Singularis eſt gratia Dei, ſi verbum hoc reſpondendum nobis communicetur, una cum ſpiritu gratiæ ac fortitudinis, ad illud enunciandum, v. 43. *Ne eripias ex ore meo verbum.*

VI. Ad iſtam gratiam petendam, accuuntur animi fidelium conſideratione præſtantis veritatis verbi divini. Ibid. *Verbum verum admodum.*

VII. Ejuſdem gratiæ impetrandæ ſpem magnam concipere quis poſſit, ex eo ipſo quod ſperet in verbum, v. 42. & 43. in fine. *Quia ſpero in verbum, quia judicia tua expecto.*

VIII. Quando ſpei & expectationi noſtræ ſatisfacit Deus, ex gratitudine magis excitari debemus ad omnem obedientiam ipſi præſtandam, v. 44. in principio.

IX. Obedientiæ laus eſt conſtantia, ib. in fine.

X. Conſtantiæ fomes eſt libertas cordis in bono, verſ. 45. in principio.

XI. Libertas acquiritur ſyncero ſtudio verbi. Ibidem in fine.

XII. A libertate profeſſionis, quæ cedit in gloriam Dei, nullus pudor vel terror debet nos amovere, verſ. 46.

XIII. Cum profeſſione verbali, conjungenda eſt omnium facultatum applicatio ad verbum Dei magis magiſque amplectendum, verſ. 47, 48.

## OCTOSTICHUM VII.

49. *Recordare verbi cum ſervo tuo* habiti, *de quo ſpem feciſti mihi.*

50. *Hæc* eſt *conſolatio mea in afflictione mea: ſermonem tuum vivificare me;*

51. *Superbis deridentibus me admodum, à lege tua me non declinare:*

52. *Recordari judiciorum tuorum inde à ſeculo Iehova; & meipſum conſolari.*

53. *Procella prehendente me ab improbis, deſertoribus legis tuæ.*

54. *Pſallendi argumenta eſſe mihi ſtatuta tua, in loco peregrinationum mearum;*

55. *Recordari me noctu nominis tui Iehova, & obſervare legem tuam.*

56. *Hæc* conſolatio *eſt mihi, me mandata tua cuſtodire.*

## ANALYSIS.

QUum in priore parte testatus fuerat David, quid sibi proposuerat faciendum post liberationem ex afflictione concessam; in hac ostendit quomodo fiduciam & consolationem tam certam conceperit de illa liberatione in tempore futura. Fiduciam igitur istam declarat, 1 A causa principali vel authore Deo, v. 49. in fine. *Spem fecisti mihi.* 2. A causa subministrante, & objecto primario. Ibid. in med. *verbum promissionis.* 3. Ab objecto secundario, præstatione illius verbi, Ib. in prin. *Recordare verbi.* 4. Ab effecto, consolationis, nempe adversus terrores affligentes, v. 50. in principio. *Hæc est consolatio mea in afflictione mea.* Quæ consolatio describitur, 1. Per vigorem animo communicatum, tanquam effectum, & verbum promissionis tanquam propriam ejus causam. Ibidem, in fine. *Quia verbum tuum vivificat me.* 2. Per causas ejus adjuvantes, quarum una fuit conscientia bona: quæ declaratur per constantiam fidei ac obedientiæ, in medio gravissimarum tentationum: quarum species una commemoratur tanquam præcipua, nimia scilicet derisio superbientium impiorum, vers. 51. *Superbi deriserunt me admodum: à lege tua non declinavi.* Altera causa adjuvans consolationis ejus ponitur in recordatione judiciorum Dei, quæ ab initio mundi fecerat, quibus scilicet malos semper repressit, bonosque liberavit, sed tempore suo, v. 52. *Recordatus sum judiciorum tuorum, &c.* 3. Eadem consolatio Dei illustratur per oppositum horrorem ab impiis exortum, vers. 53. *procella prehendit me, &c.* Quem horrorem superatum fuisse consolatione divina, ex effecto lætitiæ in medio afflictionum, ostendit, vers. 54. *cantiones fuerunt mihi, &c.* Cujus lætitiæ causam fuisse docet perpetuam recordationem nominis divini, ad praxin usque efficacem, vers. 55. *recordatus sum noctu, &c.*

Hæc denique omnia quæ dixerat Propheta de fiducia & consolatione sua, refert ad laudem verbi divini, secundum communem scopum totius Psalm, v. 56. *Hoc evenit mihi, quia statuta tua servavi.*

### DOCUMENTA.

I. Piorum animi in omni angustia sustentantur spe divina, vers. 49. in fine.

II. Spes hæc divina nititur promissionibus Dei, & earum complementum exspectat. ibid. in princ.

III. Ex hac spe, solida consolatio in corda fidelium derivatur, v. 50. in princ.

IV. Consolatio divina est vita & vigor animi, haustus ex verbo Dei, Ibid, in fine.

V. Spes corroboratur, & consolatio sustentatur ac promovetur testimonio conscientiæ bonæ, v. 51. in fine.

VI. Conscientia bona clare demonstratur per constantiam fidei, ac obedientiæ in medio tentationum, ib. in princ.

VII. Inter tentationes explorantes, derisionem impiorum & superborum pietatis nomine pati, est una ex præcipuis, Ibid.

VIII. Ad-

VIII. Adverſus hujuſmodi tentationes multum confirmatur animus, recordatione judiciorum Dei, impiis reprimendis & piis liberandis, v. 52.

IX. Tanta vis eſt conſolationis divinæ, quando viget in animo bene confirmatio, ut lætitiam pariat, in medio horroris ab impio mundo nobis incuſſi, verſ. 53. & 54.

X. Lætitia ſpiritualis ac ſolidia oritur ex conſtanti & efficaci recordatione nominis divini, v. 55.

XI. Omnia iſta privilegia ſunt eorum propria, qui verbo Dei adhærent, v. 56.

## OCTOSTICHUM VIII.

57. *Portio mea es Iehova, dico; ut obſervem verba tua.*
58. *Deprecor faciem tuam ex toto animo, gratiam fac mihi ſecundum ſermonem tuum.*
59. *Reputo vias meas, ut referam pedes meos ad teſtimonia tua.*
60. *Feſtino, ac non cunctor obſervare mandata tua.*
61. *Turbis improborum diſpoliantibus me; legis tuæ non obliviſcor.*
62. *Media nocte ſurgo ad celebrandum te, propter jura juſtitiæ tuæ.*
63. *Socius ſum omnibus qui reverentur te, & obſervantibus mandata tua.*
64. *Benignitatis tuæ, ô Iehova, plena eſt terra; ſtatuta tua doce me.*

## ANALYSIS.

QUoniam conſolatio vera ſic afficit animos piorum, ut ſtudium ipſorum erga Deum & verbum ejus accendat; idcirco conſolationis declarationi, in priore parte factæ, ſubjungit hic Propheta ſtudii ſui erga Deum & verbum ejus profeſſionem.

Studium hoc erga Deum, & verbum ejus, declaratur ab adjunctis, quod eſſet maximum tam intenſive, quam appretiative, id eſt, nihil magis deſideraret, neque quidquam huic præeligendum æſtimaret, v. 57. *portio mea es Iehova.* Quæ verba ſive legamus: *Iehova eſt portio mea, ideo dixi quod obſervabo verba tua*; ſive: *Iehova qui portio mea es, dixi quod obſervabo verba tua*, ſive: *dixi Deus eſt portio mea, ut obſervem verba tua*; ſive: *dixi Iehova, hæc portio mea eſt, ut obſervem verba tua*, eodem redit ſenſus, ſtudium Prophetæ erga Deum & legem ejus fuiſſe ſummum, quale eſt hominum erga deſideratiſſimas ſuas portiones & hæreditates. Alterum adjunctum hujus ſtudii fuit in perfectione modi. Non enim erat inconſideratum, volaticum, leve, ſed maxime deliberatum, & propoſiti fixi, ibid. *dixi*, id eſt, ſtatui, decrevi. 2. Idem ſtudium declaratur effecto precum, verſ. 58. Quæ præces deſcribuntur, 1. Ab objecto, favore Dei, *faciem tuam.* 2. Ab adjuncta ſynceritate & ardore: *toto corde.* 3. Ab effecto deſtinato: *gratiam fac mihi* 4. A cauſa impellente, quæ etiam fuit adjuncta regula vel menſura votorum: *ſecundum ſermonem tuum.* 3. Idem etiam ſtudium ab altero effecto

effecto declaratur, quod ponitur in resipiscentia & sanctitatis cura. Resipiscentia describitur per suas partes, aversionem à malo, & conversionem ad bonum. Aversio à malo significatur per suam causam, agnitionem peccati, v. 59. in principio: *reputo vias meas*. Conversio ad bonum disertis verbis notatur, connotata etiam efficacia & rectitudine ejus, Ibidem in fine, *converti pedes meos ad testimonia tua*.

Cura sanctificationis declaratur, 1. Per promptum ejus zelum, v. 60. *festino, non cunctor*. 2. Per ejus constantiam omnia impedimenta superantem, versiculo 61. 3. Per ejus partes, quæ sunt cultus Dei, versiculo 62. & charitas erga fratres, vers. 63.

Hæc omnia, obsignat confirmat, & promovere conatur obtestatione petita à benignitate Dei in omnibus creaturis relucente, v. 64.

## DOCUMENTA.

I. Quo majorem consolationem habemus in Deo, eo magis accendi debet studium nostrum erga ipsum & verbum ejus, ex connexione hujus partis cum anteced.

II. Hoc studium tale debet esse, quale est hominum erga suam portionem, in qua omnia sua bona contineri norunt, ex versic. 57.

III. Studium hoc debet omni meditatione confirmari, excitari, renovari, & magis magisque animis nostris infigi, ibid. *dixi* vel *dico*.

IV. Hoc studium declaratur invocatione Dei, tanquam proprio suo effecto, v. 58.

V. Preces istæ debent esse syncerae & fervidæ. Ibidem, *ex toto corde*.

VI. Summa omnium petitionum est, ut Deus velit gratiam nobis facere, ibid.

VII. Regula hujus gratiæ petendæ, & fundamentum ejusdem sperandæ, est verbum promissionis, ibid. in fine.

VIII. Studium Dei, & invocatio nominis ejus, resipiscentiam veram habet conjunctam, ex vers. 59.

IX. Ad resipiscentiam necessaria est seria consideratio viarum nostrarum, ibid.

X. Ex seria consideratione viarum nostrarum, oritur agnitio peccati & ejusdem aversatio, ibid.

XI. Resipiscentia perficitur in efficaci conversione totius hominis ad verbum Dei, ibid. in fine.

XII. Conversionem istam comitatur cura sanctificationis, eaque prompta, sine tardatione versic. 60.

XIII. Cura sanctitatis fortis & constans debet esse ad omnia impedimenta superanda, versic. 61.

XIV. Apparet ista cura in zelo cultus divini, v. 62.

XV. Apparet etiam in charitate fraterna, & singulari communione cum piis colenda, versic. 63.

XVI. Ad hæc omnia stabilienda & promovenda, imploranda est institutio & directio Dei, versic. 64.

XVII. In spiritualibus istis bonis sperandis, confirmare nos debet bonitas illa Dei quæ in omnibus creaturis relucet, ibidem.

## OCTOSTICHUM IX.

Verſ. 65. *Bono affeciſti ſervum tuum Iehova, ſecundum verbum tuum.*
66. *Præſtantiam rationis & ſcientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.*
67. *Quum nondum loquerer, ego errabam: nunc autem ſermonem tuum obſervo.*
68. *Bonus es & beneficus, doce me ſtatuta tua.*
69. *Concinnantibus contra me falſitatem ſuperbis, ego ex toto animo cuſtodio mandata tua.*
70. *Obeſatur quaſi adipe cor illorum, ego lege tua oblecto me.*
71. *Bono mihi fuit me affligi, ut diſcerem ſtatuta tua.*
72. *Melior* eſt *mibi lex oris tui, multis millibus* nummûm *aureorum & argenteorum.*

## ANALYSIS.

AB Octoſticho 4. huc uſque declaratus fuit uſus verbi in afflictione: jam ejuſdem verbi uſus ille declaratur, qui convenit eis qui ab afflictione aliqua gravi ſunt liberati, ſicut apparet ex v. 65. *bono affeciſti ſervum tuum Iehova.*

Poſt liberationem igitur ab afflictione conceſſam, David primo in loco cum omni gratitudine agnoſcit ſibi tanquam ſervo Dei eandem fuiſſe præſtitam, & manaſſe illam à bonitate ac fidelitate Dei, tanquam ex fonte; ſed tamen ex verbo promiſſionis, tanquam ex canali. Ibid. Hæc eſt celebratio liberationis à cauſis ejus. 2. Eandem liberationem celebrat ab effectis: quæ ſunt primo, excitatio fidei & obſequii erga verbum Dei, v. 66. in fine.

Secundo, excitatio deſiderii, præſtantioris adhuc ſcientiæ, judicii & diſcretionis ex verbo conſequendæ. Quod deſiderium inde efficax arguit, quod illa fidei & obſequii excitatio eſt diſpoſitio promiſſionem habens ulterioris ſcientiæ communicandæ.

Tertio, excitationem illam fidei & obſequii erga verbum Dei, declarat ab alia ejus cauſa, afflictione ſcilicet humiliante: quam aſſertionem veram eſſe demonſtrat per comparationem diſpoſitionis præteritæ in rebus ſecundis, & iſtam præſentem ex rebus adverſis oriundam, v. 67. Unde infert deſiderium ac petitionem illam ante propoſitam, ut daretur ipſi proficere in verbi intelligentia recta: quod etiam urget à bonitate & beneficentia Dei, tanquam præcipuum ejus effectum, v. 68.

Quarto eandem excitationem fidei & obſervantiæ ſuæ illuſtrat Propheta oppoſitis teſtimoniis hoſtium ſuperborum: quæ quamvis artificioſa fuerant, & cum aliquo colore, falſa tamen mendacia fuiſſe eventus ipſe probaret, v. 69. Cujus rei cauſam reddit, affectum oblectationis qua in verbum Dei ferebatur: quam opponit ſtupefacientibus voluptatibus impiorum, verſic. 70.

Ex iſtis autem omnibus concludit afflictiones ſuas converſas fuiſſe in bonum, verſ. 71. Medium autem

tem ac rationem hujus eventus declarat non aliam fuisse, quam excitationem pii affectus erga verbum Dei, vers. 72.

## Docvmenta.

I. Omne bonum referendum est ad Deum, tanquam authorem, v. 65. in princ.

II. Bonum illud quo afficit nos Deus, tum demum est pure ac vere bonum, quando sic à nobis recipitur tanquam à servis ejus, Ibid.

III. Ut servi Dei recipimus ejus beneficia, quando in eis agnoscimus benignitatem ac fidelitatem Dei secundum verbum ejus, Ibid. in fine.

IV. Fidelitate Dei in bene nobis faciendo, tam fides quam obsequium nostrum erga verbum ejus debet excitari, vers. 66. in fine.

V. Simul etiam excitare nos debet fidelitas illa verbi divini, ad ulteriorem scientiam ejus, tanquam omnium scientiarum præstantissimam quærendam, ibid. in princ.

VI. Qui fideliter & obedienter afficiuntur erga verbum Dei, ii certo possint exspectare illuminationem scientiæ præstantioris, ex toto. v. 66.

VII. Pii isti affectus in ipsis fidelibus languent sæpe, cum omnia externa ipsis ex voto succedunt, v. 67. in princ.

VIII. Excutitur iste languor per afflictiones, ibid. in fine.

IX. Tam in afflictionibus ad talem finem ordinandis ac sanctificandis, quam in eisdem tollendis, bonitas ac beneficentia Dei est agnoscenda & celebranda, v. 68. in princ.

X. Ex qualibet apprehensione hujus bonitatis Dei, tam desiderium quam spes nostra debet excitari, in quærenda virtute verbi divini, ut nobis à Deo magis magisque communicetur, ibid. in fine.

XI. Syncero hoc studio erga verbum Dei calumniæ impiorum hostium in conscientiis nostris optime refutantur, v. 69.

XII. In eodem studio oblectationem tantam habent pii, ut ejus respectu, contemnant voluptates ac delicias peccatorum, v. 70.

XIII. Hæc oblectatio tanta est, ut afflictiones ipsas, quibus promovetur, gratas reddat piis, v. 71.

XIV. Propter istiusmodi fructus, verbum Dei charius debet esse nobis, quam omnes divitiæ hujus mundi, v. 72.

## OCTOSTICHUM X.

Vers. 73. *Manus tuæ fecerunt me & aptaverunt me redde me intelligentem, ut discam præcepta tua.*

74. *Timentes tui videant me & lætentur, quod in verbo tuo exspectationem habeam.*

75. *Agnosco Iehova, justa esse judicia tua; & te in fide afflixisse me.*

76. *Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, secundum sermonem tuum* habitum, *cum servo tuo.*

77. *Obveniant mihi misericordiæ tuæ ut vivam: quia lex tua* est *omnis oblectatio mea.*

78. *Erubeſcant ſuperbi, quod falſis de cauſis pervertant me; meditante me de mandatis tuis.*
79. *Convertentur ad me timentes tui, & cognoſcentes teſtimonia tua.*
80. *Erit animus meus integer in ſtatutis tuis, ut non erubeſcam.*

## ANALYSIS.

POſtquam David feliciter liberatus fuerat ex una calamitate, & revocatus denuo fuit ad ſimilem tentationem ſubeundam, in hac & ſequente parte declarat, quomodo in hoc etiam certamine ſuſtentatus fuerit verbo Dei.

Petit igitur præcipue in hac parte gratiam conſolationis & liberationis à Deo, ſecundum præſentis ſuæ conditionis neceſſitatem, v. 76, 77. Quia vero gratiam illam conſolationis ac liberationis pendere novit ex verbo Dei, & ex eo hauriendam eſſe; idcirco ſpeciatim petit ſalutarem virtutem verbi ſibi communicari. Cujus virtutis efficaciam quia nemo aſſequitur niſi per ſpiritualem intelligentiam verbi, & ſyncerum ſtudium vel affectum ejus; propterea ſingulariter petit à Deo, ut daret ſibi intelligentiam rectam verbi, v. 73. in fine, & ſyncerum cordis affectum eidem intelligentiæ adjungat: v. 80. in princ.

Argumentum primum petitur à beneficio creationis, tanquam aliquo modo pari, verſ. 73.

Secundum petitur ab effecto lætitiæ ad alios pios perventuræ, v. 74.

Tertium collocatur in cauſa miniſtrante, quæ fuit prævia diſpoſitio liberationi congruens, per agnitionem & confeſſionem æquitatis & juſtitiæ manus Dei, v. 75.

Quartum proponit primariam cauſam: benignitatem ſcilicet & miſericordiam Dei in verbo revelatam, & fide apprehenſam, v. 76, 77.

Quintum deſumitur ab effecto repreſſionis ſceleratorum hoſtium, v. 78. in princ. quæ repreſſio ipſorum illuſtratur effecto excitati ſtudii Davidis erga verbum Dei, ibid. in fine.

Sextum petitur ab effecto aggregationis piorum: qui deſcribuntur à duabus proprietatibus, timore vel cultu Dei, & ſcientia verbi, v. 79.

Septimum petitur ab effecto maxime incommodo ex petitionis neglectu conſecuturo, pudefactione ſcilicet Davidis in ſua ſpe, verſ. 80. in fine.

### DOCUMENTA.

I. Sicut in omni ſtatu, ſic in afflictione præcipue orare debemus ut intelligentia voluntatis divinæ plenius nobis communicetur, v. 73. in fine.

II. In iſtiuſmodi ſpiritualibus bonis à Deo ſperandis, etiam ex corporalibus & communibus ejus beneficiis rite apprehenſis, animi fidelium erigi poſſunt & confirmari, ibid. in princ.

III. Ex beneficentia Dei erga unum fidelem, non ille ſolus, ſed & alii conſolationem percipiunt, verſ. 74.

IV. Hanc conſolationem aliorum in noſtris votis & optare debemus, & inde etiam ſpem noſtram confirmare.

V. Illud autem maxime necessarium est ad gratiam in afflictionibus impetrandam, ut æquitatem & fidem Dei in nobis castigandis agnoscamus & justificemus, v. 75.

VI. Si post humilem istam confessionem, attollamus oculos per fidem ad benignitatem Dei & promissiones ejus, hæc via recta est quæ ducit ad veram consolationem, vers. 76.

VII. Cum ista fide conjungitur oblectatio summa in verbo Dei, vers. 77.

VIII. Per beneficia Dei in pios collata, reprimitur superbia impiorum, & piorum studium ad majorem libertatem promovetur v. 78.

IX. Per eadem beneficia alliciuntur alii pii, ut adjungant se magis illis quos vident charos esse Deo, v. 79.

X. Pietas ista fundatur in scientia & reverentia Dei, secundum verbum ejus, ibid.

XI. Synceritas cordis in studio pietatis est maxime curanda, v. 80. in principio.

XII. Synceritatis suæ neminem unquam pudebit, ibid. in fine.

## OCTOSTICHUM XI.

Vers. 81. *Consumitur* desiderio *salutis tuæ anima mea, in verbo tuo expectationem habeo.*

82. *Consumuntur oculi mei* desiderio *sermonis tui, dicendo, Quando consolaberis me?*

83. *Quamvis sim similis utri ad fumum; statutorum tuorum non oblitus sum.*

84. *Quanti* erunt *dies servi tui? quando exercebis in persequentes me judicium.*

85. *Fodiunt mihi superbi fossas, qui se non conformant legi tuæ.*

86. *Omnia præcepta tua* sunt ipsa *veritas: falsis de causis persequuntur me, auxiliare mihi.*

87. *Propemodum consumpserunt me* dejectum *in terram: ego vero non dereliqui mandata tua.*

88. *Pro benignitate tua vivum serva me, ut observem testimonium oris tui.*

## ANALYSIS.

Quia David non statim ad primam suam deprecationem fuit ex afflictione liberatus, idcirco in hac parte declarat, qualem habuerit usum verbi etiam in afflictionis continuatione & auxilii sperati dilatione.

Primo igitur, ut ostendat, quantam ærumnam passus sit ex hac afflictionis diuturna perduratione, describit illam ab effectis: quæ fuerunt, 1. Consumtio animæ, v. 81. in princ. 2. Consumtio oculorum, vers. 82. in princ. 3. Privatio consolationis, v. 82. in fine. 4. Macies quædam totius corporis ex mærore contracta, v. 83. in princip. 5. Suspensa quædam incertitudo de miseriarum harum fine, v. 84. in princ.

Secundo in loco quomodo verbi virtus

virtus ſufficiens ipſi fuerit in extrema iſta preſſura. Nam 1. principium roboris ſui collocat, in ſpe & expectatione verbi, id eſt, ſalutis illius, quam verbum promiſſionis & ſignificavit futuram, & propoſuit ipſi ſperandam, v. 81. in fine. 2. Expectationem illam ſuam vividam, conſtantem & invictam fuiſſe oſtendit, ex eo quod oculos defixos in verbum habuerit uſque ad ſummam eorum defatigationem, v. 82. in fine. 3. Eandem conſtantiam ſpei ſuæ declarat ab ejus cauſa conſervante, perpetua ſcilicet recordatione, verbi divini, v. 83. in fine. 4. Progreſſum hujus ſpei ex verbo conceptæ, precibus ex illa manantibus declarat:

1. Quibus petit judicium adverſus ſuos perſecutores, verſ. 84. Quam petitionem urget ab ipſorum meritis: quia ſuperbe, malitioſe, & fraudulenter agebant adverſus ipſum, ſpreta Dei lege, v. 85. 2. Petit auxilium Dei, ut ſibi ſuppeditetur adverſus iſtos hoſtes: quam petitionem ſuam à cauſa & modo declarat, dum illam ex fide veritatis verbi divini proficiſci docet, v. 86. Eandem etiam petitionem urget, tam ab extrema ſua neceſſitate, quam à conſtanti obſervatione verbi, v. 87. 3. Petit liberationem, vel reſtitutionem à morte ad vitam. Quam petitionem ſuadet tam ab efficiente cauſa, benignitate Dei, quam à fine, pleniore obſervatione verbi, v. 88.

### DOCUMENTA.

I. Pii in afflictionibus ſuis, quamvis ad Deum confugiant, & miſericordiam ejus ex fide implorent, non ſtatim ſemper ad primam inſtantiam liberantur, ex v. 81, &c.

II. Continuatio iſta preſſuræ, & ſpei incerta protractio & animas, & corpora piorum nonnunquam ſic afficit, ut nihil virium ipſis relinqui videatur, ibid.

III. In medio tamen extremæ hujus tentationis, ſpes & expectatio in verbo Dei collocata, animos fidelium etiam deficientes ſuſtentat, v. 81. in fine.

IV. Hæc ſpes detinet oculos animi ſic in verbo promiſſionis defixos, ut perpetuo quaſi proſpectent conſolationem adventantem, verſic. 82.

V. Reficitur & confirmatur iſta ſpes perpetua recordatione verbi divini, v. 83. in fine.

VI. Hoc verbum certos reddit fideles de liberatione à malis, quamvis de tempore maneant incerti, verſ. 84. in principio.

VII. Non liberabuntur tantum ſperantes in Deum, ſed etiam judicium Dei manifeſtabitur in eorum perſequutores, v. 84. in fine.

VIII. Superbia, crudelitas, & fraudulentia impiorum perſequutorum, ſunt prognoſtica ſigna judicii Dei adverſus ipſos manifeſtandi, verſic. 85.

IX. Neque perſequutiones, neque aliæ ullæ tentationes tantum valent apud fideles, quin, ex fide veritatis verbi, quærant & ſperent auxilium divinum, v. 86.

X. Cum iſta fide conjungitur obedientiæ cura, etiam in extremis preſſuris, v. 87.

XI. Fides reſpiciens benignitatem Dei, vivificantem, & obedientiæ intentio in illa vivificatione quærendo, præcipua fulcra ſunt animæ in petitione vitæ, v. 88.

# OCTOSTICHUM. XII.

*Vers. 89. In seculum ô Iehova, verbum tuum consistit in cælis.*
*90. In unaquâque generatione fides tua: quum statueres terram, illa constabat.*
*91. Ad judicia tua perstant hodie, quia illa omnia sunt servi tui.*
*92. Nisi lex tua esset omnis oblectatio mea, jam diu periissem in afflictione mea.*
*93. In seculum non obliviscar mandatorum tuorum: nam illis vivum conservas me.*
*94. Tuus sum, conserva me; quia mandata tua quæro.*
*95. Me expectantibus improbis ad perdendum me, testimonia tua considero.*
*96. Omni perfectioni video esse finem: latum* vero esse *mandatum tuum valde.*

## ANALYSIS.

QUum in antecedente parte ostenderat David quomodo virtute verbi duraverit ipse in afflictione durante; in hac parte declarat, quomodo ejusdem verbi virtute consolationem apprehenderit, quæ maximam illam tentationem superavit.

Hanc igitur consolationem hausisse se gloriatur ex consideratione perfectionis verbi aut voluntatis divinæ. Quam perfectionem declarat 1. Ab ejus constantia immutabili & plane cælesti, vers. 89. Quam constantiam verbi ac voluntatis divinæ multis vicibus, multisque modis manifestatam, ab experientia omnium generationum confirmat, v. 90. *in generatione & generatione*, &c. A nobili exemplo constantis efficaciæ illius, quam exerit in terra, mundique cursu stabiliendo, v. 90, & 91. Cujus efficaciæ rationem reddit à dominio & imperio Dei in omnes creaturas, tanquam in servos suos, vers. 91. in fine. 2. Eandem verbi idivini perfectionem confirmat David proprio suo experimento, quia scilicet in extremis suis pressuris, quando omnia alia solatii media deficiebant, consolationem verbi solius expertus erat sufficientem, v. 92. Quam experientiam suam illustrat effecto, vel officii consentanei promissione, perpetuæ scilicet & efficacis memoriæ virtutis verbi: cujus consequens est, solatium & subsidium perpetua quærere ex verbo Dei, v. 92 Hoc autem officium 1. ab usu & fructu declarat, quod hinc sequeretur certitudo peculiaris dependentiæ suæ à Deo, & fiducia conservationis sibi à Deo præstandæ, v. 94. 2. Idem officium declarat ab adjuncto modo, addicendi mentem & cogitationes omnes verbo, & constantia etiam in extremo periculo vitæ, v. 95. Cujus constantis adhæsionis ad verbum Dei, rationem reddit ab infinita verbi perfectione quam illustrat impari ac dissimili insufficientia aliarum omnium rerum, prout experientia sua propria confirmat, v. 96.

DOCUMENTA.

I. Ut verbi divini conſolationem percipere poſſimus, perfectionem ejus ſæpe multumq; conſiderare debemus, v. 89.

II. Inter alias perfectiones verbi divini, conſtantiæ & immutabilitatis ejus conſideratio ) præcipue in dilatione ſpei noſtræ ) ſingularem habet ac uſum conſolationem, ibidem.

III. Conſtantia verbi divini non eſt ex fluctuante ſtatu rerum terrenarum æſtimanda, ſed potius ex perfectione cœlorum qui immunes ſunt ab omni fortuita mutatione, ibid.

IV. In omni generatione teſtimonia ſuppetunt conſtantiæ verbi divini, v. 90.

V. Nobiliſſimum teſtimonium conſtantis efficaciæ verbi ac voluntatis Dei exſtat in ſtabili creatione ac conſervatione totius curſus naturæ, v. 90, 91.

VI. Tanta eſt efficacia verbi ac voluntatis Dei, ut omnes creaturas ſubjiciat ſibi tanquam ſervos meros, v. 91. in fine.

VII. Perfectio iſta verbi Dei rite apprehenſa, ſufficiens eſt ad fidelium animos in qualibet anguſtia ſuſtentandos v. 92.

VIII. Qui virtutem iſtam verbi ſunt experti, ii memoriam ejus ſtudent habere perpetuam & efficacem, v. 93.

IX. Memoria iſta verbi, cum affectu congruente, eſt certum ſignum filii Dei, & fiduciam ſalutis reddit certam, v. 94.

X. Fiducia filiorum Dei facit, ut mentes ſuas totas addicant verbo Dei, quamvis in maximo periculo verſentur, verſic. 95.

XI. Multa ſunt pericula, in quibus limitata creaturarum virtus nihil poteſt juvare : ſed infinita verbi perfectione nulla difficultate ſuperatur, v. 96.

## OCTOSTICHUM XIII.

Verſ. 97. *Quam diligo legem tuam! toto die eſt meditatio mea;*

98. *Inimicis meis ſapientiorem me reddit præceptis tuis : nam in ſeculum adeſt mihi.*

99. *Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia teſtimonia tua meditatio mea* ſunt.

100. *Senibus prudentior ſum, quia mandata tua cuſtodio.*

101. *Ab omni ſemita mali cohibeo pedes meos, ut obſervem verbum tuum.*

102. *A judiciis tuis non recedo, quia tu doces me.*

103. *Quam ſuavia ſunt palato meo* judicia *ſermonis tui! ſuaviora melle ori meo.*

104. *Mandatis tuis prudens ſum: idcirco odi omnem ſemitam falſitatis*

ANA-

ANALYSIS.

POstquam jam David non consolationem tantum in afflictione sua consecutus fuerat ex verbo, sed etiam (ut videtur) ex angustiis suis fuit magna ex parte liberatus, in hac parte ostendit qualem usum habuerit verbi ex occasione consolationis & liberationis concessæ.

1. Declarat igitur imprimis quomodo erga consolatorium illud verbum Dei fuerit effectus, admirabili scil. & incredibili amore, v. 97. in princ. Quem affectum illustrat. 1. Ab effecto assiduæ vel perpetuæ meditationis verbi amati. ibid. in fine. 2. A causa impellente, *sapientia*, nempe *prudentia & intelligentia*, id est, omnimoda perfectione directionis, quam ex verbo habuit suppeditatam. Hanc autem directionem verbi amplificat comparatione triplici. 1. Cum astutia callidissimorum hostium, quam superasse se testatur verbo Dei simpliciter & constanter adhærendo, v. 98. 2. Cum institutorum suorum doctrina, ultra quam transcendisse se gloriatur, verbi meditationem diligentem eorum institutioni addendo, v. 99. 3. Cum intelligentia senum, experientia multa comparata, quam supergressum se prædicat practico studio verbi, v. 100. Quod studium verbi describit partim à vigilante declinatione omnis erroris vel peccati, vers. 101. & partim à constanti conatu recti cursus tenendi secundum verbi divini directionem, v. 102. Cujus curæ causam agnoscit peculiarem institutionem & instinctum Dei, ibid. in fine. 2. Eundem affectum amoris erga verbum declarat Propheta ex adjuncto delectationis incomparabilis, qua in illo verbo acquiescebat, tanquam in bono affectui ejus maxime convenienti, vers. 103. Cujus delectationis propriam rationem collocat in sana & salutari illa intelligentia, quam ex verbo percipiebat, v. 104. in principio. Quam intelligentiam illustrat ab effecto plane consentaneo effectui illi amoris, quem habuit erga verbum, odio scil. omnis viæ falsæ ac fallacis, ib. in fine.

DOCUMENTA.

I. Qui vere gustarunt quam bonum sit Dei verbum, eidem adhærent incomparabili, & incredibili amoris affectu, v. 97. in princ.

II. Qui amant verbum Dei, assidui sunt in ejus meditatione, ib. in fine.

III. Præcipua causa hujus amoris, quem pii habent erga verbum Dei est, quod ex illo acquirant veram sapientiam, qua ad Deum, & felicitatem suam certo diriguntur, v. 98, &c.

IV. Sapientiæ verbi qui simpliciter & constanter adhærent, astutiam impiorum tandem confundent, v. 98.

V. Qui in verbo instituuntur, & simul in ejus meditatione sedulo se exerceant, ultra sæpe progrediuntur in sapientia, quam illi ipsi, à quibus fuerunt instituti, v. 99.

VI. Sapientia illa, quæ hunc in modum acquiritur ex practico studio verbi, multo præstantior est illa prudentia, quam experientia longa senibus solet adferre, v. 100.

VII. In practico studio verbi

primarium locum habet vigilans cura fugiendi malum, i. e. declinandi omnes errores & peccata verbo damnata, v. 101.

VIII. Ejuſdem ſtudii pars altera eſt ex firmo propoſito facere omne bonum in verbo mandatum, v. 102.

IX. Studium hoc provenit à ſpeciali gratia Dei, ibid. in fine.

X. Ex iſthoc ſtudio & amore verbi incomparabilem delectationem percipiunt pii, v. 103.

XI. Delectatio hæc in ſalutifera verbi intelligentia fundatur, verſic. 104.

XII. Qui verbum intelligit, prout oportet, ſicut in illud ſummo amore fertur, ſic odio fertur in omnes vias illi repugnantes, ibid. in fine.

## OCTOSTICHUM XIV.

Verſ. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum* eſt, *& lux itineri meo.*

106. *Juravi, quod præſtabo, me obſervaturum jura juſtitiæ tuæ.*

107. *Afflictus ſum admodum ; Jehova, vivum conſerva me ſecundum verbum tuum.*

108. *Voluntarias oblationes oris mei accepta quæſo Jehova, & jura tua doce me.*

109. *Anima mea in manu mea jugiter* verſante, *tamen legis tuæ non obliviſcor.*

110. *Ponentibus improbis laqueum mihi, à mandatis tuis non aberro.*

111. *Poſſideo teſtimonia tua in ſeculum : quia gaudium animi mei ſunt.*

112. *Inclino animum meum ad faciendum ſtatuta tua ; in ſeculum, in finem* uſque.

## ANALYSIS.

Conſolatio illa verbi, qua David poſt graves anguſtias fuit jam recreatus, excitavit in animo ejus ardentem amorem verbi, ſicut in antecedente parte Pſalmi declaratum habemus. Ex hoc autem amore verbi ſequebatur ſingulare ſtudium totius vitæ illi verbo conformandæ. Quod ſtudium in iſta parte declaratur. Proponitur igitur primo in loco, electio verbi pro regula vitæ, tanquam primaria pars ſtudii illius, v. 105. Ubi etiam directio verbi per diſtributionem à ſubjectis illuſtratur, quod non ſolum pertineat ad generalem curſum vitæ ordinandum, ſed etiam ad ſingulas actiones, quæ ſunt quaſi totidem greſſus pedum vel paſſus illius itineris.

Secundo, electionis hujus firmitas & conſtantia per adjunctum votum, aut juramentum promiſſorium declaratur v. 106. Ubi votum hoc illuſtratur, tam ejuſdem recognitione & confirmatione vel repetitione adjuncta, *juravi & præſtabo* ; quam à ratione & cauſa impellente, quæ fuit æquitas illius verbi cujus obſervationem vovebat : *obſervare jura juſtitiæ tuæ.*

Tertiò votum hoc illuſtratur ab effecto ſpei, tam liberationis ab afflictione

flictione premente, quam institutionis congruentis: quæ spes petitionis formula explicatur, v. 107. & voti virtute urgetur, v. 108.

Quarto, hujus propositi ac voti constantia illustratur à diversis, vel in contrarium trahentibus periculis, tam violentis, v. 109. quam insidiosis, v. 110.

Quinto, idem propositum observandi verbi illustratur ab effectu comitante, contentationis nempe & gaudii summi, 111.

Sextò & ultimò, ex istis omnibus concluditur illud, quod fuit demonstrandum, inclinatio videlicet, vel extensio constans animi ad verbum Dei omni ex parte observandum, v. 112.

DOCUMENTA.

I. Qui verbum Dei vere diligunt, illi se totos dedunt ejusdem practicæ observationi, ex connex. hujus partis cum anteced.

II. Quia ita sunt erga verbum Dei animati, in eodem inveniunt clarissimam, jucundissimam & sibi accommodatissimam lucem, ex v. 105.

III. Lux hæc verbi sufficiens est non tantum ad generalem cursum vitæ ordinandum, sed etiam ad singulas actiones dirigendas, ibid. *Itineri meo, pedi meo.*

IV. Pium hoc studium verbi non est frigide admittendum aut probandum, sed efficacissime firmandum, quasi voto ac juramento sancto, v. 106.

V. Sancta hæc vota, quia non plene perficiuntur, sed quotidie impugnantur & impediuntur, debent assidue renovari, ibid.

VI. Consideratio æquitatis & excellentiæ verbi excitare nos debet ad ista proposita ac vota renovanda, ib. *Iura justitiæ tuæ.*

VII. Ex hujus propositi ac studii conscientia confirmatur & erigitur spes tam liberationis à malo, quam omnis boni à Deo in Christo consequendi, v. 107.

VIII. Inter illa bona quæ pia anima quærit studendo verbo Dei, primarium locum habet plenior & efficacior institutio in ipso verbo, v. 108.

IX. Qui vere studet observationi verbi divini, ab eadem non avertitur ullo genere periculorum, vers. 109, 110.

X. Verum studium verbi conjunctam habet contentationem & gaudium ex eodem verbo emanans, v. 111.

XI. Contentatio & gaudium animi spirituale magis magisque extendit animum ad omnes obedientiæ conatus constantes, v. 112.

## OCTOSTICHUM XV.

Vers. 113. *Cogitationes* alias *odi, legem autem tuam diligo.*
114. *Latebra mea & scutum meum es, in verbo tuo expectationem habeo.*
115. *Recedite à me malefici, ut custodiam præcepta Dei mei.*
116. *Sustenta me secundum sermonem tuam, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea.*
117. *Suffulci me ut salvus sim, & respiciam ad statuta tua jugiter.*
118. *Conculcas omnes errantes à statutis tuis: quia falsus* est *dolus eorum.*

119. *Tamquam ſcoriæ, facis, ut ceſſent omnes improbi terræ; idcirco diligo teſtimonia tua.*

120. *Horret pavore tui caro mea; adeo à judiciis tuis timeo.*

## ANALYSIS.

QUia conjunctio eſt arctiſſima inter proſecutionem boni, & fugam mali; idcirco poſt explicatum ſtudium Prophetæ erga verbum Dei in parte præcedente, declarat in hac parte, quam alienus fuerit à malo.

1. Profitetur igitur imprimis alienationem hanc ſuam fuiſſe in ſummo gradu, tam intenſive, quoad actum, *odi*, quam extenſive, quoad objectum, *cogitationes alias*, non facta tantum, aut dicta, ſed & cogitata omnia obliqua, vel oppoſita verbo, v. 113. in principio. Cujus odii cauſam & principium fuiſſe notat amorem verbi; ibid. in fine. Hujus autem amoris rationem reddit à cauſa conſervante, conſolatione ſcilicet ſpei, quam habuit in Deo ſecundum verbum ejus, v. 114.

2. Odium illud mali, & amorem verbi illuſtrat a genuinis eorum effectis, deteſtatione maleficorum, & ſtudio verbi obſervandi, v. 115.

Spem etiam illam, qua verbi amor fovebatur, declarat ab adjuncto voto, quo illius ſpei majorem confirmationem, & invictam conſtantiam à Deo petit, verſ. 116, 117. Quam ſpei conſtantiam illuſtrat à pari effecto inde conſecuturo, conſtanti ſcilicit attentione ad verbum Dei perpetuo adhibenda, verſ. 117. in in fine.

3. Denuo illuſtrat odium illud mali, & amorem verbi, à cauſis adminiſtrantibus vel ſecundariis eorum motivis, judiciis nempe Dei in maleficos exercitis & exercendis, verſ. 118, 119. Quæ judicia ſuis effectis illuſtrantur, tam reſpectu ipſorum improborum, quod vanitatem aſtutiarum eorum manifeſtent, v. 118. in fine; quam reſpectu piorum, quibus ſalutarem incutiunt pavorem, v. 120.

### DOCUMENTA.

I. Cum ſerio ſtudio boni, conjungitur ſemper averſatio mali; ex connexione hujus partis cum antecedente.

II. Quælibet averſatio mali non ſufficit, ſed illa requiritur, quæ conſiſtit in odio perfecto; v. 113. *odi.*

III. Odium hoc perfectum fertur in omne genus & omnem gradum mali, ib. *Cogitationes alias.*

IV. Odium hoc mali tum demum eſt Deo gratum, quando fluit ex amore verbi, ibid. *Legem autem tuam diligo.*

V. Amor verbi fovetur fiducia ac ſpe illa, qua omne bonum à Deo expectamus, ſecundum verbum ejus, v. 114.

VI. Qui verbum amant, & malum oderunt, alieni ſunt à conſortio impiorum hominum, qui ſuis conſiliis, exemplis, & moleſtiis, piis illis affectibus adverſantur, v. 115.

VII. Spei illius, qua pii affectus foventur, confirmatio & impletio aſſiduis votis eſt à Deo quærenda, v. 116, 117.

VIII. Spei confirmatæ comes eſt, conſtans attentio ad verbum Dei, ſecundũ omnes partes ejus, v. 117. in fin.

IX. In

IX. In ista spe gratiæ, amore boni, & odio mali, proficiunt multum fideles, ex contemplatione judiciorum Dei, quæ adversus impios exercentur, vers. 118, 119.

X. Ex istis judiciis Dei apparet, imaginationes illas omnes quibus impii nituntur, esse vanas & falsas, v. 118. in fine.

XI. Eorundem judiciorum consideratio excitat in piis amorem verbi, v. 119. in fine.

XII. Eadem judicia Dei quæ adversus impios manifestantur, piis incutiunt reverentiam & pavorem salutarem, v. 120.

## OCTOSTICHUM XVI.

Vers. 121. *Exerceo judicium & justitiam: ne permittas me oppressoribus meis.*

122. *Odi vadimonium pro servo tuo in bonum, ne opprimant me superbi.*

123. *Oculi mei consumuntur* desiderio *salutis tuæ, & sermonis justi tui.*

124. *Fac erga servum tuum secundum benignitatem tuam, & statuta tua doce me.*

125. *Servus tuus sum, prudentem me redde; ut cognoscam testimonia tua.*

126. *Tempus est ut faciat Iehova; irritam faciunt legem tuam.*

127. *Propterea amplius diligo præcepta tua, quam aurum &* quidem *aurum purgatissimum.*

128. *Propterea* quod *omnia mandata de omnibus recta agnosco, omnem semitam falsitatis odi.*

## ANALYSIS.

QUamvis antea David magnum levamen senserat suarum angustiarum (sicut ex parte 12, &c. apparet) non ita tamen ab afflictionibus fuit liberatus, quin pleniorem adhuc liberationem petendi materia superfuerit, & subinde etiam recruduerit. In hac igitur parte, 1. Auxilium Dei secundum verbum efflagitat adversus hostium oppressiones, v. 121. in fine. Quod auxilium describitur partim per modum ejus, sub metaphora sponsoris vel *vadis*, & partim per finem & fructum ejus, *in bonum*, v. 122. 2. Hanc petitionem suadet imprimis ab æquitate & justitia causæ suæ, v. 121. in principio. 2. A formali qualitate hostium suorum qua tales erant. *Ne opprimant me superbi*, vers. 122. in fine. 3. Ab adjuncta dilatione Dei, & vehementi instantia ac perseverantia spei suæ, non obstante illa dilatione: quæ ab effecto defatigationis illustrantur, vers. 123. 4. A causa & fundamento illius spei, benignitate scilicet Dei, vers. 124. in principio 5. Cum ista petitione liberationis conjungit alteram institutionis ac directionis in via verbi, tanquam suasionem à modo petendi, quoad affectum, & declarationem rei petitæ: quoad effectum ipsum, v. 124, & 125. in fine. Hanc autem petitionem una cum priore urget, 1. A relatione quam habuit ad Deum, tam ipsius beneficio, quam suo voto, v. 124. & 125. in principio,

pio, *ſervus*. 2. Ab impellente cauſa, gloria Dei, cujus hoc intereſſe declarat ab adjuncta temporis oportunitate, quæ arguitur à menſura vel gradu impietatis compeſcendæ, v. 126. 3. Ab effecto hujus gratiæ, & ejuſdem expectatione certa: quod collocat partim in ſummo amore verbi, verſ. 127. & partim in ejuſdem æſtimatione juſta, ex omni ejus parte, una cum deteſtatione omnium eorum quæ verbo adverſantur, verſ. 128.

### Documenta.

I. Gravis eſt calamitas & graviter deprecanda, relinqui à Deo ſub oppreſſione impiorum, verſ. 121. in fine.

II. In hujus calamitatis deprecatione, cauſa & conſcientia bona plurimum valet. ibid. in principio.

III. Quando cauſam & conſcientiam bonam habemus, non eſt dubitandum, quin Deus ipſe (ſuo tempore, ac modo) ſuſcipiet cauſam, & conſcientiam juſtificabit, v. 122. in principio.

IV Superbia ipſa hoſtium improborum, ſpem iſtam auxilii divini confirmat, ib. in fine.

V. Spes iſta tamen aliquando nimis diu videtur differri, v. 123.

VI. Hæc dilatio auxilii in vere fidelibus vehementiam & conſtantiam ſpei producit, ibid.

VII. Spei hujus præcipuum fundamentum eſt, benignitas & miſericordia Dei, v. 124.

VIII. Spes piorum non minus quærit directionem in bono juſto, quam liberationem à malo ærumnoſo, ibid. & 125. in fine.

IX. Magnam ſpei confirmationem adfert conſcientia dependentiæ noſtræ à Deo, tanquam ſervorum à domino ſuo, v. 122, 124. & 125. in principio.

X. Quo magis abundat impietas hoſtium improborum, eo majorem ſpem concipere debemus de eorum ruina, v. 126.

XI. Ex iſta ſpe, & ejuſdem confirmatione proficere nos decet in amore verbi, verſ. 127.

XII. Amor verbi conjunctam habet condignam ejus æſtimationem, & odium omnium quæ eidem adverſantur, v. 128.

## OCTOSTICHUM XVII.

Verſ. 129. *Mirabilia ſunt teſtimonia tua: idcirco cuſtodit ea anima mea.*
130. *Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia inſtruit ſimplices.*
131. *Os meum diſtendo, & anhelo: quia præceptorum tuorum cupidus ſum.*
132. *Reſpice ad me, & gratiam fac mihi prout* eſt *jus erga amantes nomen tuum.*
133. *Pedes meos inſtitue in ſermone tuo, & ne ſinas dominari in me ullam iniquitatem.*
134. *Redime me ab oppreſſione hominum, ut obſervem mandata tua.*
135. *Fac ut præluceat facies tua ſervo tuo, & doce me ſtatuta tua.*
136. *Rivi aquarum deſcendunt ex oculis meis, propter eos qui non obſervant legem tuam.*

ANAL.

# ANALYSIS.

Quod verbis proxime antecedentibus professus erat David, de amore suo erga verbum Dei, ex justa ejus æstimatione profecto; hoc in ista parte latius declarat, & eandem petitionem inde urget, quam in præcedente parte proposuerat.

1. Ostendit igitur imprimis fundamentum tantæ æstimationis verbi, quantam in animo suo conceperat, fuisse sublimem & omni admiratione dignam doctrinam, quæ in illo continetur, v. 129. in principio. Ejusdemque effectum ac fructum fuisse summum studium ejusdem verbi observandi, ibid. in fine. Hanc autem mirabilem excellentiam verbi declarat ab effecto illuminationis ad prudentiam: quam illuminationem verbi illustrat ab ejus subjectis, quod extendatur etiam ad illos, qui tenues ejus particulas tantum perceperunt, v. 130. Unde etiam denuo memorat, suum studium verbi fuisse in summo gradu, tam quoad vehementiam, quam quoad constantiam ejus, vers. 131. 2. Ex hac æstimatione ac studio verbi, tanquam ex adjuncto antecedente, & causa administrante, infert & urget Propheta petitionem suam, qua petit, 1. Gratiam in communi, eamque illustrat à comparatione paritatis inter consuetam ejus erga alios fideles dispensationem, & hanc à se petitam, v. 132. Ex illa gratia petit in specie, directionem vitæ secundum verbum: quæ oppositi mali deprecatione illustratur, v. 133. Liberationem ab oppressione in Dei gloriam, v. 144. & majorem experientiam specialis favoris in via recta, v. 135. 3. Hanc petitionem denuo urget à zelo illius studii quod antea professus fuerat erga verbum: cujus zeli fervor arguitur ab effecto doloris, ex opposito contemptu ejus oriundi, v. 136.

## DOCUMENTA.

I. Doctrina Theologiæ in verbo Dei revelata admirabilem excellentiam habet supra alias omnes scientias & doctrinas, v. 129. in principio.

II. Admirabilis hæc excellentia verbi in cordibus fidelium admirabile parit studium, idem verbum custodiendi, ibid. in fine.

III. Addit etiam in mentibus eorum singularem illuminationem prudentiæ, v. 130.

IV. Hæc illuminatio etiam simplicissimis eorum communicatur, qui vel incipiunt huic verbo syncere studere, ibid. 5.

V. Qui illuminationem istam aliqua ex parte gustarunt, vehementi & constanti studio in verbum feruntur, v. 131.

VI. Qui vehementi & constanti studio in verbum feruntur, ii possunt cum fiducia gratiam Dei implorare, vers. 132. in principio.

VII. Fiducia ista magnopere confirmatur consideratione consuetæ dispensationis gratiæ, qua Deus per omnia secula usus est erga suos, ibid.

VIII. Inter præcipuas gratiæ divinæ benedictiones, directio vitæ est petenda, v. 133. in principio.

IX. Singularis est illa directio gratiæ, qua fit, ut peccatum non dominetur in nobis, ibid. in fine.

X. Quos

X. Quos Deus liberat à dominio peccati, illos etiam (ſuo modo & tempore) liberare ſolet ab oppreſſione peccatorum, v. 134.

XI. Hac liberatione excitari nos decet ad majorem obedientiæ curam, ibid. in fine.

XII. Per iſtos gradus perveniunt fideles ad pleniorem ſenſum favoris, & efficaciæ divinæ, v. 135.

XIII. Cum piis iſtis affectibus erga verbum Dei, conjungitur dolor magnus de ejuſdem verbi violatione, v. 136.

## OCTOSTICHUM XVIII.

Verſ. 137. *Iuſtus es Iehova, & rectus judiciis tuis.*

138. *Præcepiſti juſta teſtimonia tua, & fidelia valde.*

139. *Conficit me zelus meus, quod obliviſcantur verbi tui hoſtes mei.*

140. *Purgatus eſt ſermo tuus valde, quapropter ſervus tuus diligit ipſum:*

141. *Parvus ego & contemptus mandatorum tuorum non obliviſcor,*

142. *Iuſtitia tuæ, juſtitia perpetuæ; & legis tuæ veracis.*

143. *Oppreſſione & anguſtia obvenientibus mihi, præcepta tua ſunt oblectationes meæ.*

144. *Iuſtitia teſtimoniorum tuorum eſt in ſeculum: prudentem me effice ut vivam.*

## ANALYSIS

Cum in priore parte declaraverat David, quam juſtam cauſam habuerit verbum Dei magni faciendi, propter altitudinem doctrinæ, quæ in illo continetur; declarat inſuper in hac parte alias perfectiones ejuſdem verbi, quarum etiam ratione debet in ſummo pretio haberi.

1. In iſtum finem extollit primo juſtitiam illam Dei, quæ in verbi rectitudine manifeſtatur, verſ. 137. 2. Addit juſtitiam illam, quæ infirmitate, veracitate ac fidelitate ejuſdem verbi elucet, v. 138. 3. Has perfectiones illuſtrat ab effecto zeli & indignationis, qua uſque ad conſumptionem affectus fuerat, propter violationem hujus verbi, in ſuis hoſtibus præcipue obſervatam, v. 139. 4. Eaſdem perfectiones verbi illuſtrat ab aliis effectis quæ in ipſo exiſtebant, diſſimilibus plane & oppoſitis hoſtium proterviæ, amore ſcilicet & memori vel efficaci obſervantia verbi, v. 140, 141. in fine. Quæ effecta illuſtrantur tam à propriis ſuis cauſis; ſumma ſcilicet puritate, vel juſtiſſima rectitudine verbi, v. 140. in principio conſtanti ejuſdem veracitate, verſ. 142. quam à conditione Davidis, diſſimili plane hoſtium conditioni, & (ut videri poſſet ab obſervantia verbi magis aliena, v. 141. in principio, & 143. Ubi etiam obſervantiæ ſuæ ſingularem perfectionem notat ab adjuncta ſuavitate, quam in illa & per illam percipiebat in fine. 5. Totam hanc prædicationem laudum verbi repetendo illuſtrat voto adjuncto indeque manante, plenioris nempe inſtitutionis in verbo: quod votum urgetur ab adjuncta neceſſitate ejus tanquam

unici medii ad vitam vitalem, vers. 144.

verbi syncero amore, v. 140. in fine.

### Documenta.

I. Quamvis multas justitiæ ideas fingant sibi homines vani: nulla tamen est justitia recta & vera, præter illam quam verbum revelat, v. 137

II. Justitia in verbo revelata est firma, vera & fidelis, v. 138.

III. Qui perfectiones istas verbi cum affectu justo apprehendunt, ii magnum zelum & indignationem concipiunt, quando vident hoc verbum prophane contemni, v. 132.

IV. Quum iidem homines sunt hostes nostri & verbi divini, multo magis nos decet zelari pro verbo Dei, quam pro nobismetipsis, ibid.

V. Zelus purus adversus verbi contemptores procedit ab ejusdem verbi syncero amore, v. 140. in fine.

VI. Syncerus amor verbi provenit à justa æstimatione puritatis ejus ibid. in principio.

VII. Ejusdem amoris effectum est inseparabile, memor & efficax observantia, v. 141. in fine.

VIII. In observantia ista constant sibi fideles, quamvis sint depressi, & contemti, & oppressi, ib. & 143. in principio.

IX. Constantis observantiæ ratio, est constans veracitas verbi, vers. 142.

X. Hæc ratio observantiæ suavem oblectationem adfert, etiam in afflictionibus amaris, v. 143.

XI. Istiusmodi argumentis adducti pii, omnibus votis adspirant ad pleniorem cognitionem & praxin verbi, tanquam ad unicum medium vitæ vitalis, v. 144.

## OCTOSTICHUM XIX.

Vers. 145. *Invocantem ex toto animo exaudi me Jehova,* ut *statuta tua custodiam.*

146. *Invocantem te serva me,* ut *observem testimonia tua.*

147. *Veniens ante te in ipso crepusculo ut vociferer, in verbo tuo spem habeo.*

148. *Præveniunt oculi mei excubias, ad meditandum de sermone tuo.*

149. *Voci meæ ausculta secundum benignitatem tuam, Iehova: secundum judicia tua vivum conserva me.*

150. *Appropinquantibus sectatoribus sceleris,* qui *à lege tua longe absunt;*

151. *Propinquus es Iehova; & omnia præcepta tua* sunt *veritas.*

152. *Pridem novi de testimoniis tuis, te in seculum fundasse ea.*

## ANALYSIS.

Postquam jam David fusius explicaverat affectum suum erga verbum Dei, parte 17, & 18, jam redit ad petitionem illam prosequendam de liberatione, informatione, & directione secundum illud verbum: quam petitionem ab eodem affectu inceperat antea urgere, Par. 16.

Hanc autem petitionem urget 1. tam in genere, v. 145. *Exaudi me,* quam in specie, vers. 146. *serva me.*

1. Per descriptionem ejus ab adjunctis,

junctis, intentione ſcilicet aut fervore ejus, v. 145. in principio: *invocavi* vel *clamavi*. 2. Ab ejuſdem ſynceritate, vel integritate, ibid. *ex toto corde*. 3. Ab ejuſdem petitionis fine ac fructu, verſ. 145, 146. in fine: *Ut ſtatuta tua cuſtodiam: ut obſervem teſtimonia tua*. 4. Ab adjuncto vigilantiæ, vel diligentiæ cum fervore conjunctæ, v. 147. in principio. 5. Ab adminiſtrantibus cauſis & objecto, ibid. in fine. *In verbo tuo ſpem habeo*. Cujus objecti conſiderationem ſuam diligentiſſimam illuſtrat à comparatione minoris, v. 148. 2. Eandem petitionem urget à primaria ejus cauſa, benignitate nempe Dei in verbo patefacta, verſ. 149. 3. Eam etiam urget à comparatione parium, inter promptitudinem impiorum hoſtium ad nocendum cum verbi contemptu, & promptitudinem Dei ad auxilium ferendum, cum juſtificatione verbi ſui, verſ. 150, 151. Cujus verbi conſtantia prædicatur, verſ. 152. & illuſtratur fide Davidis, tanquam adjuncto, & effecto conſtanti ibid.

DOCUMENTA.

I. Qui ſpiritum precandi acceperunt, ii non ſimpliciter tantum petere ſolent à Deo gratiam ſibi neceſſariam, ſed multis vicibus, multiſque modis, ex v. 145, 146.

II. Ex ipſis precibus ſuis concipiunt pii fiduciam exauditionis, ibid.

III. Preces iſtæ debent eſſe fervidæ, & ſynceræ, verſ. 145. in principio.

IV. Synceritas precum inter alias notas hanc unam habet, quod proveniant ab animo qui in omnibus ſuis votis, & præ aliis omnibus rebus deſiderandis, hoc habet ſibi propoſitum, ut Deo vivat, v. 145. 146. in fine.

V. Vigilantia etiam & diligentia ad preces pias requiruntur, v. 147. in principio.

VI. Iſtiuſmodi preces fluunt ex ſpe viva in verbo Dei fundata, ibid. in fine.

VII. Ut ſpes noſtra in verbo rite fundetur, neceſſaria eſt diligens illius verbi conſideratio, ex v. 148.

VIII. Primarium fundamentum ſpei in verbo fundatæ, eſt benignitas & miſericordia Dei, verſ. 149. in principio.

IX. Hac benignitate non obſtante, ita pios exercet ſæpe Deus, ut preces quaſi è ſepulchro mittentes, petant reſtitutionem à morte ad vitam ibid in fine.

X. Graviſſimæ iſtæ tentationes piorum proveniunt ſæpe ab impiorum hominum perſequutione, verſ. 150.

XI. Adverſus omnes iſtas perſequutiones, ſufficit hoc fidelibus, quod Deus ipſos ſua gratia proſequatur, v. 151.

XII. Conſolationem iſtam divinæ gratiæ ſuppeditat fidelibus verbum Dei, ibidem in fine.

XIII. Verbi conſtans veritas eſt ex ipſo verbo diſcenda, & certa conſtantia fide apprehendenda, v. 152.

# OCTOSTICHUM XX.

Vers. 153. *Respice afflictionem meam, & libera me; quia legis tuæ non obliviscor.*

154. *Suscipe causam meam, & vindica me: pro sermone tuo vivum conserva me.*

155. Ita ut *procul sit ab improbis salus: quia statuta tua non quærunt;*

156. *Miserationes tuæ amplæ* sunt *Iehova, secundum judicia tua vivum conserva me.*

157. Ut *multi sint persequentes me & hostes mei; à testimoniis tuis non declino.*

158. *Simul ac video perfide agentes, fastidio meipsum torqueo, quod sermonem tuam non observent.*

159. *Vide me mendata tua diligere Jehova; secundum benignitatem tuam vivum conserva me.*

160. *Præstantissimum verbum tuum* est, *ipsa veritas: & in seculum est quodque judicium justum tuum.*

## ANALYSIS.

PRosequitur hac in parte David eandem petitionem, quam in priore urgebat de sua liberatione à periculis, in quæ ab hostibus suis fuit conjectus.

1. Petit igitur imprimis liberationem, in genere, vers. 155. in med. *Libera me.* Quam liberationem illustrat tam ab ejus causa, providentia sc. Dei circa afflictam conditionem suorum. Ibid. in princ. *respice afflictionem meam*, quam ab administrante causa spei de illa liberatione conceptæ, constante scilicet studio verbi. Ib. in fine. 2. Eandem liberationem petit in specie, patrocinium scilicet, vindicationem, & restitutionem in integrum in causa bona, adversus hostes iniquos, v. 154. in principio, *suscipe causam meam, & vindica me*; quam petitionem urget à testimonio verbi, ibidem in fine, *pro sermone tuo vivum conserva me.* 3. Hanc petitionem salutis, sibi, ut servo Dei spe certa adjunctæ, illustrat à comparatione ejusdem salutis disjunctæ & longe remotæ ab impiis, versic. 155. 4. Eandem petitionem suadet à primaria ejus causa, misericordia scilicet Dei, Quam ut omnisufficientem apprehendisse se testatur, v. 156. 5. Suadet eam etiam, & spem suam de eadem confirmat, à causa subministrante, constantia scil. observantiæ erga Deum & verbum ejus: quam à diversis illustrat, v. 157. & declarat etiam ab effecto tædii, molestiæ, ac fastidii, quo affectus fuit adversus violatores verbi divini, v. 158. Quod effectum illustrat à propria ejus causa, amore scilicet verbi, v. 159. Unde etiam petitionem concludit, ibid. in fine. Cujus amoris causam reddit, summam scilicet veritatem & perfectionem verbi quæ illustratur ab adjuncto durationis æternæ, v. 160.

DOCUMENTA.

I. Fundamentum eſt conſolationis noſtræ in omni afflictione, ſi ſic meditemur de providentia Dei, ut apprehendamus illam gratioſe verſari circa noſtram conditionem afflictam, ex verſic. 153. in principio. *Reſpice afflictionem meam, & libera me.*

II. Plurimum confirmatur hæc conſolatio ſpei, per conſcientiam conſtantis noſtri ſtudii erga verbum Dei, ibid. in fine, *quia legis tuæ non obliviſcor.*

III. Qui ſyncere & conſtanter adhærent verbo, illorum cauſam ſuſcipiet, & aget Deus ipſe tanquam ſuam, v. 154.

IV. Cauſam ſuorum ſic agit Deus, ut reſtitutionem in integrum eadem certitudine poſſint expectare, qua credunt verbum Dei eſſe verum ibid. in fine. *Pro ſermone tuo vivum conſerva me.*

V. In cauſa bona, quum pii ab impiis oppugnantur, Dei ſalus non minus eſt piis propinqua, quam eſt ab impiis remota, verſic. 155.

VI. Ad ſalutem iſtam Dei rite apprehendendam, confugere debemus ad miſericordiam Dei abundantem, prout in verbo revelatur, verſ. 156.

VII. Fulcitur tamen eadem ſpes teſtimonio conſcientiæ bonæ, tentationibus nequaquam cedentis, v. 157.

VIII. Nemo poteſt eſſe bene ſibi conſcius de ſtudio ſuo erga verbum Dei, niſi à violatoribus ejus ſit alienus, v. 158.

IX. Tam ſtudium verbi, quam odium violationis ejus ſyncerum, provenit ab amore verbi, verſic. 159.

X. Amor verbi ſyncerus fundatur in ſumma perfectione verbi, verſ. 160.

## OCTOSTICHUM XXI.

Verſ. 161. *Principibus perſequentibus me immerito, à verbo tuo pavet animus meus.*

162. *Gaudeo de ſermone tuo, ut qui invenit prædam amplam.*

163. *Falſitatem odi, & abominor, legem tuam diligo.*

164. *Septies quotidie laudo te, de judiciis juſtis tuis.*

165. *Pacem multam eſſe diligentibus legem tuam, neque eſſe eis offendiculum.*

166. *Expecto ſalutem tuam Iehova, & præcepta tua facio.*

167. *Obſervat anima mea teſtimonia tua, diligoque ea valde.*

168. *Obſervo mandata tua ac teſtimonia tua; quia omnes viæ meæ coram te ſunt.*

## ANALYSIS.

Quum à parte 16. fuſius propoſuerat David petitionem liberationis ac directionis ſecundum verbum, eamque perſuaſerat ab adjuncta diſpoſitione & affectu ſuo erga idem verbum; jam utramque partem in fine Pſalmi repetit, & urget, pro more animi fervide & inſtante-

stanter summum ac necessarium bonum quaerentis. In hac parte, quomodo affectus fuerit erga verbum, exponit: & in sequenti urget & concludit suam petitionem.

Affectum autem suum distributive per partes exponit. *Primo* igitur pavorem ac reverentiam suam erga verbum profitetur, eamque illustrat ab opposita persequutione, quam declarat à causis efficientibus, *Principibus*, & modo malitioso, *immerito*, v. 161.

Subjungit *secundo* in loco affectum gaudii oblectationis, qua in verbo acquiescebat tanquam in bono sibi conveniente, & sufficiente: quam illustrat simili affectu eorum, qui desideratissimam & amplissimam praedam invenerunt, v. 162.

Addit *tertio* affectum amoris erga verbum: quem summum fuisse arguit à consequente adjuncto odii summi, quo prosequebatur omnia illa quae verbo repugnabant, vers. 163.

*Quarto*, Amoris & oblectationis illius efficaciam declarat, per affectum gratitudinis, gloriationis, ac laudis ex illis oriundum, v. 164. quam etiam illustrat. 1. Ab adjuncta repetitione frequenti; versiculo 164. in principio. 2. A subjecta materia ejus, dispensatione scilicet Dei verbo congruente, cujus effectum est inoffensa pax piorum; ibidem in fine, & versic. 165.

*Quinto*, ultimus affectus ex prioribus emanans, est spes certa vel expectatio salutis, in verbo promissae, vers. 166. in principio. Cujus expectationis modus adjunctus notatur, studium scilicet observantiae, ibid. in fine, & vers. 167, 168. Cujus observantiae propria ratio, vel causa impellens, collocatur in bona Dei providentia fide apprehensa, tanquam invigilanti semper ipsi & omnibus occasionibus ejus, in bonum; v. 168. in fine.

DOCUMENTA.

I. Gravis est exploratio fidei nostrae, quando persequutionem immerito patimur, idque à viris principibus, v. 161. in principio, *Principibus persequentibus me immerito*.

II. In istiusmodi tentationibus conservantur fideles, ne in tentationem inducantur, reverentia Dei & verbi ejus, ibid. in fine.

III. Cum reverentia verbi divini, conjungitur consolatio & gaudium solidum, etiam in medio afflictionum, v. 162.

IV. Gaudium de verbo provenit ab ejus amore, & eundem amorem auget, v. 163. in fine.

V. Amor verbi infert secum summum odium & abominationem eorum omnium, quae eidem verbo repugnant, ibidem in principio.

VI. Amor verbi exeritur & exercetur in grata Dei laudatione, v. 164. in medio.

VII. Laudatio Dei debet frequenter iterari; ibidem in principio.

VIII. In Deo singulariter laudanda est illa dispensatio ejus in verbo revelata, & fide apprehensa, qua pacem immobilem praestat piis, ibidem in fine, & v. 165.

IX. Qui Dei verbum reverentur, in deliciis habent, amant, laudant, ii possunt ac debent certa spe expectare salutem Dei, v. 166.

X. Salus Dei expectanda est in viis praeceptorum ejus, ibid. in fine.

XI. Studium obſervantiæ præceptorum Dei, etiam atque etiam urgere decet, tam ad curam, quam ad conſolationem noſtram augendam, v. 167, 168.

XII. Singulare motivum eſt obſervantiæ, fides providentiæ Dei ſemper invigilantis nobis in bonum, ex v. 168. in fine.

## OCTOSTICHUM XXII.

Verſ. 169. *Appropinquet clamor meus ante faciem tuam, Iehova; ſecundum verbum tuum prudentem redde me.*

170. *Perveniat deprecatio mea ante faciem tuam; ſecundum ſermonem tuum eripe me,*

171. *Eructabunt labia mea laudem; quum docueris me ſtatuta tua.*

172. *Cantabit lingua mea ſermonem tuum, omnia præcepta tua juſtiſſima eſſe.*

173. *Adſit manus tua ad auxiliandum mihi, quia mandata tua eligo:*

174. *Deſidero ſalutem tuam Jehova, & lux tua eſt omnis oblectatio mea.*

175. *Vivat anima mea, ut laudet te; & judicia tua auxilientur mihi.*

176. *Erro ut pecus quæ perit, require ſervum tuum; nam præceptorum tuorum non obliviſcor.*

## ANALYSIS.

HÆc eſt concluſio totius Pſalmi, qua David præcipuam ſuam petitionem urget & inculcat, virtute eorum argumentorum, quæ antea fuſius explicata fuerunt, & hic breviter deſignantur.

Petitio illa generaliter proponitur v. 169. in principio, & 170. in princ. & ſimul diſtribuitur in duas partes: quarum prima eſt de informatione practica in verbo, v. 169. in fine; ſecunda vero de liberatione à malis, v. 170. in fine, v. 173. in principio, 175. in princ. & in fine, & 176. in medio.

Argumentum primum, quo hæc petitio urgetur, petitur à fine & fructu ejus, in glorificatione Dei & verbi ejus, v. 171, 172. & 175. in medio.

Secundum argumentum petitur ab adjuncto, antecedente, & cauſa diſponente, quæ triplex eſt. 1. Fides ſcilicet in verbo firmo, & immobili propoſito acquieſcens, v. 173. in fine. 2. Vehemens deſiderium ſalutis in verbo promiſſæ, verſic. 174. in principio. 3. Summus amor, & complacentia in verbo, ibid. in fine.

Tertium petitur ab adjuncta neceſſitate, quæ illuſtratur ſimilitudine ovis errantis, id eſt, expoſitæ luporum & aliarum beſtiarum rapacitati, v. 176. in princ.

Quartum petitur ab adjuncto obſervantiæ, diſcrete vel adverſative diſpoſito cum prædicto ſtatu erroris; ibid. in fine, *ſervum tuum: præceptorum tuorum non obliviſcor.*

### DOCUMENTA.

I. In oratione fervida & efficaci, eaſdem petitiones iterum atque

iterum repetere, urgere & inculcare juvat ex petitionibus hujus partis cum antecedentibus petitionibus hujus Psalmi comparatis.

II. Illud imprimis est petendum, & urgendum, ut Deus dignaretur petitiones nostras audire & acceptare; ex vers. 169, & 170. in principio.

III. Petitionum omnium ad nos spectantium summa in istis duobus consistit, ut efficaciter ex verbo informemur & dirigamur in via recta: & ut liberati à malo participes fiamus bonitatis divinæ in verbo promissæ, ex v. 169, & 170. in fine.

IV. Laus Dei sicut finis, & fructus est, tam informationis in verbo, quam liberationis à malo, & communicationis boni, sic nobis proponi debet ut finis, in hujus gratiæ petitione, v. 171.

V. Ita Deum laudare debemus, ut simul verbum ac perfectionem ejus laudemus, v. 172.

VI. Petitionum obtinendarum spes fluit ex fide promissionum, v. 173.

VII. Cum vera fide conjungitur desiderium salutis verbo promissæ, quo etiam spes confirmatur, v. 173. in principio.

VIII. Cum fide, desiderio, & spe divina conjungitur oblectatio spiritualis, ex verbo emanans, ib. in fine.

IX. Neque spes, neque oblectatio nostra impediri debet desolata nostra conditione; sed eadem desiderium, & orandi studium excitari, v. 176 in principio.

X. Si in istiusmodi conditione, si in studio observantiæ erga Deum persistammus, fides ac spes nostra inde potest ac debet confirmari, ibid. in fine.

## Psalmus Centesimus vigisimus.

*Canticum excellentissimum. Ad Iehovam in maxima angustia mea clamavi, & exaudivit me.*
2. *Iehova eripe me à labio falso, à lingua dolosa.*
3. *Quid datura est tibi, quidve adjectura tibi lingua dolosa?*
4. Verba similia *sagittis robusti acutis, comparanda prunis juniperorum.*
5. *Hei mihi, quia peregrinor tamdiu, habito tamquam scenitæ Kedareni.*
6. *Plurimum habitasse videtur sibi anima mea, apud osorem pacis.*
7. *Ego pacem* diligo: *at quum loquor, ipsi ad bellum conclamant.*

## ANALYSIS.

Psalmus iste (cum tredecim sequentibus) vocatur *Psalmus graduum*, propter singularem aliquem gradum excellentiæ, quæ ipsis conveniebat, tam ratione materiæ, quam ratione formæ, & finis.

Scopus est, sub exemplo Davidis, docere, quomodo fideles gerere sese debeant in medio angustiarum collocati.

1. In istum finem invocatio Dei, ut medium afflictis necessarium, commendatur: quæ tam suis adjunctis fervoris, ac fiduciæ, illustratur, *ad Iehovam clamavi*; quam effecto & fructu optato: *exaudivit me*, v. 1. 2. Species hujus invocationis repræsentatur, quæ fuit petitio congruens occasioni, partibus constans duabus: quarum

quarum prima fuit de liberatione à calumniis hoſtium, quæ duobus adjunctis, falſitatis, & fraudis, declarantur, v.2. & illuſtratur diverſa fiducia ſua, de vanitate earum, v. 3. Quæ vanitas etiam amplificatur, atroci & perniciosa earum natura, quæ duobus ſimilibus illuſtratur, v. 4. 3. Secunda pars petitionis eſt de liberatione à moleſtia illa quam patiebatur ex illis calumniis: quæ ſub forma gravis quærelæ innuitur, v. 5. &c. Ubi hæc moleſtia comparatur cum peregrinatione inter barbaras gentes, verſ. 5. Cujus comparationis ratio redditur à ſimili qualitate hoſtium ſuorum & hominum maxime barbarorum, *odio pacis*, v.6. Quod odium illuſtratur oppoſito ſtudio *pacis*, quo fruſtra conabatur eorum ferociam mitigare, v.7.

### DOCUMENTA,

I. Quamvis omnes Pſalmi ſint canonici, atque adeo perfecti, alii tamen aliis ſunt aliquo reſpectu excellentiores ex tit.

II. In anguſtiis noſtris excellentem uſum habent illi Pſalmi, qui ex occaſione anguſtiarum fuerunt concepti & conſcripti, v. 1.

III. In anguſtiis nihil utilius, quam Dei miſericordiam cum fervore ac fiducia implorare, ibid.

IV. Iſtiuſmodi orationes ſemper audiuntur, Ibid.

V. Adverſus falſas ac doloſas calumnias ſpecialiter orare nos decet, v. 2.

VI. Quamvis calumniatores ſuis calumniis multum ſe profecturos imaginantur, exitus tamen docebit eos nihil inde lucrari, v. 3.

VII. Atroces & pernicioſæ calumniæ ſic evaneſcunt, ut homicidii reatum ſuis authoribus relinquant, v. 4.

VIII. Eædem tamen calumniæ intollerabilem ſæpe moleſtiam & vexationem adferunt piis, v. 5.

IX. Inter calumniatores habitare, eſt inter barbaros ac feros homines verſari, Ibid.

X. Barbari ſunt, qui alieni ſunt ab omnibus honeſtis conditionibus pacis, v. 6.

XI. Pii hominis eſt, quantum in ſe eſt, quærere pacem, v. 7.

XII. Impii & feroces nulla manſuetudine poſſunt averti à piis impugnandis, ibid.

## PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS PRIMUS.

*Canticum excellentiſſimum. Attollerem oculos meos ad iſtos montes? unde veniret auxilium meum?*

2. *Auxilium meum* ſit *à Iehova, qui fecit cælos & terram.*

3. *Ne permittat dimoveri pedem tuum, ne dormitet cuſtos tuus.*

4. *Ecce non dormitat, neque dormit cuſtos Iiſraëlis.*

5. *Iehova cuſtos tuus; Iehova umbra tua eſt ad manum dexteram tuam.*

6. *Interdiu ſol non percutiet te, aut luna noctu.*

7. *Iehova ſervabit te ab omni malo, ſervabit animam tuam.*

8. *Iehova ſervabit proceſſum tuum & reditum tuum, ex hoc tempore uſque in ſeculum.*

ANA-

## ANALYSIS.

HOc Psalmo continetur professio fiduciæ religiosæ in Deo collocatæ. Quæ illustratur 1. De liberatione opposita, de fiducia in aliis rebus collocanda, tanquam tentatione fide superata, v. 1. ubi per *montes* sive locus circumspiciendi omnia auxilii media intelligatur; sive loco refugii; sive incolæ montium, tanquam copiæ auxiliares; eodem tamen res ipsa reddit hæsitatione scil. aliqua in principio turbatam fuisse animam Davidis, ex qua per gratiam Dei fæliciter emersit.

Declaratur secundo in loco pia & victrix fiducia in Deo solo collocata. 1. Ab ejus omnisufficientia, quæ ab effecto creationis illustratur, v. 2. 2. Ab ejus efficientia & providentia gratiosa. Quæ gratiosa providentia Dei sub forma practicæ applicationis declaratur. 1. Per ejus efficaciam in omni malo propulsando, v. 3. in principio. *Ne permittat dimoveri pedem tuum.* 2. Per ejus constantiam incessantem, ibid. in fine. *Ne dormitet custos tuus*, & v. 4. *Ecce non dormitat neque dormit custos Israëlis.* Quæ duo per commorationem inculcantur & applicantur. 1. Efficacia præsentissima, versic. 5. 2. Constantia, v. 6. Quibus effectum subjungitur, conservatio ab omni malo, v. 7, 8. Quæ conservatio illustratur distributione ab adjunctis occasionibus, v. 8.

### DOCUMENTA.

I. In tempore angustiarum, nimis proclives sumus ad auxilium quærendum ab illis rebus, quæ non possunt juvare, v. 1.

II. Fideles solent istiusmodi motus infidelitatis excutere, fiduciam divinam in semetipsis excitando, v. 2.

III. Fiducia hæc pia multum excitatur, & confirmatur consideratione omnipotentiæ Dei, in operibus ejus elucentis, ibid. in fine.

IV. Per istam fiduciam apprehenditur efficax & constans Dei providentia, omne malum propulsans & omne bonum perficiens, v. 3.

V. Per hanc fiduciam, singuli fideles applicare sibi possunt ac debent omnes illas promissiones quæ factæ sunt Ecclesiæ Dei, v. 4.

VI. Plurimum facit ad consolationem fiduciæ, quod hæc providentia sit semper & ubique fidelibus præsens, v. 5.

VII. Ex hac providentia, singulariter haurienda est consolatio, adversus singularia quæque mala secundum varietatem occasionum nostrarum, v. 6, 7, 8.

## PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

*Canticum excellentissimum Davidis. Lætor de eo quod dicitur mihi, domum Iehovæ adeamus:*

2. Quod *consistunt pedes nostri intra portas vestras, ô Ieruschalaima.*

3. *Ieruschalaima optime constructa, civitas quæ plane coagmentata est inter se pariter:*

4. *Quo ascendunt tribus, tribus Iah,* ad *testimonium Israëlitarum ut celebrent nomen Iehovæ.*

*5. Quia ibi conſident throni juris, throni domus Davidis.*
*6. Expetite pacem Ieruſchalaimorum*, dicentes ; *tranquilli ſunt amantes tui :*
*7. Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas in palatiis tuis.*
*8. Propter fratres meos & amicos meos ; eloquor nunc, pax ſit in te.*
*9. Propter domum Iehovæ Dei noſtri, procurabo bonum tibi.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo David ſibi gratulatur in Domino, de fœlicitate illa, qua ipſe cum aliis fruebatur in Eccleſia Dei.

1. Primo igitur in loco lætitiam ſummam profitetur, v. 1. *lætor*. Cujus gaudii cauſam ac rationem reddit à communione illa, quam habebant fideles cum Deo, in ſolemni ejus cultu. Qui cultus illuſtratur 1. Ab adjuncto ſtudio ac zelo fidelium communi, ſe invicem excitantium ad illum cultum celebrandum, ibid. 2. Ab ejuſdem ſubjecto, loco opportunitatis aſſiduæ & conſtantis, verſ. 2. 2. Locum opportunitatis hujus celebrat à ſuis adjunctis. Quorum primum eſt, pulcherrima conſenſio & convenientia omnium partium ejus ad pios uſus, v. 3. Secundum eſt ſolemnis cultus, qui ibi exerceri ſolebat, v.4. Tertium eſt legitima juris adminiſtratio, ſecundum verbum Dei, v. 5. 3. Continuationem hujus lætitiæ, & opportunitatis exoptans, 1. Omnes fideles ad vota eo conferenda vocat, v. 6. & voti formulam ipſis dictat, v.7. 2. Exemplo ſuo præit ipſis in hoc officio præſtando, v. 8. & 9. Quod illuſtrat à cauſis impellentibus, charitate ſcil. erga fratres, v. 8. & erga Deum ejuſque cultum, v. 9.

### DOCUMENTA.

I. Summi gaudii materia piis eſt, quando vident religionem florere, ex v. 1.

II. Ad florem religionis pertinet imprimis, ut ſtudium & zelus cultus divini mutuis exhortationibus promoveatur, ibid.

III. Libertas & opportunitas Eccleſiaſticorum conventuum, ad gaudium iſtud multum confert, v. 2.

IV. Ad opportunitatem iſtam requiritur unio & concordia, v. 3.

V. Unionis iſtius vita eſt in vivido cultu Dei, v. 4.

VI. Diſciplina tam Eccleſiaſtica, quam civilis neceſſaria eſt ad eundem finem, v. 5.

VII. Hæc fœlicitas & ejus continuatio, tam nobis quam aliis eſt omnibus votis expetenda, v. 6, 7.

VIII. Vnuſquiſque debet aliis exemplo ſuo præire, in hoc officio præſtando, v. 8.

IX. Charitas erga Deum & homines non ſinit pios ab hoc officio ceſſare, v. 8, & 9.

PSAL.

## Psalmus Centesimus vigesimus tertius.

*Anticum excellentissimum. Ad te attollo oculos meos, ô* tu *qui sedes in cœlis.*

2. *Ecce ut oculi servorum* spectant *ad manum dominorum suorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ suæ, ita oculi nostri ad Iehovam Deum nostrum donec gratiam fecerit nobis.*

3. *Gratiam fac nobis Iehova, gratiam fac nobis, quia satis* est, *saturi sumus contemptu.*

4. *Plurimum saturata est anima nostra: ista sanna tranquillis ipsis, iste contemptus* obveniat *superbis.*

## ANALYSIS.

Psalmi hujus scopus est, petere à Deo tutelam ac liberationem Ecclesiæ, ab illis injuriis quibus premebatur.

Petitio hæc, sub generali forma implorationis gratiæ, proponitur & inculcatur, v. 3. in princ.

Primum argumentum petitur ab administrante causa, desiderii, ac fiduciæ in Deum directe, v. 1. *ad te attollo oculos.* Quæ fiducia in Deo collocata illustratur 1. A qualitate objecti, potentia scil. & providentia Dei, ibid. in fine: *qui sedes in cœlis.* Illustratur etiam 2. Duobus similibus, fiduciæ scil. servorum & ancillarem, ab herorum & herarum suarum tutela cum fiducia dependentium, v. 2.

Secundum argumentum petitur à qualitate, & quantitate injuriæ illius, quam Ecclesia patiebatur, v. 3. in fine, contemptu scil. magno, & diuturno. Quod argumentum per commemorationẽ, plenius explicatur v. 4.

Tertium argumentum petitur à qualitate eorum, qui injuriam inferebant, ibid. in fine: quod præter sua merita fuerint tranquilli, id est, omnia ex voto habebant, & inde facti sint superbi.

### Documenta.

I. In omni genere pressuræ, precibus confugiendum est ad Deum, ejusque gratia est sedulo imploranda, v. 3. in princ.

II. Preces efficaces procedunt ab intento desiderio, & fiducia in Deo collocata, v. 1.

III. Fiducia ista firmatur, & sustentatur consideratione omnipotentiæ & eminentis providentiæ Dei, ib. in fine.

IV. Confirmatur etiam plurimum ista fiducia ex eo, si tam bene nobis conscii simus, ut sciamus nos Deo addictos esse tanquam servos, & Deum esse Dominum nostrum, v. 2.

V. Hæc fiducia non alium novit finem aut exitum, quam gratiosam liberationem, ibid, in fine.

VI. Inter alia genera & gradus pressurarum, contemptus & contumeliosa subsannatio singularem vexationum secum adfert, v. 3. in fine, & 4. in princ.

VII. Contemptus iste provenit à superbia impiorum hostium, v. 4. in fine.

VIII. Superbiæ occasionem arripiunt impii ex sua tranquilla prosperitate, ibid.

## PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS QUARTUS.

*Canticum excellentiſſimum Davidis. Niſi Iehova adfuiſſet nobis, dicat nunc Iſrael;*
*2. Niſi Jehova adfuiſſet nobis, quum inſurgerent contra nos homines;*
*3. Tunc vivos abſorbuiſſent nos, exardeſcente ira eorum in nos:*
*4. Tunc illæ aquæ inundaſſent nos, torrens ſuperaviſſet nos:*
*5. Tunc ſuperaviſſet nos* torrens *aquæ ſuperbiſſimæ.*
*6. Benedictus Iehova, qui non expoſuit nos prædæ dentibus eorum.*
*7. Anima noſtra, ut avicula erepta eſt à laqueo aucupantium, laqueo effracto nos erepti ſumus.*
*8. Auxilium noſtrum in nomine Iehovæ, qui fecit cælos & terram.*

## ANALYSIS.

Huius Pſalmi ſcopus eſt, celebrare bonitatem Dei, in Eccleſiæ liberatione à periculis magnis.

1. In iſtum finem magnitudinem periculorum exponit duabus comparationibus, devorationis ferarum beſtiarum, & inundationis aquarum, v. 3, 4, & 5. 2. Liberationem ab hoc periculo tribuit Deo tanquam unico ejus authori, v. 1. & 2. 3. Tam periculi, quam liberationis commemorationem diligentem ſuadet, verſ. 1. 4. Deo benedicit de ſua bonitate, in Eccleſia liberanda, verſ. 6. in principio. Quam liberationem illuſtrat duobus ſimilibus, ereptionis nempe pecudis è dentibus leonis, & ereptionis aviculæ è laqueo aucupis, v. 6, & 7. 5. Ex iſtis omnibus deducit pro concluſione, uſum conſentaneum, videl. Omne auxilium Eccleſiæ quærendum & certo expectandum eſſe à Deo omnipotente, v. 8.

### DOCUMENTA.

I. Eccleſia ſemper fere impetitur ab impiis, ex odio ſummo, v. 2. in fine, v. 3, 4, 5.

II. Hac ratione in tantis periculis ſæpe verſatur Eccleſia, ut ex mediis apparentibus, nulla ſit ſpes ipſi relicta, ibid.

III. Dei tamen bonitas ſufficit piis adverſus omnes iſtos terrores, v. 1.

IV. Bonitas hæc Dei nunquam debet oblivioni tradi, ſed ſemper cum laude commemorari, ibid. in fine.

V. Ad bonitatem illam Dei celebrandam, juvat plurimum, ſæpius cogitare de magnitudine periculorum, à quibus Deus nos liberavit, v. 3, 4, 5.

VI. Conſideratio periculi, & liberationis præſtitæ, conſtringere nos debet ad benedicendum Deo ex toto corde, v. 6, 7.

VII. Qui Deo ex animo benedicunt de auxilio præſtito, illi ſic ædificantur in fide ac fiducia omni ſufficientiæ ac efficentiæ Dei, ut ſemper quærant & expectent auxilium ab ipſo ſolo, v. 8.

## Psalmus Centesimus Vigesimus quintus.

*Canticum excellentissimum. Qui confidunt Iehovæ, similes* sunt *monti Tzijonis:* qui *non dimovetur, in seculum permanet.*

2. Ut *Ieruschalaima montes circumstant, ita Iehova circumstat populum suum; ex hoc tempore usque in seculum.*

3. *Nam non quiescit virga improbitatis super sortem justorum; ut non extendant justi ad ullam iniquitatem manus suas.*

4. *Benefac Iehova bonis, & rectis ex animis suis.*

5. *Qui autem inclinant* animos suos *ad* itinera *tortuosa sua, amandet eos Iehova cum iis, qui dant operam iniquitati, pax* sit *super Israelem.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Psalmi est consolari fideles ( quos primis verbis describit ) adversus omnes terrores quibus percelli potuerant multis periculis undique obsessi. Hoc autem facit Propheta, 1. Doctrinam consolationis proponendo, v. 1,2,3. 2. Eandem suis votis obsignando, v. 4, & 5.

In priore parte, 1. Fontem aut causam hujus consolationis ostendit esse sustentationem ac protectionem divinam fidelibus præsentem, constantem, & omni-sufficientem, versic. 2. Quæ illustratur typo montis Tzijonis bene fundatæ, & variis montibus aliis, quasi totidem munimentis cinctæ, versic. 1. & 2. 2. Occupat objectionem oppressionis illius, cui subinde obnoxia est Ecclesia, per negationem perdurationis ejus, v. 3. in principio. Cujus negationis rationem reddit à periculo defectionis inde consecuturæ, ibid in fine.

In posteriore parte, iisdem fidelibus benedictione ac pacem precatur, v. 4. in principio, & 5. in fine. Quam petitionem illustrat 1. A descriptione eorum, quibus hoc vovet: quod scilicet boni & recti vel synceri fuerint in corde; vel Israelitæ veri, sine dolo, v. 4. in fine. 2. Ab opposita imprecatione adversus hypocritas infidos, v. 5. in principio.

### Documenta.

I. Consolatio solida ad illos solos pertinet, qui sunt vere fideles, v. 1. in princ.

II. Vere fideles stabilem & immobilem statum consolationis habent, ibid. in fine.

III. Status iste consolationis pendet in solidum à protectione illa divina semper ipsis præsente, & omnisufficiente, v. 2.

IV. Protectio ista non statim interrumpitur, si fideles afflictionibus gravibus exerceantur, vers. 3. in principio.

V. In ipsis afflictionibus magna est inde consolatio fidelibus, quod Deus hactenus illos protegat, ne per illas inducantur in tentationum, v. 3. in fine.

VI. Consolationem istam votis ardentissimis, tam aliis fidelibus quam nobismetipsis precari debemus, vers. 4, 5.

VII. Eandem certo ſpondere poſſumus iis, qui in pietata ſunt ſynceri, v. 4.

VIII. Hypocritæ nullam portionem habent cum piis in iſta conſolatione, ſed cum infidelibus punientur, v. 5. in princ.

## Psalmus Centesimus vigesimus sextus.

*Canticum excellentiſſimum. Quum reduceret Iehova multitudinem captivorum Tzijonis, eramus velut qui ſomniant.*

2. *Tunc impletum eſt riſu os noſtrum & lingua noſtra cantu; tum dictum eſt inter gentes, magnifica Iehova efficit* opera *erga iſtos.*

3. *Magnifica Iehova efficit erga nos, ſumus læti.*

4. *Reduc Iehova multitudinem captivorum noſtrorum; tamquam validiſſimas* aquas reducens *in regionem ſiccam.*

5. *Qui ſeminarunt cum lacrymis, cum cantu metant.*

6. Qui *portans acquiſitum ſemen, indeſinenter ibat flendo,* is omnino *redeat cum cantu, reportans manipulos ſuos.*

## ANALYSIS.

Psalmus iſte ſcriptus videtur ex occaſione edicti à Cyro promulgati de reverſione Judæorum ex Babylonica captivitate. Scopus igitur ejus eſt, illam reſtitutionem celebrare, & promovere.

1. Celebratur 1. ab authore Deo, verſ. 1, 2. Ab adjuncto ejus modo tam admirabili, ut omnem fere fidem, & opinionem hominum ſuperaverit: quod illuſtratur ſimilitudine ſomniantium, qui ſæpe videntur ſibi videre illa, quæ ſunt impoſſibilia, ibid. 3. Ab effectis ſummi gaudii inter Judæos & maxime famæ ac admirationis inter Gentes, v. 2. Quæ fama confirmatur etiam teſtimonio Iudæorum, v. 3. 2. Promovetur eadem reverſio precibus: quibus ipſius reſtitutionis perfectionem petit, ejuſque optatam bonitatem illuſtrat ſimilitudine irrigationis terræ ſiccæ, verſ. 4. & copioſæ meſſis, poſt dubiam & triſtem ſementem, v. 5, & 6.

### Documenta.

I. Quæcunque media fuerint ſalutis aut boni noſtri, tota gloria eſt Deo in ſolidum tribuenda, v. 1.

II. Deus tam inopinato & incredibili modo ſalutem ſuorum procurat, ut quod futurum credebant, & ſperabant, vix credere poſſint adeſſe, quando adeſt, ibid.

III. Finis & fructus admirabilis hujus diſpenſationis, eſt ſingulare gaudium piorum, & glorificatio Dei, v. 2. in princ.

IV. Tam clara ſæpe eſt hæc diſpenſatio bonitatis Dei, erga Eccleſiam, ut illi etiam qui extra ſunt, cogantur Deum eo nomine glorificare, ib. in fine.

V. Confeſſio iſta extraneorum, qua Deus glorificatur, a piis debet tam verbis quam factis confirmari ac promoveri, v. 3.

VI. Quando Deus incepit nobis benefacere, noſtrum eſt, precibus

cibus apud eum instare, ut bonum illud quod incepit, in nobis & aliis perficere dignetur, v. 4.

VII. Preces istæ eo ferventiores erunt, quo magis meditamur de fœlicitate illa, quam ex earum exauditione consequi speramus, ibidem in fine.

VIII. Fœlicitatis hujus spes non extinguitur, in piis, rebus adversis, sed fruitio ejus, earum experientia & memoria, fit magis jucunda, v. 5, 6.

## PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

*Canticum excellentissimum pro Schelomone. Nisi Iehova ædificet domum, frustra laborent ædificatores ejus de ea: nisi Iehova custodiat civitatem, frustra sedulus sit custos:*

2. *Frustra* sint *vobis, qui summo diluculo surgant, qui tarde sedeant, qui vescantur cibo dolorum: ita dat dilecto suo somnum.*

3. *Ecce possessio Iehovæ* sunt *filii merces* est *fructus ventris.*

4. *Ut sagittæ ad manum robusti, ita sunt pueri.*

5. *Beatus vir ille, qui impleverit pharetram suam illis: non erubescent, sed perimen inimicos in porta ipsorum.*

## ANALYSIS.

In isto Psal. proponitur doctrina de providentia Dei: cujus necessitas & efficacia ad omne bonum docetur, sub forma enunciationis exceptivæ, sæpius inculcata: *Nisi, nisi, frustra, frustra.* Hujus enim enunciandi formæ hæc vis est, ut duo hæc affirmet. 1. Sine bonæ & benedicentis providentiæ Dei concursu, nihil boni ex ullis medis expectandum esse. 2. Ab illa bona Dei providentia omnia bona posse ac debere expectari, in usu mediorum legitimorum. Declarantur hæc per inductionem partium. 1. In statu familiæ, v. 1. in princ. 2. In statu civili. ib. in fine. 3. In facultatibus aut copia, vel necessariarum, vel utilium & desiderabilium rerum, v. 2. 4. In sobolis propagatione fælici, vers. 3. Quæ fœlicitas per comparationem illustratur ab effectis filiorum piorum in familiæ defensione, v. 4. & 5.

### DOCUMENTA.

I. Si Dei benedictio absit, conatus omnes humani frustra sunt ad boni aliquid perficiendum, v. 1.

II. Si Dei benedictio adsit, non sunt frustranei nec irriti conatus humani, ibid.

III. Benedictio Dei solida, propria est populis ejus dilecti, v. 2. *Dilecto suo.*

IV. Hæc benedictio sæpe facit, ut dilecti Dei desiderabilium rerum copiam habeant sufficientem & securam, ibid. *Dat dilecto suo somnum.*

V. Singularis est benedictio Dei, liberos bonos habere, v. 3.

VI. Liberi boni sic educantur, ut maneant in manu ac potestate parentum, v. 4.

VII. Potestate & cura parentum, apta redduntur instrumenta ad aliquas bonas artes exercendas, ibid.

VIII. Tales

VIII. Tales liberi parentibus ſuis & honorem, & quando opus eſt, etiam defenſionem tam publicam quam privatam præſtant, v. 5.

IX. Talis proles, quo numeroſior, eo melior, ibid.

## Psalmus Centesimus vigesimus octavus.

*Canticum excellentiſſimum. Beatus quiſque timens Iehovæ, qui ambulat in viis ejus.*

2. *Labore enim manuum tuarum frueris: beatus eris, & bene erit tibi.*

3. *Vxor tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ; filii tui ut plantæ olearum circumſtabunt menſam tuam.*

4. *Ecce quum ita benedicatur vir timens Iehovæ:*

5. *Benedicit tibi Iehova è Tzijone; fruere igitur bono Ieruſchalaimorum omnibus diebus vitæ tuæ.*

6. *Et reſpice natos filiis meis, pax eſt ſuper Iſraëlem.*

## ANALYSIS.

Beatitudo piorum hoc in Pſalmo prædicatur, ad conſolationem ipſorum, & excitationem omnium ad ſtudium pietatis. Quæ doctrina 1. Generaliter enunciatur, v. 1. & 4. Ubi ad errorem cavendum deſcriptio ponitur vere piorum ab adjuncto, religioſo timore Dei veri, & ab effecto ejus conſtanti obſervantia voluntatis ejus. 2. Eadem veritas ſingulis piis applicatur, & enumeratis partibus hujus beatitudinis, explicatur in reliquo Pſalmo.

Prima pars eſt ſuavis contentatio ex eis quæ ſuppetunt, quamvis ſors adeo tenuis fuerit, ut labore manum quærendus ſit victus, v. 2.

Secunda eſt contentatio ex conjugii ſucceſſu & liberorum indole bona, v. 3.

Tertia eſt participatio publici Eccleſiæ boni: quæ illuſtratur 1. A cauſa ex qua fluit, & teſtimonio quo confirmatur, fœdere ſcil. gratiæ, inito cum Eccleſia, verſ. 5. in princ. 2. Ab adjuncta duratione, v. 5. in fine, & etiam extenſione ad poſteros, v 6.

### Documenta.

I. Characteriſtica nota eſt hominis pii, Deum verum vere timere, v. 1.

II. Timor Dei verus conjunctum habet conſtans ſtudium obedientiæ erga verbum Dei, ibid.

III. Omnes illi qui Deum vere timent, beatificas promiſſiones habent & hujus & futuræ vitæ, 1 Tim. 4. 8.

IV. Benedictionis hujus pars minime contemnenda eſt, quod pii etiam in tenui & laborioſa vita, ſua ſorte ſunt contenti, v. 2.

V. Conjugii & prolis fœlicitas ſuaviſſima pars eſt omnium benedictionum temporalium, v. 3, 4.

VI. Iſtiuſmodi benedictiones fluunt ex gratia, fœdere, & promiſſione Dei, v. 5. princ.

VII. Tum demum ſuaves ſunt iſtæ benedictiones privatæ, quando con-

do conjunguntur cum participatione boni status Ecclesiæ, ibidem in fine.

VIII. Continuatio status hujus est complementum benedictionis in ista vita sperandæ, v. 5, & 6.

## PSALMUS CENTESIMUS VIGESIMUS NONUS.

*Canticum excellentissimum. Multum affecerunt me angustiis inde à pueritia mea, dicat nunc Israel:*

2. *Multum affecerunt me angustiis inde à pueritia mea; etiam non prævaluerunt mihi.*

3. *Super tergum meum arraverunt arratores, produxerunt quamque strigarum suarum.*

4. *Jehova justus, truncavit densos funes improborum.*

5. *Erubescent & agentur retrorsum, omnes osores Tzijonis.*

6. *Erunt tanquam fœnum tectorum, quod antequam exeratur* falx, *exaruit,*

7. *Quo non implet manum suam messor; aut lacertum suum, qui manipulos facit.*

8. *Neque dicent qui transeunt, benedictio Iehovæ adsit vobis, benedicimus vobis in nomine Iehovæ.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Psalmi est, excitare Ecclesiam ad Deum glorificandum de bona illa providentia ejus, qua invigilat ipsis in bonum, v. 1. in fine. Hanc autem declarat ab effectis ejus, tam præteritis ad v. 5. quam pari modo futuris. Effecta præterita declarantur à diversis, pressura nempe gravi & diuturna, vers. 1. & 2. sed tamen per providentiam Dei irrita, v. 2. in fine.

Quæ pressura illustratur similitudine terræ aratro profunde scissæ in sulcos oblongos, v. 3. Et irritatio ejus per continuatam similitudinem dissectionis funium quibus aratrum trahebatur in Ecclesiæ dorso, v. 4. Quod etiam illustratur à causa, justitia scilicet Dei adversus hostium improbitatem, ibid.

Effecta futura providentiæ illius divinæ, sunt confusio & repressio hostium omnium Ecclesiæ, vers. 5. Quæ illustratur similitudine sterilis fœni, cito exarescentis, v. 6. Sine fructu, ibid. Et sine fructus expectatione aut gratulatione, v. 7, 8.

### DOCUMENTA.

I. Bona Dei providentia in Ecclesia conservanda, cum omni gratitudine agnosci & celebrari debet, v. 1. in fine.

II. Eo magis decet nos istam providentiam celebrare, quo majorem ejus experientiam habuimus, v. 1, & 2.

III. Ecclesia Dei, in omni seculo, ut multas, magnas & diuturnas pressuras; sic etiam accommodatam Dei providentiam solet experiri, ibid. v. 3. & 4.

IV. Providentia hac Dei fit, ut vali-

validiſſima conſilia & machinationes improborum adverſus Eccleſiam ſubito irritentur quaſi diſſectæ, v. 4.

V. Juſtitiæ Dei adverſus impietatem hoſtium, hoc eſt acceptum referendum.

VI. Conſideratio præſtitarum liberationum confirmat fideles in expectatione futurarum, v. 5.

VII. Proſperus ſucceſſus impiorum non debet fidem piorum turbare; quia tantum ad breve tempus durabit, v. 6.

VIII. Nullus ſolidus fructus vel colligi, vel expectari poteſt ex via & conatibus impiorum, verſic. 7. & 8.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS.

*Canticum excellentiſſimum. Ex profunditatibus inclamavi te Jehova* dicens.

2. *Domine auſculta voci meæ: ſint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.*

3. *Si iniquitates obſervaveris, Jah, Domine, quis poſſit conſiſtere?*

4. *Nam apud te eſt condonatio, ut reverenter colaris.*

5. *Expectavi Iehovam, expectavit anima mea: etiam in verbo ejus expectationem habeo.*

6. *Animus meus erga Dominum* ſtudioſior eſt; *quam excubiarum erga matutinum, excubantium ad matutinum uſque.*

7. *Expectationem habeat Iſrael in Iehova; quia apud Iehovam* eſt *benignitas, & plurimum apud eum redemptionis:*

8. *Et ipſe redimet Iſraelem, ab omnibus iniquitatibus ejus.*

## ANALYSIS.

Scopus hujus Pſalmi eſt excitare & confirmare fiduciam piorum, quæ fiducia declaratur. 1. v. 7. Ab objecto ejus, tam materiali, *quod in Jehova*, quam formali, *quia apud Iehovam eſt benignitas & multa redemptio*, id eſt, ſufficiens & efficax ad omnimodam redemptionem, v. 8. 2. Ab effecto ejus, redemptione ſcilicet eorum à peccatis, & pœnis peccatorum.

Hanc exhortationem aliorum ad fiduciam ac ſpem, urget Propheta à ſimili exemplo fiduciæ ac ſpei ſuæ, à v. 1. ad 7.

Ubi, ad comparationis uſum & efficaciam, ſuam fiduciam declarat. 1. A conditione diverſa, quæ fiduciæ oppoſita videri poſſit, ſi ulla alia, quæ contingere ſolet piis, v. 1. *Ex profundis*, id eſt, ex portis ipſis deſperationis. 2. A vivido ejus motu in Dei ope precibus imploranda, ibid. *Inclamavi te.* Cujus precationis ſumma repræſentatur conſiſtens in vehementi petitione, verſ. 2. Cui ſubjungitur occupatio objectionis, per tacitam vel implicitam confeſſionem peccatorum, comparatione minorum illuſtratam & ſimul etiam confirmatione tam ab eventu incommodo, ſi non gratioſe audiretur, v. 3. quam ab eventu optatiſſimo, qui ex gratioſa exauditione exiſteret, v. 4. 3. Eandem fiduciam illuſtrat partim à læta animi conſtitutione,

quam per illam consequutus erat, v. 5. partim à causa ejus, promissione salutis, v. 5. & partim collatione similium ac minorum, v. 6.

DOCUMENTA.

I. Tam profundis doloribus ac terroribus nonnunquam afficiuntur fideles, ut non aliis tantum, sed & sibimetipsis videantur jam jam desperatione absorbendi, vers. 1.

II. Quo profundiores angustias sentiunt fideles, eo profundiora suspiria emittunt ad Deum inter precandum, ibidem.

III. Precum exauditio identidem est precanda, v. 2.

IV. Sicut semper, sic præcipue in gravibus pressuris, confessio seria peccatorum necessaria est ad precum exauditionem, v. 3.

V. In confessione juvat etiam de aliorum peccatis cogitare, si id non fiat ad nosmetipsos excusandos, sed magis urgendos, ibid.

VI. In precibus illud primarium est, ad fiduciam excitandam, si misericordiam Dei rite apprehendamus, v. 4.

VII. Misericordiæ divinæ apprehensio legitima, non ad securitatem carnalem, sed ad reverentem Dei cultum deducit, ibid.

VIII. De fiducia & expectatione in Deo, secundum verbum ejus collocata, possumus sancte gloriari, v. 5, 6.

IX. Unius qualiscumque fidelis hominis fiducia experientia comprobata, facit ad aliorum omnium ædificationem, in fiducia simili similiter concipienda, v. 7, 8.

X. Ex istiusmodi exemplis omnes fideles fiduciam suam ædificant, intuitu omni sufficientis & efficacis misericordiæ Dei, ad ipsos redimendos ab omni culpa & pœna, ibidem.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS PRIMUS.

*Canticum excellentissimum Davidis. Iehova, non fuit altus animus meus,*
*neque elati oculi mei; ac non aggressus sum* res *magnas aut arduas supra quam conveniat mihi.*
2. *An non composui & sedavi animum meum, similis depulso à lacte apud*
*matrem suam, similis depulso à lacte apud me* fuit *animus meus.*
3. *Expectationem habeat Israel in Iehova, ex hoc tempore usque in seculum.*

## ANALYSIS.

Davidis propositum in hoc Psalmo est, excitare omnes pios ad spem suam omnem semper & constanter in Deo collocandam; & simul etiam rectum sperandi modum ipsis monstrare, v. 3.

In istum finem, suum exemplum ipsis proponit imitandum, vers. 1. & 2. Vbi 1. Spem suam declarat ab oppositæ præsumptionis negatione v. 1. Quam præsumptionem negat, negando tam dispositionem ejus internam, *animum altum*; quam signa externe adjuncta, *oculos elatos*, quam effecta illa quæ inde solent emanare, *aggressionem rerum* vires & vocationem superantium, ibid. 2. Eandem spem declarat ab adjuncta simplicitate

ſimplicitate ſubmiſſa & quieta, cujus ſtudium illuſtratur iterata ſimilitudine infantis recens ablactati, qui nihil ſibi arrogans, expectat quid mater ſit datura, & confirmatur jure jurando; v. 2. *Si non compoſui; &c.* Sic enim potius legendum, quam, *an non compoſui.*

### Documenta.

I. Qui de ſemetipſis præſumunt, in Deo non ſperant, ex v. 1.

II. Præſumunt illi de ſemetipſis, qui ita ſapiunt alta in hoc mundo, ut ſorte à Deo ipſis aſſignata non ſint contenti, ibidem. *Animus altus.*

III. Altitudo hæc animi apparere ſolet in geſtibus ambitioſorum, & præcipue in oculis eorum, ibid. *Elati oculi.*

IV. Proprium opus eſt præſumptionis arrogantis, affectare & aggredi illa quæ ſunt ſupra vires & vocationem noſtram, ibidem, *Aggreſſus res magnas.*

V. Ad ſpem in Deo, rite collocandam, requiritur ſimplicitas ac ſubmiſſio talis erga Deum, qualem infantes habent erga ſuos parentes, quando ab ipſis toti pendent, v. 2. Matth. 18. 3, 4.

VI. Perfectionem tamen hujuſmodi virtutum non præ ſe ferunt pii, ſed ſtudium ſolum & conatum ſyncerum, ibid. *Compoſui & ſedavi animum.*

VII. Hæc ſimplicitas piorum adeo incredibilis mundo videtur, ut aliquando religione juramenti debeat ipſis confirmari, ibid.

VIII. Ad hanc ſpem, tam alios provocare nos decet exemplo & experientia noſtra, quam noſmet excitare aliorum exemplo, v. 3.

IX. Studium ſpei divinæ hoc modo excitatæ, debet eſſe perpetuum, ibid.

## Psalmus Centesimus trigesimus secundus.

C*Anticum excellentiſſimum. Memor eſto, Iehova, Davidis; cum tota afflictione ejus:*

2. *Iuraſſe Iehovæ, voviſſe ampliſſimo* Deo *Iahakobi*, dicendo:

3. Diſpeream, *ſi ingrediar tentorium domus meæ, ſi conſcendam ſpondam ſtratorum meorum;*

4. *Si dem ſomnum* ſuum *oculis meis palpebris meis dormitationem:*

5. *Donec invenero locum pro Iehova, locum tabernaculorum pro ampliſſimo* Deo *Iahakobi.*

6. *Ecce audiveramus eam* fuiſſe *in Ephratæa regione, inveneramus eam in agris Iaharis:*

7. *Accedimus ad tabernacula ejus; incurvamus nos* honorem exhibentes *ante ſcabellum pedum ejus.*

8. *Surge Iehova aditurus requiem tuam; tu & arca roboris tui.*

9. *Sacerdotes tui induantur juſtitia, & quos benigne accipis cantent;*

10. *Propter Davidem ſervum tuum, ne avertas faciem uncti tui.*

11. *Iuravit Iehova Davidi veritatem, à qua non avertet ſe, dicens; de fructu ventris tui ponam in ſolio tuo.*

12. *Si obſervaverint filii tui fœdus meum & teſtimonia mea ſingula quæ*

*docebo eos, etiam filii illorum usque in sempiternum sessuri sunt in solio tuo.*
13. *Nam elegit Iehova Tzijonem, expetivit pro habitatione sua*, dicens :
14. *Hæc est requies mea usque in sempiternum ; hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram.*
15. *Viatico ejus affatim benedicam egentes ejus saturabo cibo:*
16. *Sacerdotesque ejus induam salute, & quos in ea benigne accipio omnino cantabunt* illi.
17. *Ibi efficiam ut germinet cornu Davidis*, ubi *aptavi lucernam uncto meo.*
18. *Inimicos ejus induam pudore ; super ipsum vero florebit coronamentum ejus.*

## ANALYSIS.

PSalmus iste conscriptus videtur & dictatus piis. 1. Ad dedicationem templi Salomonis : & 2. Ad religiosum ejusdem templi usum efficaciter conservandum ac promovendum. Petit igitur Psalmista, nomine populi totius. 1. Ut Deus dignaretur templum illud sua præsentia, & omnimodæ gratiæ communicatione constanter sanctificare, vers. 8. 2. Ut virtute hujus gratiæ, Ecclesiæ ministri speciali modo sanctificentur, & Ecclesia tota in vero & solido gaudio exædificetur, v. 9. 3. Ut in istos fines, regnum stabiliretur in familia Davidis, vers. 1. & 10.

Argumentum præcipuum, quo istæ petitiones nituntur, est promissio facta Davidi, de istis omnibus præstandis. Quæ promissio 1. innuitur, v. 1. & 10. *memor esto Davidis : propter Davidem.* 2. Illustratur ab ejus adjuncto antecedente, vel occasione, anxio nempe & affligente studio Davidis, in cultu & domo Dei procuranda, v. 1. in fine. Quod illustratur ab effectis suis : quorum primum fuit votum vel juramentum, quo curam domus Dei, potiorem & antiquiorem apud se futuram spopondit, quam curam domus suæ, v. 3, 4, 5.

Secundum effectum ejusdem studii fuit conatus alacer Davidis cum suis, in arca Dei transferenda ex illis locis ubi antea diversabatur, in stabilem suam sedem v. 6, & 7.

Eadem promissio, Davidi facta, distincte declaratur, v. 11. ad finem. 1. A modo ejus, quod fuerit cum juramento, veritatem immobilem indicante, v. 11. in principio. 2. A partibus ejus, quæ præcipue quinque fuerunt. 1. Continuatio regni apud posteros ejus, quæ conditione consequente illustratur, v. 11. & 12. Continuatio præsentiæ cultus solemnis in urbe Davidis, secundum electionem Dei, v. 13, & 14. 3. Largitio & benedictio omnium necessariorum ad vitam præsentem, v. 15. 4. Sanctificatio ministerii sacerdotum, & benedictio ejus ad populi gaudium, v. 16. 5. Amplificatio potentiæ & majestatis regni, v. 17. Quæ opposito hostium dedecore illustratur, v. 18.

### DOCUMENTA.

I. Summa consolationis nostræ in eo consistit, quod cum certa fiducia

ducia poſſimus expectare, Deum efficaciter memorem eſſe ſuarum erga nos promiſſionum, v. 1. *memor eſto*, & v. 10.

II. Quo majorem curam & ſolicitudinem habemus cultus & gloriæ Dei promovendæ, eo major eſt certitudo & conſolatio fiduciæ noſtræ, ibidem in fine: *cum tota afflictione ejus.*

III. Cura iſta religioſa exerit ſeſe in ſanctis propoſitis ac votis Dei cultum ac gloriam promovendi, v. 2.

IV. Propoſita ſancta ſunt illa, quæ Dei gloriam omnibus commodis noſtris anteponunt, v. 3, 4, 5.

V. Cum ſanctis propoſitis conjunguntur ſemper ſancti conatus progreſſum faciendi in Dei cultu, v. 6, 7.

VI. Omnium propoſitorum & conatuum religioſorum abundans eſt remuneratio, ſi Deus gratioſam ſuam præſentiam nobis conſtanter præſtare dignetur, v. 8.

VII. Gratioſæ Dei præſentiæ certum ſignum eſt, ſi fruamur miniſterio ad ſalutem potenti, & nos cum Eccleſia reliqua conſolationem inde percipiamus, v. 9.

VIII. Ad ſolidam conſolationem, multum juvat de ſtabilitate promiſſionum Dei meditari, v. 11.

IX. Stabilitas promiſſionum divinarum, non facit, ad ſecuritatem carnalem fovendam, ſed ad obedientiæ ſtudium excitandum, v. 12.

X. Stabilitas promiſſionum fluit ab electione Dei, v. 13.

XI. Electio Dei facit ut in certis locis vigeat cultus Dei, v. 14.

XII. Cum vigore cultus Dei conjungitur ſingularis Dei benedictio etiam in rebus externis, v. 15.

XIII. Benedictio tamen ſpiritualis præcipue ſpectari debet, verſic. 16.

XIV. Benedictio Dei, tam ſpiritualis, quam corporalis, in diſpenſationis modo ſuperat omnem expectationem humanam, verſiculo 17.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

C*Anticum excellentiſſimum Davidis.* *Ecce quam bonum & quam amœnum*
eſt *habitare fratres etiam una.*
2. Eſt *ut unguentum illud optimum ſuperfuſum capiti, deſcendens*
*ſuper barbam, barbam Aharonis; quod deſcendit uſque ad oram veſtium ejus.*
3. *Ut ros Chermonis,* ut *qui deſcendit ſuper montes Tzijonis: nam illic man-*
*dat Jehova benedictionem ſuam, vitam uſque in ſeculum*

## ANALYSIS.

CElebratur in hoc Pſalmo communio ſanctorum. Cujus occaſionem cepiſſe videtur David, à concordia populi Iſraelitici redintegrata, poſt triſtem ejus diſſipationem aliquam, ſive illa fuerit per Saulem, ſive Abſalonem facta.

1. Hæc igitur communio ſanctorum deſcribitur imprimis v. 1. in fine, per *habitationem fratrum etiam una.* Ubi 1. fons hujus communionis aperitur, quod fideles omnes ſint unius & ejuſdem patris filii, atque adeo *fratres* inter ſeſe. 2. Actus

& exercitium hujus communionis notatur in cohabitatione concordi, sub uno capite, uno Spiritu acti, eisdem legibus viventes. 3. Gradus & modus hujus conjunctionis indicatur, quod scilicet etiam atque etiam ex omni occasione sit augendus, *etiam una.* 2. Communio ista sanctorum commendatur à duobus effectis, utilitate, & jucunditate, vel commoditate & amœnitate summa, vers. 1. in principio. 3. Illustratur ista commendatio, 1. tacita quadam comparatione, quam David instituebat inter conjunctionem istam, & oppositam dissipationem, quam fuerat expertus, v. 1. in principio. *Ecce quam.* 2. Similitudine duplici, quarum prima, quæ petitur ab unguento Aharonis, singulariter spectat jucunditatem vel amœnitatem, vers. 2. altera vero, quæ petitur à rore cælesti, utilitatem & commoditatem specialiter spectat, v. 3. in principio. Quarum similitudinem redditiones conjunctim explicantur, vers. 3. in fine, sub titulo benedictiones divinæ, cujus causa est efficax Dei gratia: *mandat Iehova*; effectum, vita, & adjunctum, duratio perpetua etiam in æternum.

DOCUMENTA.

I. Communio sanctorum non tantum est credenda, sed etiam amanda, & tam verbis quam factis celebranda ac promovenda, ex versic. 1.

II. Communio ista pendet ex communi illa relatione, quam habent fideles ad Deum, & inter sese, cum mutua officiorum omnium communicatione, ibid.

III. Etiam atque etiam ex omni occasione quærendum est augmentum hujus communionis, ibidem.

IV. Amabilis est hæc communio, non tantum ut bona vel commoda, & utilis, sed etiam ut suavis, amœna, jucunda, ibid.

V. Tam bonitas quam suavitas hujus communionis nunquam magis elucet ac sentitur, quam quum post aliquam disturbationem denuo redintegratur, ibidem.

VI. Hujus communionis beneficium non tantum spectat ad illos, qui primarium locum habent inter sanctos; sed & ad infimos, imo virtus ejus aliquo modo extenditur ad omnes ipsis adjunctos, v. 2. & 3.

VII. Ex ordine tamen derivatur virtus ista cum ejus fructu, (quoad ad varias partes ejus) ab eis qui eminent inter sanctos, in illos qui inferiorem obtinent locum, ibid.

VIII. Causa hujus benedictionis est efficax gratia Dei, v. 3. in fine.

IX. Effectum ejus est vita præsens & futura, Ibid.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS QUARTUS.

*Canticum excellentissimum. Ecce benedicite Iehovæ omnes servi Iehovæ; qui perstatis in domo Iehovæ singulis noctibus;*

*2. Attollite manus vestras sancte, & benedicite Iehovæ.*

*3. Benedicet tibi Iehova è Tzijone, qui fecit cælos & terram.*

## ANALYSIS.

PSalmus iſte brevem continet ſummam eorum, quæ in ſolemni cultu Dei præcipue ſunt ſpectanda: officia ſcilicet Eccleſiæ nomine erga Deum præſtanda, & beneficia nomine Dei, Eccleſiæ ex officio precanda & impertienda. Priora illa deſignantur per modum exhortationis ad Sacerdotes ac Levitas directæ, v. 1.2. Ubi 1 Sacerdotes deſcribuntur ab adjuncto munere, quod fuit ex ſingulari vocatione inſervire Deo & cultui divino; & à muneris illius functione & executione; quæ declaratur partim à ſubjecto loco ubi debuerunt Dei cultum procurare, & partim ab adjuncto tempore, quo debuerunt in illo cultu conſtanter & alacriter perſeverare, verſic. 1. 2. Officium præcipue Deo debitum ipſis indicatur, & ſuadetur, celebratio ſcil. laudum Dei, quæ à geſtu adjuncto illuſtratur, v. 2. Cujus officii cum munere ſacerdotali connexio declaratur nota illa diligentis attentionis, *ecce*, v. 1. in principio.

Beneficiorum divinorum erga Eccleſiam ſolemnis precatio jucunde memoratur v. 3. ubi 1. petitur ac promittitur *benedictio*, i. e. affluentia omnium beneficiorum. 2. Illuſtratur hæc benedictio, à ſuis cauſis ſpeciali ſcil. & gratioſa præſentia; & omni-ſufficientia Dei. Sive hæc una exhortatione continuata fuerint, ſive per dialogum prima pars tribuenda ſit Eccleſiæ, & ſecunda Levitis, parum inter eſt.

### DOCUMENTA.

I. Publicus Dei cultus eſt magni faciendus, & diligenter promovendus ex toto Pſalm.

II. Cultus Dei publicus requirit miniſtros aut præfectos à Deo inſtitutos, v. 1. *ſervi Iehovæ*.

III. Miniſtrorum eſt, conſtanter & alacriter miniſterium ſuum implere, ibid.

IV. Præcipuum eorum officium eſt, Dei laudem celebrare, v. 3.

V. Deus laudandus eſt cum affectu & ejuſdem ſignificatione congruente. Ibid.

VI. Ad hoc officium rite præſtandum, excitandi ſunt miniſtri, tam à ſeſe, quam ab aliis piis, ex v. 1. & 2.

VII. Attenta conſideratio vocationis plurimum facit ad animos eorum efficaciter excitandos, v. 1. *ecce*.

VIII. Alterum officium eſt miniſtrorum Dei, bona omnia piis precari, & ejus nomine ſpondere, v. 2.

IX. Bonorum omnium à Deo communicandorum fiducia nititur fœdere & omnipotentia Dei, verſic. 3.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS QUINTUS.

*HAlelu-Iah. Laudate nomen Iehovæ, laudate ſervi Iehovæ:*
2. *Qui ſtatis in domo Iehovæ; in atriis domus Dei noſtri.*
3. *Laudate Iah, quia bonus* eſt *Iehova, pſallite nomini ejus, quia amœnum* eſt:
4. *Quia Iahakobum ſibi elegit Iah, Iſraelem in peculium ſuum.*
5. *Nam ego novi magnum eſſe Iehovam, & Dominum noſtrum ſuperiorem omnibus diis.*

6. *Quid-*

6. *Quidquid placet sibi, Iehova facit ; in cælis ac in terra, per maria & omnes abyssos.*

7. *Faciens ut ascendant vapores ab extremitate terræ: fulgura cum pluvia facit, depromit ventum è thesauris suis.*

8. *Qui percussit primogenita Ægypti, tam hominum quam jumentorum :*

9. Quum *immisisset signa & prodigia in medium tui, Ægypte ; contra Parhonem & contra omnes servos ejus.*

10. *Qui percussit gentes amplas, & interfecit reges robustos :*

11. *Sichonem regem Emoræorum, & Hogum regem Baschanis ; omniaque regna Cenahanæorum.*

12. *Et dedit terram eorum possessionem, possessionem Israëli populo suo.*

13. *O Iehova, nomen tuum* est *in seculum, Iehova memoria tui in quamque generationem.*

14. Quod *si judicat Iehova populum suum, mox de servis suis pœnitet ipsum.*

15. *Terriculis gentium argenteis & aureis, operi manuum humanarum,*

16. *Os illis* est, *sed non loquuntur ; oculi* sunt *illis, sed non vident :*

17. *Aures* sunt *illis, sed non audiunt ; etiam nullus* est *spiritus in ore illorum.*

18. *Similes illis futuri sunt qui faciunt illa, quisquis confidit illis.*

19. *Domus Israëlis benedicite Iehovæ, domus Aharonis benedicite Jehovæ.*

20. *Domus Leviticæ* tribus *benedicite Iehovæ; timentes Iehovæ, benedicite Iehovæ,* dicendo :

21. *Benedictus* sit *Jehova è Tzijone, inhabitans Ieruschalaimis. Halelu-Jah.*

## ANALYSIS.

PSalmus iste vehementem continet exhortationem ad laudes Dei celebrandas.

1. Exhortatio ipsa proponitur, v. 1. & ult. ac præterea v. 3. 19. & 20. 2. Hæc laudatio Dei illustratur in subjectis personis quibus hoc officium incumbit. 1. A relatione quam habent ad Deum, quod sint *servi Iehovæ*, v. 1. in fine. 2. Ab actu professionis illi relationi congruentis: qui statis in domo Iehovæ, v. 2. 3. Amplificatur etiam distributione earundem personarum, eaque quadrimembri, in Israëlitas, sacerdotes, levitas, & omnes pios, v. 19, & 20. 3. Argumenta, quibus hæc exhortatio suadetur, sunt hæc in genere. 1. A causa laudationis, *bonitate*, scilicet Dei, v. 3. *Quia bonus est*. 2. Ab officii decoro & suavitate: *quia amœnum est*, ibid. 3. A speciali bonitate quam exeruit Deus erga Ecclesiam, in ejus electione, v. 4.

Hujus autem electionis beneficium illustratur a perfectione Dei eligentis, quæ testimonio certo confirmatur, v. 5. in principio, *Ego novi*.

Perfectio autem Iehovæ, 1. In genere tam absolute, quam comparative declaratur v. 5. 2. In specie; ab omnipotentia ejus cum bonitate conjuncta: quæ communiter elucet in gubernatione omnium rerum secundum suam voluntatem, v. 6, 7. Et peculiariter manifestabatur in

hoſtibus Eccleſiæ coërcendis, v. 8, 9, 10, 11. Et in Eccleſia beanda, v. 12. Quæ omnia illuſtrantur ab uſu & fructu ſpirituali, quem inde percipiunt fideles, grata ſcilicet memoria in præteritum, v. 13. & firma ſpe in futurum, verſ. 14. Perfectio hæc Dei veri illuſtratur diſſimili imperfectione, inſufficientia ac vilitate idolorum: quæ arguitur partim ex ipſorum materia, v. 15. Partim à cauſa efficiente, Ibid. Partim ex adjuncta impotentia vitales operationes exercendi, v. 16, 17. & partim à miſeria eorum à quibus coluntur, v. 18.

DOCUMENTA.

I. Tam alios, quam noſmetipſos vehementer excitare debemus ad Deum laudandum, v. 1. & 21.

II. Conſideratio relationis ſervitii illius, quam erga Deum habemus, efficaciter excitare nos debet ad officium hoc laudationis, Ibid.

III. Quo magis vel profeſſione, vel actu aliquo externo appropinquamus Deo, eo magis hoc agere debemus, v. 2.

IV. Materia, formalis ratio, & impellens cauſa laudationis hujus eſt bonitas Dei, v. 3. in principio.

V. Eodem impelli etiam nos decet, ipſius officii decore & ſuavitate, v. 3. in fine.

VI. Bonitas Dei laudanda præcipue apparet in electione manifeſtata, v. 4.

VII. Infinita Dei perfectio, infinitum facit beneficium electionis, v. 5.

VIII. Hæc Dei perfectio nobis debet eſſe explorata, ibid. *Ego novi.*

IX. Perfectio iſta Dei manifeſte elucet in omnipotente ejus omnium rerum providentia, v. 6, 7.

X. Specialiter tamen ad fidelium ædificationem declaratur, in hoſtibus Eccleſiæ coërcendis, & Eccleſia ipſa beanda, v. 8, 9. 10, 11, 12.

XI. Uſus hujus bonitatis Dei eſt, ut propterea gratos nos præſtemus de præterito, & in futurum fiduciam firmam concipiamus, v. 13, 14.

XII. Ad infinitam Dei perfectionem magis practice concipiendam, juvat idolorum omnium vanitatem bene conſiderare, v. 15, 16, 17.

XIII. Quemadmodum perfectio Dei apparet ex vanitatis idolorum comparatione, ſic felicitas cultorum Dei apparet ex comparata miſeria idololatrarum, v. 18.

XIV. Ex hujus felicitatis contemplatione, omnes ordines Eccleſiæ debent efficaciter excitari ad Deum pro ratione vocationis ſuæ omni benedictione & glorificatione proſequendum, verſic. 19, 20.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS SEXTUS.

*CElebrate Iehovam, quia bonus* eſt; *quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus.*
2. *Celebrate Deum Deorum, quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus.*
3. *Celebrate Dominum dominorum, quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus.*
4. *Eum qui facit mirabilia opera magna ſolus, quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus;*
5. *Qui fecit cælos intelligentia, quia in ſeculum* eſt *benignitas ejus:*

6. *Qui*

*6. Qui expandit terram super aquas, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*7. Qui fecit lumina magna, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*8. Solem ad dominium* obtinendum *interdiu, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*9. Lunam cum stellis ad dominia* obtinenda *noctu, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*10. Qui percussit Ægyptios in primogenitis illorum, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*11. Et eduxit Israëlem è medio illorum, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*12. Manu robusta & brachio extento, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*13. Qui secuit mare algosum in segmenta, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*14. Et transmisit Israëlem per medium illius, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*15. Excussitque Parhonem & copias illius in mare algosum, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*16. Qui duxit populum suum per desertum; quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*17. Qui percussit reges magnos, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*18. Et interfecit reges magnificos, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*19. Sichonem regem Emoræorum, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*20. Et Hogum regem Baschanis, quia in seculum* est *benignitas ejus:*
*21. Deditque terram istorum in possessionem, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*22. Possessionem Israëli servo suo, quia in seculum est benignitas ejus.*
*23. Quia in abjectione nostra recordatur nostri, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*24. Et asserit nos ab hostibus nostris, quia in seculum est benignitas ejus.*
*25. Qui dat cibum omni carni, quia in seculum* est *benignitas ejus.*
*26. Celebrate* Deum *fortem cælorum, quia in seculum* est *benignitas ejus.*

## ANALYSIS.

IN hoc Psalmo solemnis continetur celebratio nominis Dei, sub exhortationis forma, quæ in veteri Ecclesia, a tempore Davidis, quotidie videtur decantata fuisse, 2 Chron. 7, 3, 6. & 20, 21. Celebrationis formula in singulis versiculis repetitur & inculcatur, una cum præcipua ejus ratione, invicta scilicet & æterna ejus benignitate. *Celebrate Iehovam, quia in seculum est benignitas ejus.*

Argumenta, quibus exhortatio suadetur & ex quibus ipsa laudatio conflatur, sunt illa quæ spectant ad super excellentem dignitatem naturæ divinæ; in qua consideranda proponitur 1 Essentia ipsa: quod sit *Iehova*; vers. 1. 2. Bonitas aut beneficentia ejus: *Quia bonus est.* Ibid.

Ibid. 3. Summa & incomparabilis ejus majeſtas: quod ſit *Deus Deorum*, & Dominus Dominorum, v. 2, & 3. quod repetitur v. 26.

Bonitas autem & majeſtas Dei ex effectis ejus declaratur. Quæ illuſtrantur 1. A communi ipſorum affectione, quod ſint *mirabilia*, & Dei propria, v. 4. 2. A diſtributione eorum in ſuas ſpecies: quæ ſunt, 1. Creatio perfectiſſima omnium rerum, v. 5, 6, 7, 8, 9. 2. Providentia ejus, qua ſicut omnia gubernat, ſic ſpecialiter illa quæ ad Eccleſiam ſpectant, tam in judiciis exercendis adverſus hoſtes ejus, quam in Eccleſia ipſa colligenda, conſervanda, promovenda & vindicanda, v. 10. &c. ad v. 25. Ubi alma illa Dei providentia celebratur, qua non Eccleſiæ ſuæ tantum, ſed omni carni ſuppeditat omnia bona quæ habent.

### Documenta.

I. Inter omnes partes cultus divini, nihil præſtantius, quam Dei nomen rite celebrare, ex toto Pſalmo.

II. In publico & ſolemni cultu, tam alios, quam noſmetipſos ad hoc officium excitare debemus, ex verſ. 1. &c.

III. Hæc excitatio ſæpius eſt repetenda & inculcanda, ex toto Pſalm.

IV. Præcipua & efficaciſſima ratio, qua excitantur homines ad Deum laudandum, eſt bonitas & benignitas ejus, v. 1. &c.

V. Benignitatem Dei apprehendere ſemper debemus, ut invictam & æternam, Ibid.

VI. Benignitatis divinæ conſiderationi adjungenda eſt contemplatio ſupereminentis majeſtatis ipſius, v. 2, 3.

VII. Tam majeſtatis quam bonitatis Dei, inſignes notæ inſculptæ ſunt omnibus & ſingulis ejus operibus, quæ etiam ex omni occaſione agnoſci debent ac celebrari, verſ. 4, &c.

VIII. Iſtis operibus affici nos decet ad ſummam uſque admirationem Dei ſolius. Ibid. *Mirabilia ſolus.*

IX. In iiſdem operibus perfectiſſima ſapientia eluucet, verſ. 5. *Intelligentia.*

X. Perfectiones iſtæ Dei in communibus operibus creationis ac providentiæ agnoſci debent ac celebrari, v. 5. ad 10.

XI. Singulariter tamen affici nos decet magnificis illis operibus Dei, quæ verſantur in Eccleſia vindicanda, & conſervanda, v. 10. ad 25.

XII. In ſpecialis hujus providentiæ fiducia confirmare ſe poſſunt fideles, ex communi illa providentia qua Deus proſpicit omni generi animalium, v. 25.

## Psalmus Centesimus trigesimus septimus.

*AD flumina Babyloniæ ibi ſedentes etiam* atque etiam *flevimus; quum recordaremur Tzijonis:*

2. *Ad ſalices in ea ſuſpendimus citharas noſtras:*

3. *Quamvis ibidem peterent à nobis cantiones lætas qui captivos abducebant nos, & qui contumulabant nos;* dicentes, *canite nobis de canticis Tzijonis.*

4. Quo-

4. *Quomodo fuissemus cantaturi canticum Iehovæ, in solo alienigenarum?*
5. *Si obliviscar vestri, ô Ieruschalaima; obliviscatur* sui *dextera mea.*
6. *Adhæreat lingua mea palato meo, si non recorder tui: si non eveham Ieruschalaima supra caput lætitiæ meæ.*
7. *Recordare Iehova, contra Edomæos diei Ieruschalaimorum: qui dicebant, nudate, nudate, quantisper fundamentum ejus* erit *in ea.*
8. *Gens Babylonica vastanda; beatus* sit, *qui rependet tibi maleficium tuum quo affecisti nos:*
9. *Beatus qui prehendet, & dissipabit parvulos tuos* allidens *ad petram.*

## ANALYSIS.

Continet hic Psal. lamentationem populi Israëlitici, jam sub Babyloniis captivi, sicut indicatur primo versiculo, ubi indicatur 1. Subjectus locus hujus calamitatis: *Ad flumina Babyloniæ.* 2. Ejusdem calamitatis duratio usque ad fatigationem eorum continuata: *sedentes.* 3. Effectum, fletus ac luctus magni: *etiam flevimus.* Cujus effecti propria causa collocatur in recordatione bonorum præcipue publicorum, & ad Dei cultum spectantium, quibus jam carebant: *Quum recordaremur Tzijonis.*

Luctus hic illlustratur 1. Ab adjuncta omissione eorum omnium quæ ad lætitiam solemnem faciebant, v. 2. 2. Omissio hæc illustratur ab adjuncta ejus perseverantia: quæ variis modis declaratur & amplificatur. 1. Ab opposita provocatione victorum, ac dominorum suorum, v. 3. Cujus provocationis rejectio illustratur opposita repugnantia, quæ fuit inter lætitiam sacram, & præsentem populi conditionem, vers. 4. 2. Amplificatur eadem perseverantia in luctu, ab adjuncta professione firmissimi propositi sub forma jurisjurandi enunciata, v. 5. & 6. Qua piorum quisque & manui pulsanti, & linguæ cantanti, id est, sibi luctum hunc lætitia intempestiva commutanti, omnia mala imprecatur.

Hæc porro lamentatio tota illustratur adjuncta imprecatione justæ vindictæ in impios authores tam lamentabilis calamitatis: id est in Edomæos, qui consensu, approbatione, & insultatione sua calamitatem istam crudeliter & inhumaniter promovebant, v. 7. Et in Babylonios, præcipuos authores hujus calamitatis: quibus calamitatem parem denunciat, Deo & hominibus gratam, v. 8, 9.

### DOCUMENTA.

I. Ecclesia nonnunquam ad tempus subjicitur impiorum hostium potestati, ex v. 1. *Ad flumina Babyloniæ sedentes.*

II. Status hic Ecclesiæ captivæ fletum & lamentationem piis extorquet, ib. *flevimus.*

III. Præcipua causa hujus lamentationis, est violatio cultus & nominis divini, ib. *Quum recordaremur Tzijonis.*

IV. In isthoc statu rerum non decet pios solitæ lætitiæ indulgere, vers. 2.

V. Sanctam istam curam excutere nobis student impii, tam insultationibus & irrisionibus, quam blanditiis

blanditiis efficacibus, verſic. 3.

VI. Contra tentationes iſtas muniuntur pii, religioſa conſideratione officii illius, quod Deo & Eccleſiæ debitum agnoſcunt, v, 4.

VII. In hujus officii cura ut perſeveremus, firmiſſimo vinculo ſancti propoſiti, ac voti noſmetipſos ſubinde confirmare debemus, verſ. 5, 6.

VIII. In hoc propoſito, omnia tam mala, quam bona, ſunt religionis officio poſtponenda, Ibid.

IX. In omni lamentatione de Eccleſiæ calamitate, juvat, ac decet pios conſolari ſemetipſos fide ac ſpe fælicis excitus tandem à Deo præſtandi, v. 7, &c.

X. Ex hac fide ac ſpe, expectanda eſt juſta Dei vindicta in Eccleſiæ oppreſſores, ibid.

XI. Vindicta Dei non eis tantum imminet qui principales ſunt ſcelerum authores, ſed etiam iis qui aliquo modo communicant cum eorum peccatis, præſertim ſuadendo, incitando, & approbando, Ibid.

XII. Juſtam hanc Dei vindictam non tantum expectare nos decet, ſed & vovere, modo ſancto cum affectu, & ſecundum verbum Dei, hæc vota dirigantur, ibid.

## PSALMUS CENTESIMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

O*De Davidis. Celebrabo te ex toto animo meo, coram poteſtatibus pſallam tibi.*

2. *Incurvabo me* honorem exhibens *verſus templum ſanctitatis tuæ, & celebrabo nomen tuum, propter benignitatem tuam & propter fidem tuam: quia magnificas cum toto nomine tuo ſermonem tuum.*

3. *Quo die clamavi, eodem exaudiviſti me; feciſti ut efferret me animo meo robur.*

4. *Celebrabunt te, Iehova, omnes reges terræ; quum adierint ſermones oris tui:*

5. *Et canent de viis Iehovæ, magnam eſſe gloriam Iehovæ:*

6. *Quamvis elatus ſit Iehova, tamen depreſſum aſpicere; quamvis altus, è longinquo pernoſcere.*

7. *Si ambulo in media anguſtia, vivum conſervans me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam; & ſervat me dextera tua.*

8. *Iehova perficiat pro me: Jehova benignitas tua in ſeculum* eſt; *ab operibus manuum tuarum ne deſiſtas.*

## ANALYSIS.

DAVID in hoc Pſalmo profeſſionem facit ſuæ gratitudinis erga Deum. Hanc autem gratitudinem teſtatur voto confeſſionis, aut celebrationis nominis divini, tanquam effecti maxime congruentis, v. 1. *Celebrabo te.* Quod officium illuſtratur 1. Ab adjuncto modo internæ ſynceritatis & abundantiæ affectus. Ib. *Ex toto animo meo.* 2. Ab adjunctis teſtibus, tam cæleſtibus Angelis, quam principibus terræ, ibid. *Coram poteſtatibus.* 3. Ab adjuncto modo externo, tam abſoluto

soluto, in psallendo; quam relato, in observatione instituti Dei, circa locum & typum vel signum præsentiæ divinæ, v. 2. in principio. *Incurvabo me versus templum sanctitatis tuæ.* 2. Causæ impellentes, & materia hujus celebrationis indicatur, 1. In genere, *benignitas & fides Dei*, v. 2, in med. Quarum perfectionum manifestationis & gradum notat: *magnificas*; & medium: *sermonem tuum*: & adjunctas virtutes comitantes: *cum omni nomine tuo*, v. 2. in fine. 3. Causæ & materia hujus celebrationis, in specie fuerunt 1. Exauditio precum: quæ & adjuncta festinatione, & effecto roboris suppeditati illustrantur, v. 3. Quo robore quia evehebatur David ad regiam dignitatem, idcirco celebrationem ejus extendit ad omnes alios Reges, quibus innotesceret, vers. 4. Quorum celebratio declaratur tam à modo ejus externo, quod fiet *cantu*, quam à materia ejus, gloriosa scilicet gubernatione mundi, v. 5. Quæ à diversis dupliciter illustratur, v. 6. Quamvis celsissimus sit Deus, respicit tamen ad humiles. Quamvis humiles & abjecti sint quos respicere dignatur, illos tamen (quando sic ipsi videtur) evehit in dignitatem excelsam. 4. Hæc exauditio precum iterum illustratur singularibus effectis conservationis, in medio maximo periculorum; coërcitionis hostium; & liberationis, vers. 7.

Ex quibus omnibus deducitur corollarium spei certæ in futurum, quod Deus perfecturus esset bonum quod incepit; cujus causam ac rationem notat esse æternitatem & immutabilitatem benignitatis Dei, v. 8.

## Documenta.

I. Primarium officium gratitudinis Deo debitæ pro ejus erga nos beneficentia, est, confiteri ipsi benedictiones ejus, & de eisdem nomen ejus celebrare, v. 1. in principio.

II. Hoc officium præstandum est ex synceritate & abundantia cordis, ibid. in medio, *Ex toto corde*.

III. Qui syncere studet Deo glorificando, gestit hoc facere coram eis qui maximam potestatem habent Dei gloriam promovendi, ibid. *Coram potestatibus*.

IV. In hoc officio tam hilariter nos gerere decet, ut parati simus ad illa quæ confitemur cantanda, Ibid. in fine, *Psallam tibi*.

V. In hoc & omni alio affectu pio, memores esse debemus sanctorum Dei institutorum, versic. 2. in principio.

VI. Præcipuum argumentum confessionis ac celebrationis nominis divini, est benignitas & fides Dei ibid. in medio.

VII. Benignitas, fides, & cæteræ omnes perfectiones quæ pertinent ad nomen Dei, in verbi impletione singulariter manifestantur, ibid. in fine.

VIII. Benignitas & fides Dei, salutariter percipiuntur à piis in exauditione precum ipsorum secundum verbum, v. 3.

IX. Hac experientia piorum omnes omnium ordinum homines debent excitari ad Deum glorificandum, v. 4.

X. Glorificatio Dei incipit à seria & religiosa meditatione viarum ejus, v. 5.

XI. Ex viis omnibus Dei, nulla est,

eſt, quæ majorem gloriam conciliat nomini ejus, quam quod dignetur humiles & abjectos reſpicere & elevare, tam ad ſpiritualem quam ad temporalem honorem, verſic. 6.

XII. Afflictiones, quamvis graves ſint, non impediunt, ſed illuſtrant hanc viam Dei, v. 7.

XIII. Ex inchoatione hujus viæ, per fidem ac ſpem certam, apprehendunt pii ejuſdem perfectionem ſuo tempore addendam, verſ. 8.

## Psalmus Centesimus trigesimus nonus.

*Magiſtro ſymphoniæ, Davidis Pſalmus. Iehova, perveſtigas me & cognoſcis.*

2. *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum, intelligis cogitationem meam è longinquo.*

3. *Iter meum & accubitum meum circumplecteris, & omnium viarum mearum peritus es:*

4. *Quum nondum* eſt *ſermo in lingua mea; en, ô Iehova, noſti ipſum totum:*

5. *Retro & ante obſides me, & imponis mihi manum tuam.*

6. *Mirabilior* eſt *ſcientia tua quam ut fallam; edita eſt, non poſſum prævalere illi.*

7. *Quo irem à ſpiritu tuo: aut quo à facie tua fugerem?*

8. *Si ſcanderem cœlos, illic es, aut ſtratum ponerem in ſepulchro, ecce ades.*

9. *Si aſſumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris;*

10. *Etiam illuc manus tua deduceret me, & prehenderet me dextera tua:*

11. Sin *autem dicerem; utique tenebræ velut crepuſculo obvolvent me: atqui nox lux* eſt *circa me:*

12. *Ne tenebræ quidem ita obtenebrare poſſunt quin tu pervideas: ſed nox ut dies illuſtrat, perinde* ſunt *tenebræ atque ipſa lux.*

13. *Tu enim poſſides renes meos, ex* quo *obtegebas me in utero matris meæ:*

14. *Celebro te, eo quod ſuſpiciendis* operibus iſtis *in admirationem traducor:* celebro *mirabilia opera tua, quam maxime novit animus meus.*

15. *Non celata* eſt *vis mea tibi, ex quo factus ſum in abdito, artificioſe confectus,* velut *in imis partibus terræ.*

16. *Maſſam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia ſcripta* ſunt; ex quibus *diebus formabantur, quum nondum ullum ex eis* exſtaret.

17. *Quamobrem apud me, ô quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ, ô* Deus *fortis quam numeroſæ ſunt ſummæ earum!*

18. *Narrarem illas,* ſed *arena plures ſunt, invigilo ut adhuc ſim tecum.*

19. Quod *ſi interempturus es, ô Deus improbum, & viros ſanguinarios* dicendo, *recedite à me;*

20. *Qui obloquuntur tibi ſcelerate;* qui *extollunt vane inimicos tuos.*

21. *An non oſores tuos, ô Iehova odio habeo? & de inſurgentibus in te faſtidio me ipſum torqueo?*

22. *Perfecto odio odi illos? inimicorum loco sunt mihi?*

23. *Pervestiga me Deus fortis, & cognosce animum meum; proba me, & cognosce cogitationes meas.*

24. *Denique vide, an ego ingrediar via molesta tibi: & deduc me via perpetua.*

# ANALYSIS.

DAvid ab improbis hostibus graviter accusatus, & calumnii eorum tantum non oppressus, in isthoc Psalmo religiosam protestationem facit innocentiæ & synceritatis suæ. Hanc autem protestationem exponit sub forma appellationis Dei, & contestationis vel advocationis testimonii ejus, ad modum fere jurisjurandi. Petit igitur à Deo, ut velit explorator esse & testis integritatis animi ipsius, v. 23.

Causas vero hujus appellationis & contestationis Dei reddit, ex perfectionibus illis Dei, quæ declarant ipsum testem istiusmodi rerum esse idoneum, & omni exceptione majorem.

Perfectiones illæ sunt præcipue duæ: omniscientia, & omnipræsentia Dei. Omniscientia Dei 1. Generaliter indicatur vers. 1. 2. In specie illustratur, per distributionem objectorum sciendorum: quæ sunt cogitationes cordis, v. 2. Actiones vitæ, v. 3. & verba oris, v. 4. Cui distributioni immiscetur etiam altera, complectens præcipua illa, quæ in cogitationibus, actionibus, ac verbis spectantur, id est, *sedere, surgere, ire, cubare.*

Hanc insuper omniscientiam infallibilem arguit, tam ab adjuncta potentia Dei, qua omnia sibi subjicit, v. 5. quam ab impotentia hominis eandem declinandi, v. 6.

Hanc porro impossibilitatem scientiam Dei fugiendi declarat ab adjuncta omni præsentia Dei: quæ in genere asseritur v. 7. & inductione illustratur. 1. Enumeratione locorum quibus adest: cœlorum inferorum, orientis, occidentis, v. 8, 9, 10. 2. Remotione omnium impedimentorum, per synecdochen tenebrarum v. 11, 12. 3. A causa vel ratione scientiæ perfectæ, formatione scil. & gubernatione hominis, v. 13. Cujus operis excellentia prædicatur vers. 14. & illustratur tam à partibus, v. 15, 16. quam à gradu superiore omni eloquio & conceptu humano v. 17, 18. Hactenus causam contestationis explicavit David. Jam materiam aut objectum ejus declarat: immunitatem scil. suam ab illis criminibus, quæ ipsi calumniose impingebantur: quæ immunitas arguitur tam ab effecto imprecationis adversus talium criminum reos, v. 19, 20. quam à causa: abominatione scil. ac odio eorum, qui eisdem sunt dediti, v. 21, 22.

Totam denique protestationem istam concludit & obsignat pio voto, ut Deus in futurum conservaret ipsum in eadem integritate, tanquam dux & rector totius vitæ, à quo solo pendebat.

## DOCUMENTA.

I. Conscientia bona, quasi murus aheneus est adversus omnes calumnias improborum, ex toto Psalmo.

II. Conscientia illa bona est, quæ

Dei teſtimonio approbatur, ex toto Pſalmo.

III. Deus ſcientia ſua intimos receſſus cordis penetrat, & ſecundum illos teſtatur, v. 1.

IV. Hæc ſcientia Dei in perfectione ſua, extenditur ad omnia cogitata, facta, & dicta noſtra, verſ. 2, 3, 4, 5.

V. Scientia hæc Dei non poteſt falli, v. 6.

VI. Scientia hæc eſt intuitus Dei omni præſentis, v. 7, 8, 9, 10.

VII. Dei omnipræſentis omniſcientia nullis impedimentis obſcuratur, v. 11, 12.

VIII. Ex eo quod Deus nos creavit, aut formavit & ſimul gubernat, evidens eſt, eum perfecte ſcire omnia quæ ſunt in nobis, v. 13.

IX. Ex formationis noſtræ contemplatione, non ſcientiam tantum Dei agnoſcere debemus, ſed ſimul etiam excitari ad ejus perfectionem admirandam, & omni modo, celebrandam, v. 14.

X. Si formationem noſtram in ſuis partibus diſtincte conſideremus nunquam ſatisfaciemus nobiſmetipſis, in Dei ſapientia, potentia, bonitate, reverenter prædicanda, v. 15, 16, 17, 18.

XI. Coram Deo formatore & inſpectore cordium noſtrorum, ut teſtimonium habeamus conſcientiæ bonæ de peccatis, eadem debemus in odio perfecto habere, verſic. 21, 22.

XII. Odii hujus effectum eſt, contra peccata & peccatores obſtinatos precari, v. 19, 20.

XIII. Qui habet conſcientiam hunc in modum affectam, ille magis magiſque ad Dei teſtimonium confugit, & in eodem acquieſcit, v. 23.

XIV. Talis conſcientia à Deo pendet pro conſervatione & deductione in via recta, v. 24.

## Psalmus Centesimus Quadragesimus.

*Magiſtro ſymphoniæ, Pſalmus Davidis.*

2. *Libera me, Jehova, ab hominibus malis; à viris violentiſſimis cuſtodi me:*

3. *Qui cogitant mala cum animo: quotidie conveniunt ad bella:.*

4. *Exacuunt linguam ſuam ſimilem ſerpentis, venenum ptyados ſubeſt labiis eorum maxime.*

5. *Serva me Iehova à manibus improborum, à viris violentiſſimis cuſtodi me, qui cogitant impellere pedes meos.*

6, *Abſcondentibus ſuperbis laqueum mihi, funeſque; pandentibus rete ad orbitam, tendiculas ponentibus mihi maxime;*

7. *Dixi Iehovæ,* Deus *fortis meus es, auribus percipe Iehova vocem deprecationum mearum.*

8. *Iehova, Domine, robur ſalutis meæ, obtexiſti caput meum tempore pugnæ.*

9. *Ne concedas, Iehova, quæ concupit improbus ſceleratam cogitationem ejus ne provehas, efferrent ſe maxime.*

10. *Venenum circumdantium me, moleſtia labiorum ipſorum obtegat eos.*

11. *Demittantur ſuper eos prunæ: in ignem deficiat eos, in ſcrobes* unde *non ſurgent.*

12. *Vir maledicus ne stabiliatur in terra; viri* dediti *violentiæ malum venando impellat ipsum* variis *impulsionibus.*

13. *Novi acturum esse Iehovam causam afflicti, jus egentium.*

14. *Utique justi celebrabunt nomen tuum; considebunt recti in conspectu tuo.*

# ANALYSIS

CAlumniis impiorum, in maxima pericula inductus David, in hoc Psalmo Dei opem implorat. Congruenter igitur occasioni, & proposito, 1. Petit liberationem ab illis periculis, quæ videbat sibi ab illis imminere, ad vers. 10. 2. Justam Dei vindictam petit adversus illos impios periculorum istorum authores, v. 10, 11. Quæ utraque petitio illustratur ab adjuncta spe ac certa persuasione eventus optati consecuturi, v. 12, 13, 14.

1. Liberationis petitionem proponit v. 2, 5, 9. & confirmat à descriptione impiorum, qui ipsi pericula ista creabant. Quæ descriptio continet 1. Eorum adjuncta, *malitiam, violentiam, superbiam,* & *sceleratam improbitatem*, v. 2, 6, 9. 2. Eorum effecta talibus qualitatibus congruentia: *cogitata & consilia* malitiosa & violenta, v. 3. *Verba* malitiosa & venenata, v. 4. 3. Eorum facta vel conatus malitiosos ac violentos, in omni genere insidiarum ipsi struendo, v. 5. in fine & 6. Quibus conatibus impiorum (illustrationis causa) opponit suos conatus adversus qui in piis precibus præcipue consistebant: quas exponit v. 7, 8, 9. Ubi præcipua argumenta harum precum notantur petita à Dei gloria, quæ in constanti protectione ipsius manifestaretur, & in ejus desertione, per insultationem impiorum vehementer læderetur. 2. Vindicta, quam impiis istis hostibus imprecatur David, declaratur. 1. A justitia vel jure talionis, v. 10. 2. A severitate ejus, v. 11. 3. Optati eventus spes certa declaratur 1. Quoad coërcitionem impiorum, v. 12. 2. Quoad liberationem piorum, v. 13. Quæ illustratur ab effectis: gratitudine scilicet & confirmata fiducia piorum, v. 14.

## DOCUMENTA.

I. Sanctissimi viri sæpe calumniis improbis in gravia pericula inducuntur, ex toto Psalmo.

II. Hujusmodi calumniæ proveniunt ab hominibus malis & violentis, v. 2.

III. Mali & violenti homines sunt, qui in cogitatis & consiliis suis tendunt in malum, v. 3.

IV. Ex malitia & violentia interna procedunt verba malitiosa & venenata v. 4.

V. Perficitur tamen peccatum in improbis conatibus, præsertim adversus bonos, v. 6.

VI. Conatus improbi qualecunque habent initium, ex superbia improborum exequutioni mandantur, ibid. *Superbis.*

VII. Adversus omnes conatus improborum pii muniunt sese precibus v. 2, 5, 7.

VIII. Precum istarum fundamentum collocari debet in Deo ipso, v. 7, 8, 9.

IX. In Deo, gratiæ & justitiæ gloria præcipuum sunt fundamentum

tum precum nostrarum, ibidem.

X. In istis precibus ultionem divinam vovere licet impiis desperatis, v. 10, 11.

XI. Ultio Dei adversus impios ex lege talionis sæpe procedit, Ibid.

XII. In istiusmodi precibus fiducia & spes piorum erigitur & confirmatur, v. 12, 13.

XIII. Spes piorum tendit ad gratam celebrationem nominis divini, v. 14.

XIV. Cum grata celebratione nominis divini, conjungitur beata fruitio præsentiæ divinæ, ibid.

## Psalmus Centesimus quadragesimus primus.

*Psalmus Davidis. O Iehova inclamo te, festina ad me; auribus percipe vocem meam, quum invoco te.*

2. *Statuatur oratio mea,* ut *suffitus coram te; elatio manuum mearum,* ut *munus vespertinum.*

3. *Compone Iehova, observa os meum ; custodiens* moderare *quicquid efferunt labia mea.*

4. *Ne sinas inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum strenuis operam dantibus iniquitati : etiam ne inescer rebus amœnis eorum.*

5. *Retundat me justus, benignitas* erit; *& corripiat me, unguentum* erit *præstantissimum; ne irritum faciat à capite meo : quo amplius* fecerit, *eo* amplius *oratio mea* erit *in malis eorum.*

6. *At dimovent se per latera petrarum judices istorum, quamvis intelligant sermones meos amœnos esse:*

7. *Quasi dissecaret quis & diffinderet in terra ; disperguntur ossa nostra,* trudenda *in os sepulcri.*

8. *Quum ad te Iehovi Domine,* respiciant *oculi mei, ad te recipiam me, ne nudes animam meam.*

9. *Serva me à laqueo* quem *tetenderunt mihi, & tendiculis eorum qui operam dant iniquitati.*

10. *Cadant in retia jacula* quisque *sua improbi, una ego dum transiturus sum.*

## ANALYSIS.

Persecutionibus hostium David in graves angustias & pericula deductus in hoc Psal. auxilium Dei, prout occasio postulabat, implorat. Primo igitur profitetur curam & studium suum quo religioso huic officio constanter incumbebat, vers. 1. *Inclamo te, invoco te.* 2. Petit in genere exauditionem, ib. *auribus percipe vocem meam.* Quam exauditionem illustrat ab adjuncto tempore festinæ manifestationis ejus, ibid. *Festina ad me.* Et simul etiam typica similitudine suffitus ac muneris vespertini, v. 2. 3. Primam partem suæ petitionis exponit, ut Deus hoc tempore singulariter gubernaret linguam ipsius, ne peccaret

caret in verbis, v. 3. 4. Secundam subjungit petitionem, ut Deus gubernaret etiam cogitationes, affectus & conatus ejus, ne ulla tentatione eo vel alliciatur, vel impellatur, ut improbos homines in sua improbitate imitaretur, v. 4. Quia vero improborum hujusmodi consiliorum reus agebatur ab hostibus suis, idcirco inserit hic occupationem illius objectionis, refutando judicium ac testimonium hostium, ab ipsorum adjunctis qualitatibus judicio adversis, odio scil. & crudelitate pertinaci, quam ex malitia & contra conscientiam exercebant in ipsum, v. 6, 7. Hanc autem reprobationem judicii iniqui synceram declarat ex illa dispositione opposita, qua paratus fuit admittere judicium justum & æquum, v. 5. Ubi dispositionem illam illustrat ab adjunctis affectibus desiderii, ac delectationis, nec non ab effecto, mutuo scil. officio ex simili occasione præstando. 5. Petitioni directionis addit etiam petitionem protectionis, v. 8. in fine, & 9. Quam illustrat adjuncta petitione coercitionis & confusionis hostium, v. 10. Hæc porro omnia suadentur à fiducia Davidis in Deo collocata, tanquam causa ministrante, v. 8.

DOCUMENTA.

I. Pii quando ab hominibus vexantur, precibus fervidis confugiunt ad Deum, ex v. 1.

II. In precibus, non tantum petitiones sunt proponendæ, sed & earum exauditio petenda, ibid.

III. Exauditio precum non tantum certa, sed & celeris peti sæpe potest, quamvis limitatio temporis non sit à nobis Deo præscribenda, ibid.

IV. Consolatio piorum ex eo pendet si preces ipsorum sint Deo gratæ & acceptæ, v. 2.

V. In illis precibus, quas concipimus ex occasione injuriarum, quibus homines nos vexant, petenda est à Deo imprimis directio, & tum etiam protectio v. 3. &c.

VI. Directionem divinam specialiter petere nos decet, tam quoad verba, quam quoad cogitata & facta, nostra, v. 3, 4.

VII. Istiusmodi preces eo magis sunt intendendæ, quo majores objiciuntur nobis tentationes, vers. 4. in fine.

VIII. Syncerum desiderium directionem divinam sequendi, facit, ut pii justas & æquas increpationes non solum patienter ferant, sed etiam grato animo acceptent, v. 5.

IX. Cum ista synceritate non pugnat, si improborum calumniis malitiosis cum detestatione nos opponamus, v. 6, 7.

X. Adversus hæc, & omnia alia mala, unicum munimentum animarum piarum est, fiducia ac spes constanter in Deo collocata, v. 8.

XI. Cum certa fiducia expectare possunt pii, tam ut ipsi à Deo protegantur, quam ut persecutores eorum à Deo coërceantur, v. 9, 10.

PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

*ODe didascalica Davidis: quum esset in spelunca, oratio.*
2. *Voce mea ad Iehovam clamo: voce mea apud Iehovam deprecor.*
3. *Effundo coram eo meditationem meam, angustiam meam coram eo indico.*

4. *Quum obrueret ſe in me ſpiritus meus, toties tu agnoviſti ſemitam meam: quum quocunque itinere pergerem, abderent laqueum mihi.*

5. *Intuere* ad *dexteram & reſpice* ad ſiniſtram: *ut non* eſt *mihi qui recognoſcat* me: *periit effugium à me, non eſt qui curat vitam meam.*

6. *Clamo ad te Iehova, dicens, tu es receptus meus, portio mea in terra viventium.*

7. *Attende ad clamorem meum, nam attenuatus ſum valde: eripe me à perſequentibus me, quia fortiores ſunt me.*

8. *Educ è clauſtro vitam meam ad celebrandum nomen tuum, me cingent juſti, quum beneficium contuleris in me.*

## ANALYSIS.

PSalmi hujus tam occaſio, quam genus & etiam finis in titulo notatur, v. 1. Occaſio fuit circumcluſio Davidis *in ſpelunca*, ubi latitabat, & periculum maximum, cui ibidem expoſitus fuit. Genus eſt precativa oratio.

Finis eſt ad omnes pios *erudiendos*, quid facere debeant ex ſimili occaſione.

1. Precationis autem actum deſcribit ab adjunctis comitantibus, vehementia ac inſtantia, v. 2. & etiam libertate quaſi familiari, v. 3. & etiam à cauſis, inſufficientia nempe conſilii humani ad difficultates iſtas ſuperandas; & efficaci ſufficientia Dei fide apprehenſa, v. 4. Illa autem inſufficientia conſilii humani declaratur per ſuam cauſam, mediorum omnium extremum defectum, v. 5. 2. Orationem ipſam recitat, v. 6, 7, 8. In qua 1. fiduciam illam, quam habuit in Deo, profitetur, excitat, & exercet, v. 6. 2. Petit protectionem, ac liberationem tam generaliter, quam ſpecialiter, v. 7, 8. Quam petitionem ſuadet 1. Ab adjuncta neceſſitate extrema, propter ipſius impotentiam, & hoſtium potentiam ſummam, v. 7. 2. A fine & effecto vel fructu exauditionis, vel præſtitæ liberationis, glorificatione ſcilicet nominis divini, non ſolum à Davide, ſed & ab aliis piis profectura, v. 8.

### DOCUMENTA.

I. In omni loco, ex omni occaſione, ſolatium ſuum quærunt pii precando, v. 1.

II. Eo magis efficaces ſunt preces noſtræ, quo majore cum fervore & libertate effunditur anima coram Deo, v. 2, 3.

III. Fervor iſte precum excitatur piis, in difficultatibus humanitus inextricabilibus, v. 4. in principio, & v. 5.

IV. Præcipue tamen emanant preces tales ex fide ſpecialis providentiæ divinæ, v. 4. in fine.

V. Primarium caput precum piorum eſt, fidem ac fiduciam in Deo collocatam excitare, exercere, & confirmare, v. 6.

VI. Fiducia confirmata ſuperat omnes difficultates, ac tentationes, quæ vel à nobis, vel ab aliis oriri poſſint, verſ. 7, 8. & v. 8. in principio.

VII. Quando Deus exaudit preces ſuorum eoſque liberat à malis,

malis, eo nomine glorificandus est, non tantum à liberatis, sed & ab aliis quibus hoc innotescit, v. 8.

## Psalmus Centesimus quadragesimus tertius.

*Psalmus Davidis. O Iehova, audi orationem meam, aures adhibe ad deprecationes meas; pro fide tua exaudi me, pro justitia tua.*

2. *At ne congrediaris judicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens.*

3. *Persequitur enim inimicus animam meam: atterit* dejiciens *in terram catervam meam: facit ut resideam in tenebricosis* locis, sumus *quasi mortui olim:*

4. *Adeo ut obruat se in me spiritus meus; in medio mei desolatus videatur sibi animus meus.*

5. *Recordans dierum priscorum, meditans totum opus tuum; factum manuum tuarum recolens.*

6. *Pando manus meas ad te; anima mea, ut terra fessa,* sitiente *tui maxime;*

7. Dicens: *Festina, exaudi me Iehova, consumitur spiritus meus; ne abscondas faciem tuam à me, nam consimilis fio descendentibus in sepulcrum.*

8. *Fac ut audiam mane benignitatem tuam, quia in te fiduciam habeo: notam fac viam qua ambulaturus sum, quia ad te attollo animum meum.*

9. *Eripe me ab inimicis meis, Iehova: apud te tectum contineo* illum.

10. *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es: tuo spiritu bono deduc me per terram planam.*

11. *Propter nomen tuum, Iehova, vivum conserva me: propter justitiam tuam educ ex angustia animam meam.*

12. *Et propter benignitatem tuam exscinde inimicos, perdens omnes affligentes animam meam, quia ego* sum *servus tuus.*

## ANALYSIS.

David in hoc Psalmo Dei opem implorat, ex eadem aut plane simili occasione cum illa, cujus mentio est facta in Psalmo proxime antecedenti, *quum esset in spelunca*, vel in maximo periculo, ne ab hostibus prorsus opprimeretur.

1. Petitionem autem suam generaliter proponit vers. 1. & exauditionis ejus, speique suæ de illa propriam causam efficientem declarat esse fidelitatem promissionum, & justam naturam ac administrationum Dei, ibid. Quam causam illustrat renunciatione oppositæ fiduciæ suorum meritorum, & oppositæ administrationis Dei, secundum rigorem judicialem, v. 2. in principio. Cujus renunciationis ac deprecationis rationem reddit, ab imparitate non tantum suæ, sed & omnium mortalium justitiæ, si ad justitiam

juſtitiam Dei judicialem rigide exigeretur, ibidem in fine. 2. Neceſſitatem hujus petitionis & exauditionis declarat ab adjuncto ſuo ſtatu, vel gravitate periculi in quo verſabatur, v 3. Cujus effectum indicat fuiſſe conturbationem animi ſui, tantum non deſperantis, verſic. 4. Quam animi perturbationem illuſtrat oppoſitis conatibus, quibus eidem reliſtebat, meditatione antegreſſæ bonitatis ac providentiæ Dei, v. 5. & inde fluente invocatione fervida ac fiduciali, verſ. 6. 3. Ex iſtis quaſi concludens, ingeminat ſuam petitionem exauditionis, cum additamento adjunctæ celeritatis aut *feſtinationis*, v. 7. & 8. in principio, & explicationis petitionis in ſpecie, pro directione, v. 8. in fine, & 10. pro liberatione, v. 9. & 11. & pro hoſtium perditione, v. 12. Quæ petitiones urgentur à gratia fœderis tanquam cauſa efficiente principali, verſ. 10. in medio, verſ. 12. in principio, à gloria nominis divini, tanquam cauſa finali, & effecto, v. 11. in principio, & à fideli ſtudio Davidis erga Deum, tanquam cauſa ſubſerviente vel adminiſtrante, verſ. 12. in fine.

DOCUMENTA.

I. In anguſtiis noſtris non tantum Dei opem petitionibus implorare debemus, ſed etiam inſtanter petere, ut illæ petitiones exaudiantur, ex verſiculo 1. in principio.

II. Tam petitionum noſtrarum, quam fiduciæ ac ſpei de earum exauditione, fundamentum primarium collocare debemus in gratiæ & divinæ fidei perfectione, ibid. in fine.

III. Ut rite adhæreamus gratiæ ac fidei, requiritur, ut judicium illud Dei, quod noſtra peccata merentur, cum humili confeſſione & tremore deprecemur, v. 2.

IV. Ad pium hoc ſtudium ut magis excitentur fideles, graviſſimis aliquando periculis & preſſuris exponuntur, v. 3.

V. In gravioribus periculis & anguſtiis fideles nonnunquam ita perturbantur, ut fere ad deſperationem adigantur, v. 4.

VI. Tentationibus iſtis reſiſtunt fideles meditatione & precibus, v. 5. &c.

VII. Meditatio bonitatis Dei antegreſſæ confirmare nos debet in præſens & futurum, v. 5.

VIII. Ex hujuſmodi meditationibus piis fluunt preces fervidæ, & fiducia plenæ, v. 6.

XI. Hujuſmodi preces feſtinam exauditionem expectare poſſunt, & ſolent impetrare, verſ. 7. & 8. in princ.

X. Nihil prius aut magis petendum à Deo, quam ut dirigat nos in via recta, v. 8, & 10.

XI. Quos ita dirigit Deus, eos etiam liberat à malo pernicioſo, v. 9, & 11.

XII. Cum liberatione piorum conjungitur ſæpe perditio hoſtium improborum, v. 12.

XIII. In horum & omnium aliorum bonorum ſpe tanto magis confirmantur pii, quo magis reſpiciunt & nituntur gratia fœderis, intendunt Dei gloriam, & ſtudent conſcientiam bonam retinere, v. 10. in medio, v. 11. in principio, & v. 12. in fine.

PSAL.

## Psalmus Centesimus Quadragesimus Quartus.

ODe *Davidis. Benedictus* sit *Iehova rupes mea ; qui docet manus meas prælium, digitos meos bellum :*

2. *Benignitas mea & propugnaculum meum, editus locus meus & liberator meus,* assistens *mihi; scutum meum, ad quem me recipio, qui substernit populum meum mihi.*

3. *Jehova, quid* est *homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus ?*

4. *Homo vanitati similis* est ; *dies ejus* sunt *ut umbra prætereuntis.*

5. *Iehova, inclina cælos tuos & descende: tange istos montes, & fument;*

6. *Immitte fulgur, & disperge eos; emitte sagittas tuas, & funde eos:*

7. *Extende manum tuam ex alto: libera me & eripe me ex aquis multis, è manu alienigenarum.*

8. *Quorum os loquitur vanum, & quorum dextera* est *dextera falsitatis.*

9. *Deus, canticum novum canam tibi; nablio, dechachordo psallam tibi;*

10. *Danti salutem regibus; liberanti Davidem servum suum à gladio malefico.*

11. *Libera me & eripe me à manu alienigenarum; quorum os loquitur vanum, & quorum dextera* est *dextera falsitatis :*

12. *Ut filii nostri tanquam plantæ bene educatæ in tenera ætate sua; filiaque nostræ sicut antarii lapides excisi,* sint *structura templi :*

13. *Promtuaria nostra plena proferant juge alimentum : pecudes nostræ millenis pariat myriadibus auctæ* sint *in chortibus nostris,*

14. *Bovesque nostri præpingues : nulla irruptio, nullaque eruptio; denique nulla* sit *querela in plateis nostris.*

15. *Beatus ille populus cui ita* est ; *beatus* ergo *populus, cujus Jehova* est *Deus.*

## ANALYSIS.

SCopus Davidis jam Regis, & victoris, sed nec dum integri, ac perfecti, est in hoc Psalmo solemnem professionem facere omnimodæ suæ dependentiæ à Deo, tam quoad præterita, quam quoad futura. Quoad præterita, hoc facit in versibus primis quatuor, sub forma gratiarum actionis; & quoad futura sub forma petitionis, in reliquo Psalmo.

1. Primo igitur summas gratias Deo agit de illo successu, & victoria, quam ipsi concesserat : ubi prædicat Dei potentiam, & benignitatem erga se manifestatam, tanquam causas hujus successus principales, v. 1. in medio, & v. 2. in principio. Quæ illustrantur 1. Effecto suo singulari, formationis scilicet Davidis ad militiam, qua hostes sibi subegit, v. 1. & 2. in fine.

2. Variis

2. Variis ſimilitudinibus rupis, propugnaculi, arcis, & ſcuti liberantis, verſ. 1. & 2. 3. Ab impari & ad admirationem uſque diverſa conditione ſua, aut etiam cujuſvis mortalium ad talem Dei benignitatem accerſendam, verſ. 3. Cujus imparitatis diſſentaneæ ratio redditur à vanitate conditionis humanæ, quæ ſimilitudine declaratur, verſiculo 4. 2. Petit à Deo continuationem & promotionem ejuſdem ſucceſſus, v. 7. in principio. Quam petitionem 1. illuſtrat à divino & extraordinario modo agendi, quo poteſt; & aliquando ſolet pro ſuis uti, verſ. 5, 6. 2. Eandem petitionem ſuadet, partim ex adjuncta conditione vel periculi gravitate; & partim ex eventu. Periculi gravitas indicatur duplex: quarum una oriebatur ex hoſtium potentia cum impetu conjuncta, quam ſignificat ſimilitudine aquarum multarum, aut torrentis irrumpentis, verſ. 7. Altera ex eorundem perfidia, verſ. 8. & 11. Eventus eſt duplex: 1. condigna celebratio nominis divini, v. 9, 10. 2. Proſperitas populi Iſraelis; quæ diſtributionem, vel inductionem partium illuſtratur; bonam ſcilicet valetudinem, atque vigorem pulchrum, verſic. 12. copiam frugum, verſ. 13. numeroſam pecudum fœtificationem, cum læta accretione, verſ. 1, 13, & 14. & publicam pacem, vel immunitatem à à malis belli, verſ. 14. in fine. Cujus proſperitatis illuſtratio ſubjungitur, tam à relatione, quam habet ad populum, quem reddit aliquo modo beatum; quam ab illa, quam habet ad Deum, gratiam ſuam vere beatificantem per iſta ſigna declarantem, verſiculo 15.

## Documenta.

I. De omni ſucceſſu bono, Dei nomen eſt benedicendum, v. 1. in principio.

II. Deo cum benedictione tribuendum eſt, non tantum quod conatus noſtri bene ſuccedant, ſed etiam quod bene conemur, etiam in rebus civilibus & humanis, ibid. in fine.

III. Tam in conatu, quam in ſucceſſu bono, agnoſcenda, & prædicanda eſt benignitas & efficax potentia Dei, v. 2.

IV. Nunquam condigne agnoſcitur Dei erga nos benignitas, niſi indignitate & vanitate noſtra bene expenſa, v. 3.

V. Vanitas noſtra manifeſto elucet in vitæ noſtræ fragilitate, verſ. 4.

VI. Indignitas & vanitas noſtra non debet retardare, ſed potius acuere fiduciam, & petitionem auxilii divini, v. 5.

VII. Auxilium Dei non eſt includendum humanis mediis aut modis, ſed ſupra ſpem ſperandum, verſ. 5, 6.

VIII. Tale auxilium eſt neceſſarium piis adverſus violentiam ac perfidiam impiorum hoſtium, v. 7. 8, 11.

IX. De hoc auxilio præſtito, laudandum eſt Dei nomen, cum omni alacritate, v. 9.

X. Illi ad quos peculiari modo extenditur hoc auxilium, ſpeciali etiam modo eo nomine debent nomen Dei celebrare, v. 10.

XI. Publica prosperitas Ecclesiæ ac Reip. pluris æstimanda est, & magis à Deo quærenda, quam privata, v. 12, 13, 14.

XII. In prosperitate externa, partem aut gustum quendam felicitatis percipiunt sæpe fideles: sed solida beatitudo consistit in unione & communione illa, quam habent cum Deo, v. 15.

## PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

*Laudatio Davidis. Exaltabo te Deus mi; Rex; benedicam nomini tuo in seculum & sempiternum:*

2. *Quotidie benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum & sempiternum:*

3. *Magnum esse Iehovam & laudandum valde, imo magnitudini ejus non esse pervestigationem.*

4. *Generatio generationi laudibus commendet opera tua, prout hæc indicant omnimodam potentiam tuam.*

5. *Et decorem gloriamque majestatis tuæ, & res mirabiles tuas eloquuturus sum.*

6. *Et robur mirabilium tuorum operum prædicent; prout singula magna gesta tua enarraturus sum.*

7. *Memoriam amplæ bonitatis tuæ eructent, & justitiam tuam cantent.*

8. *Gratiosum & misericordem Iehovam esse, longanimem & magnum benignitate.*

9. *Bonum esse Iehovam omnibus; & misericordiam ejus in omnibus operibus ejus.*

10. *Celebrent te Iehova omnia opera tua, & quos benignitate prosequeris benedicant tibi.*

11. *Gloriam regni tui prædicent, & potentiam tuam eloquantur;*

12. *Ut notas faciant filiis hominum potentias ejus, & gloriam decoremque regni ejus.*

13. *Regnum tuum, regnum est omnium seculorum; & dominium tuum in unamquamque generationem.*

14. *Sustentat Iehova omnes cadentes, & erigit omnes incurvatos.*

15. *Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam suam tempore suo:*

16. *Aperis manum tuam, & saturas quicquid vivit ex beneplacito.*

17. *Justus Iehova in omnibus viis suis est, & benignus in omnibus operibus suis.*

18. *Propinquus est Iehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide.*

19. *Placitum timentium se efficit, & vociferationem eorum audiens salutem dat eis.*

20. *Servat Iehova omnes amantes ipſum, omnes vero improbos perdit.*
21. *Laudationem Iehovæ eloquatur os meum: & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus, in ſeculum & ſempiternum.*

## ANALYSIS.

PSalmus iſte Davidis totus conſtat ex laudatione Dei. Quæ laudatio deſcribitur primo, ab ejus objecto formali, quod fuit confœderatio Dei, & congruens adminiſtratio regiæ poteſtatis, verſic. 1. *Deus mi Rex.* 2. Ab actibus tali objecto congruentibus, tanquam partibus laudationis: exaltatione, & benedictione, ibid. 3. Ab adjuncta conſtantia & aſſiduitate eorundem actuum, v. 1. & 2.

Deinde prior actus exaltationis primo in loco exercetur, in exaltatione Dei, quoad admirabilem ejus magnitudinem vel excellentiam, verſ. 3. Quæ illuſtratur teſtimonio ſucceſſivo omnium ætatum, & experientiæ operum ejus magnificorum, v. 4. Quorum effectum eſt laudatio, cum ab aliis profectura, tum ſingulariter à Davide, v. 5, 6.

Poſtea ſecundus actus benedictionis exercetur in agnitione & prædicatione bonitatis, juſtitiæ, longanimitatis, benignitatis, gratiæ, & miſericordiæ Dei, v. 7, 8, 9.

Ambo denique actus iſti ſimul conjunguntur: ſed cum diſtributione quadam à cauſis; quia omnia opera Dei celebrant, vel exaltant ſuo modo ejus magnitudinem: ſed ſancti tantum benedicunt ipſi, verſ. 10. Cujus diſtributionis pars prior illuſtratur, tam à gloria, regno, potentia, & æternitate Dei; quæ in omnibus ejus operibus elucent, v. 11, 12, 13. quam ab efficaci ejus providentia, in ſuſtentatione periturorum, verſ. 14. & in nutritione omnium viventium, v. 15, 16. Ex quibus concluditur ſumma perfectio & bonitas Dei, v. 17.

Secunda pars diſtributionis, quæ pertinet ab benedictionem Dei à ſanctis exhibendam, illuſtratur, v. 18, 19, 20. Tum à deſcriptione eorum, quod Deum invocent, ſyncere timeant, ament; tum etiam a ſingulari illa gratia, quæ materiam ipſis præbet ſingularis benedictionis; quod ipſorum ſpecialem curam habeat, eorumque preces benigne & efficaciter exaudiat, eoſque ſervans, hoſtes eorum perdat, v. 18, 19, 20. Ex quibus omnibus concluditur laudatio illa Dei, quæ ſcopus fuit totius Pſalm. v. 21.

### DOCUMENTA.

I. Ad efficacem Dei laudationem requiritur, ut apprehendamus eum tanquam Deum & Regem noſtrum v. 1.

II. Laudandus eſt Deus, tam exaltatione perfectionum ejus, quam benedictione congruente benedictionibus ejus, ibid.

III. Laudatio hæc indeſinenter debet continuari, & quotidie renovari, ibid. & verſ. 2.

IV. Admiratio incomprehenſibilis

bilis majestatis & gloriæ Dei, est exaltatio nominis ejus, v. 3.

V. Hæc exaltatio Dei successive continuari debet ab una generatione ad aliam, sicut opera Dei successive invitant, v. 4.

VI. Quamvis id agere debeamus ut alii quam plurimi Deum exaltent, quicquid tamen ab aliis fit, nostris partibus nunquam deesse debemus, v. 5, 6.

VII. Benedicendus est Deus, cum omni affectuum abundantia, & alacritate, v. 7. *eructent, cantent.*

VIII. Amplitudo bonitatis, justitiæ, gratiæ, misericordiæ, longanimitatis, benignitatis & bonitatis Dei, amplissimam & copiosissimam materiam suppeditat benedictionis, v. 7, 8. 9.

IX. Quamvis celebrationis materia sit in omnibus operibus Dei; hæc tamen benedictio est proprius actus piorum, versic. 10.

X. Celebrationis materia est gloria, regnum, potentia, & æternitas Dei, v. 11, 12, 13.

XI. Perfectiones istæ divinæ, manifeste elucent in efficaci illa providentia, qua sustentat miseros, & alimentum suppeditat omni viventi, v. 14, 15, 16, 17.

XII. Singularis benedictionis materia est in illis, quæ Deus præstat piis, v. 18, 19, 20.

XIII. Pii sunt illi, qui Deum syncere invocant, timent, & amant, Ibid.

XIV. Talium specialem curam habet Deus, eorum preces benigne & efficaciter exaudiens, & hostes eorum perdens, Ibid.

XV. Istiusmodi considerationibus tam semetipsos, quam alios provocare student pii ad Dei nomen magis magisque laudandum.

## Psalmus Centesimus quadragesimus sextus.

*Halelu-Jah. Lauda anima mea Iehovam.*
*2. Laudabo Iehovam in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu futurus sum.*
3. *Ne fiduciam habitote in ingenuis: in* ullo *filio hominum penes quem nulla* est *salus.*
4. *Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam: die eodem pereunt cogitationes ejus.*
5. *Beatus, cui auxilio* est Deus *fortis Iahakobi, cujus expectatio* est *in Iehova Deo suo:*
6. *Qui facit cælos & terram, mare & quicquid* est *in eis; qui servat fidem in seculum:*
7. *Qui exercet judicium erga oppressos: dat cibum famelicis, Iehova solvit vinctos:*
8. *Jehova aperit oculos cæcorum, Iehova erigit incurvatos, Jehova amat justos:*
9. *Jehova servat peregrinos, pupillum & viduam statuminat; viam vero improborum subvertit.*

10. *Regna-*

10. *Regnabit Jehova in ſeculum: Deus tuus, ô Tzijon, in unamquamque generationem, Halelu-Jah.*

## ANALYSIS.

SCopus Davidis in hoc Pſalmo eſt, ſemetipſum & alios ad Deum laudandum excitare, verſ. 1. Quod officium 1. deſcribitur à proprio ejus principio, ad quod hortatio dirigitur, *anima*, v. 1. & ab ejuſdem diſpoſitione requiſita, propoſito ſcilicet firmo, *laudabo*, nec non ab adjuncto durationis: *in vita mea, quamdiu futurus ſum*, v. 2.

Quia vero fundamentum hujus laudis eſt fiducia in Deo collocata, cujus fructus eſt auxilium omni laude celebrandum; idcirco illa hortatio ad Deum laudandum illuſtratur dehortatione ab oppoſita fiducia & laudatione hominum, etiam Principium, qui videntur maxime potentes & magnifici, verſ. 3. Cujus dehortationes ratio petitur ab adjuncta impotentia ipſorum ad ſalutem ſpetatam præſtandam, ibid. in fine. Quæ impotentia probatur à fragilitate vitæ, atque adeo conſiliorum ipſorum, verſ. 4. cujus eventus eſt miſeria eorum, qui fiduciam habent in illis, quia ſpe ſua fruſtrantur. Ex adverſo autem laudat ac beatos prædicat illos, qui fiduciam habent in Deo, ut Deo ſuo, qui a ſpe ſua non fruſtrabuntur, verſ. 5. Quod confirmatur 1. ab omnipotentia Dei, quæ in creatione mundi eſt manifeſtata, v. 6. 2. A fide ſeu veracitate promiſſionum ejus, ibid. in fine. 3. Ab efficaci ejus providentia, qua potenter & fideliter ſuccurrit omni generi hominum ab ipſo pendentium, in omni genere difficultatum: quod inductione declaratur, verſ. 7, 8, 9. & diſſimili providentia Dei circa improbos ab ipſo non pendentes illuſtratur, v. 9. in fine. 4. A poteſtate illa Regia, qua Deus in æternum omnia gubernat, v. 10. in principio. Cujus gubernationis ſpecialis relatio notatur ad Eccleſiam, cujus conſolatio & officium laudis inde concluditur, ibid.

### DOCUMENTA.

I. Sicut omnis cultus Dei, ſic præcipue laudatio nominis ejus, procedere debet ab intimo corde, v. 1.

II. Tum demum cor diſponitur ad hoc officium præſtandum, quando firmum & efficax propoſitum habet ac fovet illud præſtandi, v. 2.

III. Propoſitum & officium hoc debet eſſe perpetuum, Ibid.

IV. Ut hoc propoſitum integrum conſervemus, cavendum eſt ſedulo, ne fiduciam noſtram in ullis hominibus collocemus, v. 3.

V. Fiducia illa eſt miſere fatua, quæ in hominibus collocatur, v. 3. & 4.

VI. Fiducia illa quæ in Deo collocatur, eſt beatifica ſapientia, v. 5.

VII. Omnipotentia Dei in creatione manifeſtata, fundamentum unum eſt fiduciæ in ipſo collocatæ, v. 6.

VIII. Fi-

VIII. Fidelitas Dei in promissionibus præstandis, est ejusdem fiduciæ fundamentum alterum, Ibid. in fine.

IX. Efficax Dei providentia, qua perficit quæ promisit, est ejusdem fiduciæ confirmatio singularis, v. 7.

X. Providentia Dei extenditur ad omnia genera hominum in omni genere difficultatum, v. 7, 8, 9.

XI. Hæc providentia sicut invigilat piis in bonum, sic impiis invigilat in malum, vers. 9. in fine.

XII. Ex providentia Dei apparet, quod ille sit Rex & Dominus æternus v. 10. in principio.

XIII. Regnum hoc Dei ad Ecclesiam talem relationem habet, ut rite apprehensa divinam ipsi adferat consolationem, vers. 10. in medio.

XIV. Consolatio ista promovet officium laudationis Dei, Ibid. in fine.

## Psalmus Centesimus Quadragesimus Septimus.

*Laudate Jah, quia bonum est psallere Deo nostro: quia amœnum est, decens est laudatio.*

2. *Ædificator Jeruschalaimorum Jehova, depulsos Israëlitas congregat:*

3. *Qui sanat fractos animo, ac* velut *obligat in doloribus eorum.*

4. *Supputans numerum stellarum, quotquot sunt nominibus vocans.*

5. *Magnus est Dominus noster, & multus viribus, cujus intelligentiæ est innumerabilis.*

6. *Statuminat mansuetos Iehova, deprimit improbos in terram usque.*

7. *Acclamate Jehovæ gratiarum actione, psallite Deo nostro cithara;*

8. *Qui obtegit cœlos densis nubibus; qui comparat terræ pluviam; qui facit ut proferant montes fœnum:*

9. *Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum qui crocitant.*

10. *Non potentia equi delectatur, non crura præstantis viri accipit;*

11. Sed *acceptos habet Iehova timentes sui, qui expectationem* suam *habent in benignitate ipsius.*

12. *Laudibus commendate Jeruschalaima, Iehovam; lauda Deum tuum, ô Tzijon;*

13. *Nam confirmat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui.*

14. *Disponens termino tuo pacem, adipe tritici satiat te:*

15. *Quo emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrit verbum ejus:*

16. *Qui edit nivem sicut lanam, pruinam quasi cinerem dispergit:*

17. *Dejicit gelu suum tamquam frusta, coram frigore ejus quis consistat?*

18. *Emittens verbum suum, liquefacit ista simulac efflat ventum suum, effluunt aquæ.*

19. *Indicat verba ſua Iahakobo, ſtatuta ſua & jura ſua Iſraeli.*
20. *Non fecit ita ulli genti; ideoque jura iſta non noverunt. Halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

IN iſthoc Pſalmo excitantur pii ad Deum laudandum, v. 1, 7, 12, & 20. in fine.

Argumentum 1 petitur ab adjunctis laudationis hujus, bonitate, ſcil. amœnitate & decore.

Secundum argumentum petitur ab adminiſtratione divina circa Eccleſiam, utpote qui ſolus eſt, ejuſdem cauſa procreans, conſervans & inſtaurans, v. 2, 3.

Hæc autem adminiſtratio Dei erga Eccleſiam illuſtratur à comparatis, partim ſimilibus, & partim diſſimilibus.

Similitudo prima eſt inter illam ſcientiam & efficacem providentiam quam Deus habet circa innumerabiles cœli ſtellas; & illam quam exercet circa totum populum ſuum, quaſi nominatim, v. 4, 5, 6.

Secunda ſimilitudo eſt inter providentiam illam, qua Deus proſpicit omnibus animalibus, etiam contemptiſſimis corvorum pullis de neceſſario cibo, v. 8, 9. & illam qua ſublevat pios, idque non ſecundum præſtantiam aliquam dotum naturalium quibus pollere poſſint, ſed ſecundum ipſorum timorem & fiduciam divinam, v. 10, 11.

Tertia ſimilitudo eſt inter efficacem illam benedictionem Dei, qua ſalutem, pacem, & proſperitatem Eccleſiæ præſtat, verſ. 13, 14. & efficaciam voluntatis ejus in mundi curſu gubernando, verſ. 15, 16, 17, 18.

Diſſimilitudo una, ſed in re primaria, ſubjungitur, inter adminiſtrationem Eccleſiæ, cui ſalutiferam ſuam voluntatem revelat; & aliorum populorum, quibus hoc beneficium non communicatur, v. 19, 20.

### DOCUMENTA.

I. Quæ ſunt ſpiritualiter bona, jucunda, & decora, illa ſunt à piis conſectanda, v. 1.

II. Nihil melius, amœnius, aut magis decens, quam Deum laudare, ibid.

III. Laudandus eſt Deus, tanquam Eccleſiæ conditor, conſervator, & inſtaurator, verſiculo 2. & 3.

IV. Infinitam illam ſapientiam & potentiam, qua Deus Eccleſiam colligit, non ex mediis apparentibus in terra, ſed ex cœlorum & ſtellarum gubernatione æſtimare debemus, v. 4, 5, 6.

V. De conſervatione Eccleſiæ, & ſingulorum ejus membrorum, confirmari debet fides noſtra, ex illa providentia, qua proſpicit omnibus creaturis viventibus, etiam contemptiſſimis corvorum pullis, de neceſſario alimento, v. 8, 9.

VI. Ad participationem hujus gratiæ, nemo Deo commendatur dotibus his aut illis vel naturæ, vel artis; ſed timore, fide, ac fiducia in ejus gratia collocata, v. 10, 11.

VII. Salutem, pacem ac proſperitatem, Deus Eccleſiæ ſuæ tam facile

cile præstat, quando ipsi placet, quam nivem, pruinam & gelu vel mittit vel tollit, v. 13, 14, 15, 16, 17, 18.

VIII. Singulare privilegium est Ecclesiæ supra alias gentes, quod salutiferam Dei voluntatem habeat sibi revelatam, v. 19, 20.

## Psalmus Centesimus Quadragesimus Octavus.

*Halelu-Jah. Laudate Iehovam cœlites; laudate eum in excelsis.*
*2. Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.*
*3. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ lucidæ.*
*4. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ supra hoc cælum* sunt;
*5. Laudent nomen Iehovæ, quæ ipso præcipiente illico creata sunt.*
*6. Quæ stabilivit in sempiternum, in seculum*; quibus *decretum dedit quod nullum transgrediatur.*
*7. Laudate Iehovam terrestria; cete, & omnes abyssi:*
*8. Ignis & grando, nix & exhalatio; ventus turbineus efficiens verbum ejus.*
*9. Ipsi montes, & omnes colles, arbores fructiferæ, omnesque cedri;*
*10. Ipsæ bestiæ, & omnia jumenta,* reptilia *& aves alatæ.*
*11. Reges terræ, omnesque nationes, principes & omnes judices terræ.*
*12. Juvenes etiamque virgines; senes cum pueris.*
*13. Laudent nomen Iehovæ: quia editum* est *nomen ejus solius, decor ejus supra terram & cælum:*
*14. Et effert cornu populi sui, laudem omnium quos benigne accipit Israelitarum, populi propinqui sibi, Halelu Iah.*

## ANALYSIS.

IN isthoc Psalmo excitantur omnes ad Dei nomen condigne laudandum. Ratio generalis petitur ab incomparabili excellentia gloriæ & majestatis Dei, quæ est formalis ratio objectiva Dei laudandi, v. 13.

Hæc autem Dei majestas declaratur ex effecto gubernationis illius, quam exercet in omnium rerum gubernatione.

Gubernatio hæc explicatur per distributionem, in generalem, quæ respicit omnes mundi partes; & illam specialem, quæ respicit Ecclesiam solam.

Gubernatio generalis vel respicit creaturas superiores, vel inferiores.

Superiores creaturæ sunt vel rationales, ut Angeli, vers. 1, & 2. vel rationis expertes, ut luminaria majora & minora, v. 3. & cœlum tam supremum, quam infimum v. 4.

Harum autem creaturarum gubernatio illustratur ab adjuncto communi, quod pendeant ex verbo Dei,

Dei, tam quoad existentiam primam, quam quoad ejusdem continuationem ordinatam, v. 5, 6.

Inferiores creaturæ sunt vel terrestres, v. 7. vel aquitales, v. 7. vel aëreæ, v. 8. Inter terrestres autem quædam sunt insensatæ, ut vers. 9. quædam sensitivæ ; ut vers. 10. quædam etiam rationales, ut homines, qui distinguntur ab adjunctis, *Ordinis*, ut Reges & subiti, v. 11. *Sextus*, ut adolescentes, viri ac puellæ, v. 12. *Ætatis*, ut senes & pueri, v. 12.

Gubernatio Dei specialis, quæ circa Ecclesiam versatur, declaratur tam ab effectis, quod illam amplificet & gloriosam reddat ; quam à causa, benigno scil. favore, quo pepigit cum illa singularis gratiæ fœdus, v. 14.

DOCUMENTA.

I. Dei nomen est celebrandum propter summam ejus majestatem, v. 1. & 13.

II. Majestas Dei observanda est, ut eluceat in omnium rerum gubernatione ; ex toto Psalmo reliquo.

III. In superioris mundi gubernatione, cœlestis Dei majestas, altiore modo eluceat, v. 1, 2, 3, 4.

IV. Majestas Dei ex creaturis istis præcipue elucens est, quod pro ipsius beneplacito, tales creaturæ primo extiterint, postea persistant, & quasi legem ejus in omnibus constanter observent, v. 5, 6.

V. In inferiore mundo, nulla pars est terræ, aquæ, vel aëris, quæ non benignam præbet materiam Deum laudandi, v. 7, 8, 9, 10.

VI. Quæ inter ista videntur maxime fortuito & irregulariter ferri, à Deo tamen reguntur, ad ejus voluntatem perficiendam, vers. 8. in fine.

VII. Nullus est ordo, sexus, aut ætas hominum, quæ non singulares causas ac rationes habeat Deum laudandi, v. 11, 12.

VIII. Gubernatio illa qua Deus Ecclesiam beatifice procurat, finis est aliorum operum, & materia laudis perfectæ, v. 14.

## PSALMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS NONUS.

*Halelu Iah. Cantate Iehovæ canticum novum ; laudem ejus in congregatione eorum quos benigne accipit.*

2. *Lætetur Israel in eo qui fecit ipsum, filii Tzijonis exsultent in rege suo.*

3. *Laudent nomen ejus tibia ; tympano & cithara psallant ei :*

4. *Quia benevolus est Iehova erga populum suum, ornat mansuetos salute.*

5. *Gestiant benigne accepti præ gloria, cantent in cubilibus suis ;*

6. *Laudationes exaltantes* Deum *fortem in gutture suo, & gladium bipennem in manu sua* habentes.

7. *Ad exercendum vindictam in gentes, increpationes in nationibus.*

8. *Ad vinciendum reges eorum catenis, & honoratos eorum compedibus ferreis.*

9. *Ad exercendum in eos jus scriptum* ; quod *decus est omnibus iis quos benigne accipit. Halelu-Iah.*

## ANALYSIS.

EXcitantur hic pii ad debitam gratiarum actionem Deo exhibendam. Quæ gratiarum actio describitur 1. A generali ejus qualitate, quod scilicet debeat esse insigniter exquisita, vers. 1. *Canticum novum*. 2. A subjecto, eoque duplici, quorum primo, ut publico loco innuitur adjuncta communio sanctorum in hoc officio præstando, v. 1. secundo autem, ut privato, innuitur singularis eorum pax & quies à Deo concessa & concedenda, v. 5. in fine: *in cubilibus suis, in congregatione* piorum. 3. Ab adjuncto alacritatis, cujus varii gradus ascendendo, notantur, tam quoad affectus internos, laudis, lætitiæ, & exultationis; quam quoad eorum declarationem in voce *canente, psallente*, & *jubilante*, atque etiam per instrumenta musica, *tibiam, tympanum & citharam*, v. 1, 2, 3, 5, 6.

Argumenta quibus hæc gratiarum actio suadetur, sunt benedictiones illæ, quibus Deus ipsis benedixit, quia ipsos *fecit: regit*, & *gloriosa salute donat*, ex gratuito & singulari favore, v. 2. & 4.

Illa autem gloriosa salus illustratur ab adjuncta victoria, quam de hostibus reportaturi erant. Quæ describitur à causis, & subjectis ejus, causæ instrumentales sunt *gladius, & catenæ*, v. 6, 8. Causa formalis est *jus scriptum*. v. 9. Subjecta sunt tam Reges & Principes, quam gregarii, aut plebs vulgaris, v. 7, 8.

### DOCUMENTA.

I. Benedictiones Dei novæ & magnæ, *novam* & exquisitam exigunt à nobis gratiarum actionem, v. 1.

II. Hæc Dei laudatio præcipue decet sanctorum publicas congregationes, ibid.

III. Alacritas magna requiritur in hoc officio præstando; ibidem, &c.

IV. Alacritas spiritualis incipit in abundantia affectuum cordis, & postea declarat sese in sermone, voce, & actibus congruentibus, v. 2, 3, 5, 6.

V. Ad istam alacritatem efficaciter excitantur animi fidelium, seria meditatione gratuiti favoris Dei, in ipsorum electione, rectione, & glorificatione manifestati, v. 2, 4.

VI. Ad gloriam Ecclesiæ spectat, quod Deus victoriam ipsi largiatur adversus hostes suos, præcipue spiritualem, v. 6, 7, 8.

VII. Verbum Dei debet esse regula hanc victoriam obtinendi, & eadem utendi, v. 9.

## PSALMUS CENTESIMUS QUINQUAGESIMUS.

*HAlelu-Jah. Laudate* Deum *fortem de sanctitate ejus, laudate eum de expanso laudato ejus.*

*2. Laudate eum de omnimoda potentia ejus, laudate eum secundum amplitudinem maximam ejus.*

*3. Laudate eum clangore buccinæ, laudate eum nablio & cithara.*

*4. Laudate eum tympano & tibia: laudate eum hidraulis & organo.*

*5. Lau-*

5. *Laudate eum cymbalis sonoris, laudate eum sistris.*
6. *Tota ipsa anima laudet Jah. Halelu-Jah.*

# ANALYSIS.

SI Psalmum istum cum antecedentibus conferamus, hoc solum invenietur discrimen, quoad materiam subjectam, quod Psalm. 148. & superioribus quibusdam, excitentur homines ad Deum laudandum, de communi ejus providentia, & de speciali ejus erga Ecclesiam gratia, conjunctim, & distincte, Psalm. autem 149. agitur tantum de speciali Dei gratia erga Ecclesiam, sed distincte. Sed in hoc ultimo Psalmo in genere tantum agitur de majestate Dei, quæ tam in communi quam in speciali ejus gubernatione elucet.

Generalis hæc materia Deum laudandi petitur 1. A sanctissima sede vel loco gloriæ ejus, tam in cœlo supremo, v. 1. *De sanctitate, vel in sanctuario ejus*; quam in visibilibus illis cœlis, quæ eidem proxime subjiciuntur, ibid. *Expanso.* 2. A gloriosa illa potentiæ, & magnificentiæ perfectione, quæ in illis cœlis apparet, v. 2.

Huic autem majestati convenientem laudem suadendo describit, reliquus Psalm. quod scilicet debeat cum summo zelo, cura, alacritate, & omnimoda varietate ab omnibus viventibus præstari. Quæ laudis perfectiones figurate aut typici declarantur, & illustrantur per illam musicam quæ in Veteri Testamento ex instituto Dei vigebat.

### DOCUMENTA.

I. Methodus est Dei laudandi, ut à specialibus procedamus ad generalia, ex eo quod iste Psalm. sit quasi conclusio superiorum.

II. In Deo laudando, propter infinitam ejus perfectionem, intentio & conatus piorum est suo modo infinitus, ita ut circulum faciant, cujus principium, medium & finis est *Halelu-Jah*, ex toto.

III. Infinita Dei majestas præcipue in cœlo, quasi in illustri speculo apparet, ex v. 1.

IV. Quamvis hæc majestas major sit, quam à nobis comprehendi possit, eandem tamen indesinenter debemus admirari; ex v. 2.

V. Qui ista majestate condigne afficiuntur, ii quicquid habent virium aut facultatum, ex omni occasione, alacriter impendunt Deo glorificando, ex v. 3, 4, 5, 6.

*Analyticam hanc Psalmorum explicationem, per gratiam Dei, absolvi Anno* 1632. *Iulii* 2. Halelu-jah.

FINIS.